BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 A
1

14-13.B.7

A IVa III f 3a

Digitized by Google

SANCTISSIMI PATRIARCHÆ AVGVSTINI

S. R. E. DOCT. MAXIMI

TEXTVS PHILOSOPHICVS

Rationalem Naturalem, & Moralem Philoſophiam complectens

Verbis, & Sententijs eiuſdem S. P. contextus, & Scholijs explicatus.

A R. P. BENEDICTO

A S. IACOBO FERRARIENSI

Congregationis Fratrum Eremitarum Diſcalceat. S. Theologiæ Lectore.

DICATVS.

REVERENDISS. P. MAGISTRO

PETRO

LANFRANCONIO,

Ord. Erem. Priori Gener. Digniſs.

Pertinet ad Bibliotecam

MEDIOLANI,

Apud Impreſſores Archiepiſcop. M. DC. LXII.

J. Fran.co Transtyberim

BIBLIOTECA NAZ. V. E. ROMA
Google

IMPRIMATVR.

Fr. Baſilius Magiſter Commiſs. S. Officij Mediol.

Io. Paulus Mazuchellus pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. DD. Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſs. Senatu.



Ipſa quidem Virtus ſibimet pulcherrima merces.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI
DOMINO
MAGISTRO

PETRO
LANFRANCONIO

Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini.

Priori Generali meritiſſimo.

SOle Leonis Aſtrum permeante Reuerendiſs. P. non tantum Nilus per latiſſima Ægypti arua diffuſus vberrimis frugum incrementis, & indigenas, & alienigenas cumulare fertur; Verum & fulgentiſſimis ſplen-

ſplendoribus, coruſcare, & feruentiſſimis ardoribus vniuerſum Orbem inflammare cernitur; Maiori quippè reflexu vndè manant, reuertuntur radij. Quis igitur nunc Philoſophicum hunc S. P. N. Aurelij Textum retardet, ne dum ſuo impetu, & Amoris pondere ad ſuum Auguſtiſſimum Solem à quo diffunditur redit, etiam tuum Fulgentiſſimum Leonis Aſtrum ſub quo nùnc, & lucidior, & feruentior micat, & ardet Auguſtinianæ Doctrinæ verus Apollo; debitis officiorum tributis reuertatur. Nullæ in hoc Sole vllo vmquam ſæculo deprehenſæ maculæ, teſtante Cathedra Petri per SS. Celeſtinum Auguſtinum S. Recordationis virum numquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumorem aſperſiſſe,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& tantæ ſcientiæ fuiſſe, vt inter Magiſtros Optimos etiam à ſuis Prædeceſſoribus haberetur. Sic etiam omnis erroris expers eſt hoc tuum Leonis Sydus Reuerendiſs. P., dum in firmamento S. R. E. fixum non errando, ſed regendo rutilat. Propterea idem ipſe S. P. qui te elegit ſuorum Filiorum Tutorem, te etiam conſtituit ſuæ Diuinæ Doctrinæ Curatorem; Vndè non eſt paſſus, vt alia ſub luce prodirent in vnum collecta ſua Philoſophica lumina; ne ſi fortè vel à ſuo Phæbo, vel à ſuo Leone ſeiungerentur, illud obſcurum, quod Texentis, & Commentantis tenebris tantæ luci offunditur, inuiſum redderet Opus; Immò voluit vt ſub lucidiſſimis tuarum Dignitatum, & Meritorum fulgoribus Leonis

Na-

Natura imbuta ad nullius paue-
rent occurſum ; Iam enim te
Magnanimitate, Religione, Sa-
pientia, Charitate, cæteriſque
Diuinis Chariſmatibus rutilan-
tem Sacer hic Noſter Auguſti-
nianus nouerat ordo; quando
& Ariminum, & Senæ, & Me-
diolanum mirifico rugitu Diui-
na perſonantem audierunt, &
Eximiæ Doctrinæ luce difficil-
lima, & obſcura quæq; perluſ-
trantem viderunt; quando &
Bononia, & tua in terris etiam
tuis virtutibus eximio coruſ-
cans Patria Ancona Non poteſ-
tate dominante, ſed Charitate
ſeruiente in loco ſuperiori feli-
cem agnouerunt; quando Pice-
nũ te Prioris Prouincialis onus
tuis honoribus decorantem Sa-
cra Religionis inſtituta firmare,
tueri, ac promouere expertum

 eſt.

eſt. Nouit te verè Auguſtiſſimum Leonem caput orbis Roma cum peruigil Sacrarum Mycenarum, & noſtrarum Religioſarum Ædium cuſtos exiſteres: Maximè verò fulgoribus S. Thomæ à Villa Noua micantem; dum vt immortalem ipſius Sanctimoniæ gloriam, & famam in terris comparares, Nullis laboribus Sudoribus nullis pepercisti. Te denique Vniuerſus Orbis Leonem non tantum Aſtro fulgentem, ſed etiam claua potentem Prudentia ſcilicet, & Fortitudine ornatum agnouit; dum Auguſtinianæ prolis Primi Paſtoris; Præſidis integerrimi, & Dilectiſſimi ProtoPatris, & nomen, & ſedem, & exemplum, & virtutes tibi iure merito vindicaſti; Sed quid vltra

tra tuorum meritorum præmia iactem? Quando

Ipſa quidem Virtus ſibimet pulcherrima merces

Hoc igitur qualecumq; quod *Ex Syl. Ital.* quidem pro mei ingenij anguſtijs anguſtiſſimum, pro materia verò Auguſtiſſimum, tibi Præſtantiſſimo Auguſtinianorum Principi debetur. *Si bello parta:* vt verbis vtar Eumenij *Marti dicantur, Si Mari Neptuno, Si Meſſis Cereri, Si Mercurio lucra libantur, Si item rerum omnium incrementa ad certum referuntur Authorem*. Et ſi qua luce fulgebit congeminatis influxibus Solis, & Leonis hoc totum debebit. Cum igitur quæ S. Patriarchæ N. Auguſtino ſunt Sacra, tuum ſit defendere, opitulari, & Paterno proſequi affectu, Hos ex latiſſimè per totum orbem diffuſa plurimis eiuſdem S.P. li-

bris luce, radios in vno Textu collectos vt reſpicere digneris tua precor dictet Clementia, vt gratiſſimam præbeant aſpicientibus veræ Philoſophiæ imaginem, quæ duplici benigniſſimo influxu decorata nullis vnquam malignorum tenebris deturpetur. Quocirca D.O.M. precor, vt quas ipſe in mentem tuam cogitationes pias immiſit, & tu heroico animo incluſas tenes, eodem aſpirante re ipſa declares, atque perficias; vt qualis huic Sacro Eremitarum Ordini S.P.N. extitit Inſtitutor, & Auctor; ita & tu te præbeas ipſius cæleſtis, ac penè Diuinæ Doctrinæ Inſtauratorem, ac Propugnatorem ſummi, ac immortalis Boni ſemper Amore flagrantem, iuuandæ S. Eccleſiæ perpetuo ſtudio vacantem, & Di-

uinis

uinis rebus magis quam humanis intentum Teq; diu incolumem ſeruet; ac de vtraq; Republica benè merentem in perpetuum beet.

Paternitatis Veſtræ Reuer.[ma]

Obſequentiſs. in Chriſto ſeruus.

Fr. Benedictus à S. Iacobo.
Auguſt.[nus] Excalceatus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VERIS
S. P. AVGVSTINI
FILIIS,
ET DISCIPVLIS.

a. ex Deut. 32. ex Prou. c. I. *INterrogare Patrem, & eius audire diſciplinam filios, imperat Spiritus S., vt eorum capitibus gratia addatur &c. Quæ Diuina oracula, & ſi vrgeant omnes maximè tamen eos; qui viros glorioſos habuere*
ex Eccl. cap. 44. *Parentes reliquentes locum narrandi laudes eorum, Magnos Virtute, & Prudentia præditos; Nunciantes dignitatem Prophetarum; imperantes in populis Sanctiſſima verba, & in peritia ſua narrantes carmina ſcripturarum Quorum hæreditas Sancta eſt, etiam in Nepotibus eorum. Qualem fuiſſe SS. Patriarcam N. Auguſtinum nullus in dubium*
b. epiſt. quæ eſt 25. in 2. t. op S. P. *vocare poteſt Quandoquidem, & Maximus Doctor S. Hieronymus ei adhuc viuenti hoc detulit,* b *vt Catholici eum Conditorem antiquæ rurſus Fidei venerarentur, ac ſuſciperent, & ſolummodo omnes hæretici deteſtarentur.*

Quem

Quem S. Paulinus Nol. meritò c *Sal terræ, Lucernam Eccleſiæ Catholicis vrbibus lumen effundentem, denſas hæreticorum tenebras diſcutientem, ac Venam Fontis Æterni appellauit. Quē Seuerus Sulpicius* d *verè artificioſam apem Dei conſtruentem fauos Diuini nectaris nuncupauit; Quem S. Proſper Aquitanicus* e *Præcipuam portionem Sacerdotum Domini; Naturæ donis, & Gratiæ chariſmatibus abundè cumulatam prædicauit. Quem S. Poſſidonius* f *tā copioſum Diuinorum ſcriptorem agnouit, vt ea vix quiſquam ſtudioſorum noſce, & perlegere ſufficiat. Quem S. Hilarius Arelat Epiſcopus* g *Defenſorem Fidei Noſtræ, Sacrilegorum deſtructorem, & Hæreticorum Triumphatorem proclamauit Quem S Gregorius Magnus,* h *& Viuus & poſt obitum ſummis laudibus celebrauit. Quem* i *Victor Epiſcopus omni laude dignum, & flumen eloquentiæ vbertim per omnes S. Eccleſiæ campos decurrentem nominauit. Quem Caſſiodorus* k *Egregiū litterarum Magiſtrum, Fontem puriſſimum nulla fece pollutum, neſcientem locum dare hæreticis; vndè ſe poſſint aliqua colluctatione defendere. Totum Catholicum, totum Orthodoxum ſe inueniſſe teſtatur. Quem Venerabilis Beda* l *Omnium Eccleſiarū Doctorem Fx mium agnouit. Quem S. Remigius Antiſiodorenſis* m *excedentem omnes in Sacrarum ſcripturarū expoſitione velut Solem planetas ſuperantem proſpexit. Quem Mellifluus Bernardus Abbas SS.* n *Validiſſimū hære-*

c eſt 31
in eo-
dē tomo
d ep. 37.
in 2. t.
op. S. A.
e ep. ad
Ruffinū,
& l. 3.
de vita
Cont.
cap. 31.
f in vita
ipſius S.
P. c. 17.
g in ep.
ad Amatum
Diaconum.
h in Reg
l. 8. epi.
37. &
in prol.
ad lib.
Moral.
i in l. p.
de Perſeq.
Vand.
k prolog. in
Pſ. 50.

l lib. de hæreticorum malleum indicauit. Quem Ru-
ſex pertus Abbas Tuit., o Columnam, & Firma-
ætat. mentum veritatis, in qua Thronum ſuum po-
mundi ſuit Sapientia Dei dicere non dubitauit.
m Com. Quem Sacro S. Synodus Oecumencia Floren-
in ep. 2. tina p Illuſtriſſimũ Latinorum à Quinta Sy-
ad Cor. nodo conſecratum agnouit, & primo loco di-
gnum indicauit. Quem SS. Celeſtinus Pon-
n Serm. tifex Maximus, q & Sãctæ recordationis vi-
80. in rum, & nullo vmquam ſiniſtræ ſuſpitionis ru-
Cant. more aſperſum, & tantæ ſcientiæ, vt etiam à
o. l. 7. ſuis Prædeceſſoribus inter Magiſtros, optimos
de op. haberetur, ex Cathedra teſtatum reliquit; Vt
Ep. S. merito S R Eccleſia eum r Ducem, & anteſi-
cap. 19. gnanum Sacrorum Doctorum qui Theologiam
via, & ordine tradiderunt agnouerit, & SS.
p. Seſſ. nunc Feliciter Regnans Alex VII. s Sanctiſ-
7. habi- ſimum Theologiæ Magiſtrum appellauerit; Et
ta Fer- meritò Cum eius omnia ſcripta S. Gelaſius Pa-
variæ. pa in Concil. 70. Epiſcoporum t approbarit,
damnando è contra libellos Caſſiani, & Fauſ-
q ep. ad ti, S. P aduerſantium; vt obſeruauit etiam
Gall. Eminentiſſ. Card. Bellarminus præclariſſi-
Epiſc. mum Lumen Societ. Ieſu u vndè & iure meritò
pro intulit, quod S. Sedes non tantum ſemel, ſed
Proſp. & ſecundo, & tertio tulit pro eo ſententiam
& Hil. aduerſus Pelagianorum reliquias. Quibus ſic
r. lect. ſe habẽtibus agnouit etiam eruditiſſimus Doc-
6. in Br. tor ex eadem Societate Hieronym Torrenſis
Rom. in pro conuincendis, confutandis, & conuerten-
eius dis Hereticis nullam eſſe ex Sacris Doctoribus
feſto Validiorem Doctrinam, quam illa S. P. Au-

guſtini

guſtini cuius verba cum ſint magni ponderis, conſideratione digna & Codex rarus, non grauabor hic referre x Operæ pretiũ (*ait ipſe*) exiſtimauimus, inter alias Confeſsionem extare, cuius Auctor, non leuis eſſet, atq; ſectarius, ſed grauis, & vt D. Bernardi verbis vtar, Hæreticorum Fortiſsimus Malleus: cuiuſq; Doctrina non vnius Principis, vel Prouinciæ Auctoritate, ſed plurimarum nationum Suffragijs, legibus moribuſque niteretur: quæ deniq; non triginta, vel quadraginta dumtaxat ab hinc annis auctoritatem aliquam obtinuiſſet; Sed indè antè annos mille terrarum orbi propoſita, recepta pariter, ac comprobata fuiſſet; tot ſæculis aduerſus hæreticorum fraudulentam audaciam firma, atq; inconcuſſa perdurasſet. Quis autem Sapiens, ac cordatus vir, ſi vllum Fidei, & Religionis aſſertorem ac vindicem probat, Non D. Aurelium Auguſtinum amet, colat, atque commendet quam maximè? deindè ſi vllam omninò Confeſsionem ſibi amplectendam cenſet, non Auguſtinianam cæteris anteponat? Habet Auctorem longè grauiſſimum, cum nemine nouatorum propter eius in omni laudum genere excellentiam comparandum: habet ſinceræ veritatis Catholicæque doctrinæ teſtem omni exceptione maiorem, & qui non de ſua tantum, ſed & de communi antiquorum Patrum, & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſtanti,

S. in præf. ad Suffragia epi. pro Canoniz. S. Th.

t *to. p. Conc. S. Gen. in Decr. de ſcript. ap.*

u *in cõſtruct. lib. 1. de Gratia, & lib. arbitrii cap. 11.*

x. *in præf. ad Lect. pro Cõf. Auguſt.*

at-

atque ſtabili Confeſſione nos bona fide reddat cer iores. Habet non modo virum Sanctum, verum etiam Eccleſiæ Theologum, atque Doctorem, qui ab odio, & amore partium pænitus alienus, benè præclareque apud omnes ſuos meritò audit, colitur, atque celebratur. Habet Eccleſiæ Diuinitus datum Paſtorem, & Epiſcopum, in quo iure meritò tota poſteritas ingenij acrimoniam, Doctrinæ, Soliditatem, Sacræ Scripturæ peritiam, in diſſerendo ſubtilitatem, in aſſerendo conſtantiam, in iudicando Sapientiam, in viuendo Sanctimoniam, in agendo fidem, & induſtriam ſingularem. Habet ſinceriſſimum Euangelij Præconem; Verbi Diuini Solidiſſimum interpretem, veritatis, & gratiæ fideliſſimum aſſertorem. Apoſtolicæ vitæ ſimul, & Doctrinæ diligentiſſimum Cuſtodem, mirandæ in ſcribendo, & docendo induſtriæ, pariterq; ſingularis modeſtiæ virum; tam veritatis amantem, vt ſi quæ minus commodè dicta ſuis ipſe ſcriptis admiſcuit, ea publicè duobus libris editis non ſit veritus retractare. Viuat igitur, & vigeat ſi vllus hodiè cum ſua Confeſſione vigere poteſt; Vigeat inquam apud omnes qui rectè ſapiunt, ſuæquè ſaluti benè conſultum volunt D. Aurelius Auguſtinus: vigeat Auguſtiniana verè Aurea atq; Auguſta Confeſſio, *hucuſque celeberrimus ille Doctor in celebri illa ſua Confeſſione.*

ſione, qua verbis, & ſententijs eiuſdem S. P. ſingulos hæreticorum errores euertit. Quapropter ſi eius Auctoritatem tam enixè omnes verè Catholici tuentur. Noſtra præcipuè intereſt, qui eius, & diſcipulatum, & Filiationem vi noſtræ profeſſionis tenemus. Vnde ſi habitu, & Regula Auguſtiniani ſumus, Spiritu quoque, & litteres verè Auguſtiniani eſſe debemus. Nec ſolum Theologica ipſius aſſerta tueri; verum etiam Philoſophica axiomata ſcrutari. Cum enim Sacra Theologia pene innumera habeat argumenta, quorum altera præmiſſa eſt à Philoſophia deſumpta, non rectè in ſingulis huiuſmodi S. P. Concluſionibus attingi poterit ipſius ſenſ[illegible] priuſ conſtet in ſingulis m[illegible] nam ſit vera, [illegible] & ſententi[illegible] propter [illegible] vnum [illegible] iuniſ noris, qu[illegible] nes licebat, eiuſdem S. P. Philoſophica Axiomata; non quidem ea mente vt typis illa euulgarem; Sed eo ſtudio, vt ijs, quibus ex ſuperiorum præſcripto Philoſophiam, & Theologiam perlegebam, euidenter oſtenderem datis, & collatis eiuſdem Sanctiſs. Patriarchæ ſententijs; tantum diſtare non ſolum eius mentem, & ſenſa; ſed etiam verba ipſa ab erroribus & articulis qui ei falſo adſcribuntur; quantum diſtat contradictorium à contradictorio, & præcipuè ab erroribus deprehenſis in Ianſenio Iprenſi Epiſcopo, & iuſtiſſimè damnatis à Felic. Rec. Innoc. PP. X., & à SS. D.

N.

N. Alex. VII. cum ea ſit hac tempeſtate quorumdam credulitas, vel in euoluendis S. P. voluminibus negligentia, & oſcitantia, ne dicam impietas; vt ſpecie quidem qua Ianſenium è medio tollant; ſed ſtudio quo S. P. Auguſtini, & eius diſcipulorum Cathedram, & Scholam euertant, errores ipſos Ianſeniſtarum ei adſcribant; cum tamen luce meridiana clarius ſit inter S. Doctorem, & Errantem Auctorem tantum diſtantiæ eſſe, quantum inter lucem, & tenebras. Quod ſicut inter Domeſtica Gymnaſia clarè oſtendi præcipuè Romæ exhibitis ſententijs S. P. Auguſtini omninò contradictorijs quinque damnatis, ſic & in Scholijs Theologici Textus fuſius me demon- [illegible] *le. Nunc verò acquieſcendum* [illegible] *tenibus maximè è noſtris* [illegible] *un me audierint iſta exponen-* [illegible] *veri Diſcipuli, & Fili*[illegible] *non poſſunt*

y. t. p. *non ſentire vulnera Patris, Nam &* beſtiæ,

hom. de & mutæ Pecudes. (*vt cum D. Io. Chriſoſto-*

Abſal. *mo loquar*) pietatis iura conſeruant; & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. *Aliquam vtilitatem ex hoc Textu Tyrones, quibus non vacat euoluere illa decem magna volumina S. P. reportaturos confidentes, ſuaſere, vt collecta in vnum Auguſtiniana Axiomata addita breui explicatione euulgarem. Ea propter non diſputando ex inſtituto; ſed ſolum breuiſſimè Scholijs exponendo pro nunc mihi procedendum eſſe duxi. Diſputationes ad commodiora tempora*

re-

reſeruando. Nam pro modo, & ſtrictioris obſeruantiæ rigor, & infirma valetudo, & intercurrentes occupationes à cæptis me diu, retardarũt. Satis ſit igitur in præſenti Auctoritatis pondera excurrere, & vbi opus erit vindicare, & explicare. Poſtmodum enim veritatis fundamenta (Diuina fauente Prouidentia) expendentur, vt ſic cum gemino (vt ait idem S. P.) pondere rationis, ſcilicet, & Auctoritatis ad veritatem feramur; fixum enim ac firmum eſt ab ipſo S. P. à Chriſti D., & S. Eccleſiæ Auctoritate non diſcedere, & idcircò firmior ac validior erit proculdubio eius Auctoritas, quam quorumcumque Gentilium Philoſophorum. Exhibeo igitur in præſenti Philoſophiam Rationalem non ſolum S. P. mentem exponentem, ſed etiam eius ſententias, & verba complectentem, vt ex ijs quilibet diiudicare valeat, an ipſius mentem ſim aſſequutus; immediatè poſt iuxtà Methodum quem idem S. P. ex Platone deſumpſit, & approbauit; exhibiturus Naturalem, & poſtmodum Moralem, ea ſolummodo proſequendo, quæ ad Theologicas, vel neceſſaria, vel ſaltem valdè vtilia ſunt. In eruendis his textibus, vt eſſem ſecurior vſus ſum illis impreſſionibus, quæ celebriores habentur, vt ſunt illa Baſilienſis celeberrima antè Eraſmum, & illa Pariſienſis; quæ prodij cum recognitionibus DD. Louanienſium. Nec ex quibuslibet libris qui circumferuntur inter eius opera; Sed ex ijs tantum qui citrà omne diſſidiũ ab omnibus Vniuerſitatibus pro germanis

D. l. 3. contra Academicos cap. 20.

lib. 8. de Ciu. Dei.

manis

manis S. P. operibus habentur; nec in dubium à quoquam Sapiente reuocari poſſunt, Et hoc
in Conſt. p. 2. cap. 5. *eo libentius præſtiti, quod nobis Eremitanis Excalceatis eatenus præceptum eſt, ſequi Doctrinam S. Thomæ tam in Philoſophicis, quam in Theologicis, quatenus à S. P. N. Auguſtino eſt hauſta; Vndè iure prius videndum fuit quid ſentiat S. P. vt indè amplior pateat aditus ad ea, quæ Angelicus Doctor ex illa deſumpſit; Qui vſq; adhuc huic Diuinæ Doctrinæ fuit addictus, vt alter reuiuiſcens Auguſtinus videretur; & omnia eius opera Auguſtinum reſonent, ità vt eius Præclariſſima ſumma Auguſtinianæ Doctrinæ mirabilis epilogus videatur, & ſ..; exiſtimauit enim SS.ille Theologorum Scholaſticorum Princeps, & merito, vt ipſe teſtatum reliquit; Quod poſt Apo-*
in Officio S. P. Auguſt. *ſtolos primus refulſit diſpenſandi Verbi Dei Gratia.*

Hæc ſunt de quibus monendos vos cenſui, quibus præcipuè hos textus non iniucundos futuros exiſtimaui; Ex quibus ſi quem fructus hauſeritis, immortales D. O. M., & S. P. A. agite Grates; vbi verò in errores offenderitis, deficienti cauſæ Texentis, & exponentis imputate; ac ipſam D. Pietatem, & S. P. pro me deprecamini vt illud intelligentiæ lumen, &
S. Proſp. Concluſio epiſt. ad Rufinum. *Charitatis Spiritum aſſequar; in diſcendo quibus ille in ſcribendo præditus fuit. Valete Gratia Dei, & Pax Domini Noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat vos in omni tempore, & per viam veritatis dirigat in vitam æternam.*

Ap-

APPROBATIO CENSORVM.

EX Commiſſione Adm. Reu. Patris Eliæ à S. Lucia Generalis Vicarij noſtræ Congregationis Excalceatorum S. Auguſtini Italiæ nos infraſcripti perlegimus attentè quoddam opus, cui talis inſcribitur titulus (Textus Philoſophicus pro Schola Auguſtiniana Congregationis Eremitarum Diſcalceatorum, Verbis ipſis, & Sententijs Sanctiſs. Patris Auguſtini) ſtudio R. P. Benedicti à S. Iacobo Sacræ Theologiæ Lectore elaboratum, nec in ipſo quicquam bonis diſſonum moribus, Sanæq; Doctrinæ contrarium inſpeximus; immò ſumma recognouimus elucubratum eruditione, quibuſq; ſtudioſis forè profuturum, idcircò typpis dignum adiudicauimus. Die 2. Iulij 1659.

Ego Fr. Roccus à S. Victorio Prior S. Ioſeph Ferrariæ Theologus vidi, & perlegi vtſupra.

Ego Fr. Laurentius à S. Io. Baptiſta Theologus, & Concionator, & Subprior d. Conuentus vidi, & approbaui vtſup.

Fa-

Facultas Adm. R. P. Eliæ à S. Luciæ Generalis Vicarij Congregationis FF. Eremitarum Diſcalceator. S. Auguſtini Italiæ.

Hoc opus inſcriptum Textus Phyloſophicus pro Schola Auguſtiniana Congregationis Eremitar. Diſcalceatorum, verbis ipſis, & ſententijs Sanctiſs. P. Auguſtini à R. P. Benedicto à S. Iacobo collectum, & compoſitum, & iuxtà annexam atteſtationem PP. Theologorum, quibus id commiſimus approbatum, vt typis mandetur quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & noſtro ſigillo firmauimus. Ferrariæ die 3. Iulij 1659.

Fr. Elias à S. Lucia Vic. Gener.

Locus ✠ ſigilli.

Regiſtr. lib. pri. fol. 2.
Fr. Gabriel à S. Maria Secretarius Generalis.

APPRO-

APPROBATIO
Cenſorum Papiæ vbi cæpta eſt impreſſio.

M*Andante Reuerendiſs. P. Magiſtro Stephano Boido Ciuitatis, & Principatus Papiæ Generali Inquiſitore, p rlegi textum Philoſophicum verba, & ſententias D. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris complectentem ab Ad. Reu. P. Benedicto à S. Iacobo Excalceato Theologiæ Lectore elaboratum, in quo tam ſubtilitas in dicendo, quàm claritas in explanando non parum me illexit, nihil offendi, quod offendat, immò multa reperi, quæ ſapientum ingenijs prodeſſe, & nihil, quod innocentiæ, & orthodoxæ fidei obeſſe poſſit, dignumq; arbitror quod communi prodeat vtilitati, illumque non ſine fructu, non ſine plauſu vniuerſa Licæa Auguſtiniana amplectentur. Dat. Papiæ die 31. Octobris 1661.*

Fr. Paulus Franciſcus Vertemà S. T. D. Prior Conuentus Carmelitarum Papiæ.

Don

Don Veremundus Corius Theologiæ Profeſſor, & S. Officij Conſultor ab Illuſtriſs., & Reuerendiſs. Comite Hieronymo Meltio Epiſcopo Ticinenſi delegatus de mandato eiuſdem diligenter lecto Textu Philoſophico Rationalem, Naturalem, & Moralem Philoſophiam complectente à P. Benedicto à S. Iacobo Auguſtiniano Diſcalceato ſumma diligentia, & eruditione elucubrato, impreſſione dignum cenſeo, cum nihil habeat Cathol. fidei, & bonis moribus repugnans; immo non mediocriter ſit profuturus. Dat. in Colleg. S. Mariæ Coronatæ Papiæ die 8. Octobris 1661.

TEX-

TEXTVS

PHILOSOPHICVS

Scholæ Auguſtinianæ verbis, & ſententijs S. Patris noſtri AVGVSTINI contextus.

PRÆLVDIVM

De Philoſophis, & Philoſophia.

VERVS Philoſophus eſt Amator Dei; ſed quia res ipſa cuius hoc nomen eſt, non eſt in omnibus, qui hoc nomine gloriantur, neq; enim continuè veræ ſapientiæ ſunt amatores, quicunq; appellantur Philoſophi; profectò ex omnibus, quo- *Ex lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 1.*

 rum

rum ſententias ex litteris nunc poſuimus, eligendi ſunt, cum quibus non indignè quæſtio tractetur. Quantum attinet ad litteras græcas (quæ lingua inter cæteras gentium clarior habetur) duo Philoſophorum genera traduntur, vnum Italicum, alterum Ionicum; Italicum genus Pytagoram Samium auctorem habuit; à quo etiam ferunt ipſum Philoſophiæ nomen exortum. Ionici verò generis Princeps fuit Thales Mileſius vnus illorum ſeptem, qui appellati ſunt ſapientes. Sed illi ſex vitæ genere diſtinguebantur quibuſdam præceptis ad benè viuendum accomodatis. Iſte autem Thales vt ſucceſſores etiam propagaret rerum naturam ſcrutatus, ſuaſq; diſputationes litteris mandans emi-

Ibid. ex cap. 2.

eminuit, maximèq; mirabilis extitit, quod aſtrologiæ numeris comprehenſis defectus Solis, & Lunæ etiam prædicere potuit. Huic ſucceſſit Anaximander eius auditor, mutauitq; de rerum natura opinionem. Iſte Anaximenem diſcipulum, & ſucceſſorem reliquit. Anaxagoras fuit eius auditor, & Diogenes Anaximenis quoq; alter auditor. Anaxagoræ ſucceſſor auditor eius Archelaus. Socrates huius diſcipulus fuiſſe perhibetur Magiſter Platonis, propter quem breuiter cuncta iſta recolui.

Socrates ergo prius vniuerſam philoſophiam ad corrigendos componendoſq; mores inflexiſſe memoratur; cum omnes ante illum magis phyſicis, ideſt naturalibus rebus perſcru- *Ibid. ex cap. 3.*

tandis op.ram maximam impenderint;vel tædio rerum obſcurarum, & incertarum, vel quia nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos ſe extendere,in diuina conari. Conſtat eum tamen imperitorum ſtultitiam ſcire ſe aliquid opinantium, vel confeſſa ignorantia ſua, vel diſſimulata ſcientia lepòre mirabili diſſerendi, & acutiſſima vrbanitate agitaſſe, atq; verſaſſe; vnde & concitatis inimicitijs calumnioſa criminatione damnatus morte mulctatus eſt; ſed eum poſteà illa ipſa, quæ publicè damnauerat Athenienſium Ciuitas,publicè luxit. Tam præclara igitur vitæ mortiſq;fama Socrates reliquit plurimos ſuæ philoſophiæ ſectatores; quorum certatim ſtudium fuit in quæſtionum moralium
diſcep-

diſceptatione verſari; vbi agitur de ſummo bono, ſine quo fieri homo beatus non poteſt; ſic autem diuerſas Socratici inter ſe de iſto fine ſententias habuerunt; vt (quod vix credibile eſt vnius Magiſtri potuiſſe facere ſectatores) quidam ſummum bonum eſſe dicerent voluptatem ſicut Ariſtippus, quidam Virtutem ſicut Antiſtenes, ſic alij, atq; alij aliud, atq; aliud opinati quos commemorare longum eſt. Sed inter Diſcipulos Socratis non quidem immerito excellentiſſima gloria docuit, qui omninò cæteros obſcurauit Plato. *Ibid. ex cap. 4.*

Itaq; cum ſtudium ſapientiæ in actione, & contemplatione verſetur, vnde vna pars eius actiua, altera contemplatiua dici poteſt; quarum actiua ad

agendam vitam, ideſt ad mores inſtituendos pertinet; contemplatiua autem ad conſpiciendas naturæ cauſas, & ſinceriſſimam veritatem; Socrates in actiua excelluiſſe memoratur; Pythagoras verò magis contemplatiuæ quibus potuit intelligentiæ viribus inſtitiſſe. Proinde Plato vtrumq; iungendo Philoſophiam perfeciſſe laudatur: quam in tres partes diſtribuit. Vnam moralem, quæ maximè in actione verſatur: Alteram naturalem, quæ contemplationi deputata eſt: Tertiam rationalem qua verum determinatur à falſo; quæ licet vtriq; ideſt actioni, & contemplationi ſit neceſſaria, maxime tamen contemplatio perſpectionem ſibi vendicat veritatis. Ideò hæc tripertitio non eſt contraria.

ria illi diſtinctioni, qua intelligitur omne ſtudium ſapientiæ in actione, & contemplatione conſiſtere.

Fortaſſis qui Platonem cæteris Philoſophis gentium longè, rectèque prælatum acutius atq; veracius intellexiſſe, atq; ſecuti eſſe fama celebriore laudantur, aliquid tale de Deo ſentiunt, vt in illo inueniatur, & cauſa ſubſiſtendi, & ratio intelligendi, & ordo viuendi. Quorum trium vnum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem intelligitur pertinere. Si enim homo ita creatus eſt, vt per id quod in eo præcellit, attingat ad illud, quod cuncta præcellit, ideſt vnum, verum, optimum Deum ſine quo nulla natura ſubſiſtit; nulla doctrina inſtruit, nullus

vſus expedit: ipſe quæratur,vbi nobis omnia ſunt ſecura: ipſe cernatur, vbi nobis certa ſunt omnia: ipſe diligatur,vbi nobis recta ſunt omnia.

Ibid. ex cap. 12. Ideo quippe hos potiſſimum (*ideſt Platonicos*) elegi, quoniã de vno Deo,qui fecit Cælum,& Terram, quantò melius ſenſerunt, tanto cæteris glorioſiores illuſtrioreſq; habentur, in tantum alijs prælati iudicio poſterorum; vt cum Ariſtoteles Platonis diſcipulus vir excellentis ingenij,& eloquio Platoni quidem impar, ſed multos facilè ſuperans, cum ſectam Peripateticam condidiſſet, quod deambulans diſputare conſueuerat, plurimoſq; diſcipulos præclara fama excellens viuo adhuc pręceptore in ſuam hæreſim congregaſſet, poſt mortem verò Plato-

Platonis Speuſippus ſororis eius filius, & Xenocrates eius diſcipulus in Scholam eius,quę Academia vocabatur eidē ſucceſſiſſent : atq; ob hoc & ipſi, & eorum ſucceſſores Academici appellarentur : recentiores tamen Philoſophi nobiliſſimi;quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos ſed Platonicos. Ex quibus ſunt valdè nobilitati Græci, Plotinus, Iamblicus, Porphyrius. In vtraq; autem lingua ideſt, & græca, & latina, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes, & cæteri huiuſmodi,& ipſe Plato Dijs plurimis eſſe ſacra facienda putauerunt.

Nunc Philoſophos non ferè videmus, niſi aut Cynicos, aut Peripateticos, aut Platonicos, *Ex lib. 3. cont. Academic. ca. 19.*

& Cynicos quidem, quod eos vitæ quædam delectat libertas, atq; licentia; quod autem ad eruditionem doctrinamq; attinet, & mores, quibus conſulitur animæ; quia non defuerunt acutiſſimi, & ſolertiſſimi viri, qui docerent diſputationibus ſuis Ariſtotelem, ac Platonem ita ſibi concinere, vt imperitis, minuſq; attentis diſſentire videantur; multis quidem ſæculis, multiſq; contentionibus; ſed tamen eliquata eſt, vt opinor, vna veriſſimæ philoſophiæ diſciplina. Non enim eſt iſta huius mundi philoſophia, quam ſacra noſtra meritiſſimè deteſtantur, ſed alterius intelligibilis, cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, & altiſſimis à corpore ſordibus oblitas, nunquam iſta ratio ſubtiliſſima reuoca-

uocaret, niſi ſummus Deus popu-
lari quadam clementia diuini
intellectus auctoritatem vſq; ad
ipſum corpus humanum decli-
naret, atq; ſubmitteret, cuius
non ſolum præceptis, ſed etiam
factis excitatæ animæ redire in
ſemetipſas, & reſipiſcere pa-
triam, etiam ſine diſputationum *Ex eod. lib.*
concertatione potuiſſent.

Nulli autem dubium eſt ge- *Ex cap. 20.*
mino pondere nos impelli ad
diſcendum auctoritatis, atq; ra-
tionis. Mihi autem certum eſt
nunquam prorſus à Chriſti auc-
toritate diſcedere: non enim re-
perio valentiorem. Quod au-
tem ſubtiliſſima ratione perſe-
quen. eſt, ita iam ſum affectus,
vt quid ſit verum non creden-
do ſolum, ſed etiam intelligen-
do apprehendere impatienter
deſiderem, apud Platonicos me

interim, quod ſacris litteris non repugnet, reperturum eſſe confido.

Hic recolendum eſt quod habet S. Pater noſter lib. 1. retract. cap. 1. his verbis, laus quoq; ipſa qua Platonem, vel Platonicos, ſiue Academicos Philoſophos tantum extuli, quantum impios homines non opportuit, non immeritò mihi diſplicuit, præſertim contra quorum errores magnos defendenda eſt Chriſtiana doctrina.

Ex lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 1. Nunc intenſiore nobis opus eſt animo, multò quam erat in ſuperiorum ſolutione quæſtionum, & explicatione librorum; de Theologia quippe, quam naturalem vocant; cum Philoſophis eſt habenda collatio; quorum ipſum nomen (ſi latinè interpretemur (amorem ſapien-

tiæ

tiæ profitetur; porro ſi ſapientiam profitemur, & ſapientia Deus eſt, per quem facta ſunt omnia, Verus Philoſophus eſt Amator Dei.

Philoſophia vero,ſeu ſapientia eſt rerum humanarum, diuinarumq; ſcientia. Et quantum intelligi datur, Philoſophi Sapientiæ diſciplinam tripertitam eſſe voluerunt; immò verò tripertitam eſſe, animaduertere potuerunt; neque enim ipſi ita inſtituerunt, vt ita eſſet; ſed ita eſſe prius,inuenerunt;cuius vna pars appellaretur Phyſica, altera Logica, tertia Ethica. Quarum nomina latinè iam multorum litteris frequentata ſunt,vt Naturalis, Rationalis, Moraliſque vocarentur. Et quamuis Plato primus iſtam diſtributionem reperiſſe, & commendaſſe dica-

Ex lib. 1. cont. Academic.c. 6.

Ex lib. 11. de Ciuit. Dei ca. 25.

dicatur: cui neque Naturarum omnium Auctor niſi Deus viſus eſt: neque Intelligentiæ dator: neque Amoris, quo bene beatèque viuatur inſpirator. Sed certe cum de Natura rerum, & de ratione indagandæ veritatis, & de finè boni, ad quem cuncta quæ agimus, referre debemus, diuerſi diuerſa ſentiant: In his tamen tribus magnis, & generalibus Quæſtionibus omnis eorum verſatur intentio: Ita vt cum in vnaquaque earum, quid quiſque ſectetur, multiplex ſit diſcrepantia opinionum: Eſſe tamen aliquam Naturæ cauſam, Scientiæ formam, Vitæ ſummam nemo cunctetur. Tria enim ſunt quæ in vnoquoq; homine Artifice ſpectantur, vt aliquid efficiat: Natura, Doctrina, Vſus.

Na-

Natura ingenio, Doctrina ſcientia, Vſus fructu diiudicādus eſt. Ex his propter obtinendam Beatam Vitam; Tripertita vt dixi à Philoſophis inuenta eſt diſciplina: Naturalis propter Naturam: Rationalis propter doctrinam: Moralis propter vſum. Si ergo Natura noſtra eſſet à nobis: profectò & noſtram nos genuiſſemus Sapientiam: nec eam ex doctrina ideſt aliunde diſcendo percipere, curaremus: & noſter Amor à nobis profectus, & ad nos relatus, ad beatè viuendum ſufficeret: nec bono alio, quo frueretur, vllo; indigeret: Nunc verò quia Natura noſtra, vt eſſet, Deum habet Auctorem: procul dubio vt vera ſapiamus, ipſum debemus habere Doctorem: Ipſum

etiam,

etiam; vt Beati ſimus, ſuauitatis intimæ largitorem.

SCHOLIVM.

Plura huc de laudibus Platonis, & Vitis Philoſophorum tranſtuliſſem, niſi cogerer, breuior eſſe, quàm vellem. Vnuſquiſq; tamen hæc videre poterit, & dicto libro 8. de Ciuit. Dei à cap. pr. vſque ad 12., & vltra, & alibi apud ipſum; ibi etiam habebit, quam affinis ſit Doctrina Platouica noſtra Chriſtiana Religioni, & quænam huius affinitatis cauſa. Quoad Philoſophorum Vitas remitto Lectorem ad hiſtoricos, præcipuè ad Diogenem Laertium in Vitis Philoſophorum.

Quoad nomen verò quidditatem, & diuiſionem Philoſophiæ de

de quibus agit in his locis S. P. N.
Iam certum eſt, quod communiter ex vi vocis nihil aliud venit nomine Philoſophiæ niſi Amor Sapientiæ; ex eo forte quod præclaræ pulcherrimarum rerum cognitionis ſemper indiuiduus comes eſt Amor, & cum inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, conſpiciantur; ex cognitione, & Amore creaturarum facilè aſſurgit Creatura rationalis ad cognitionem, & amorem ſ[illegible] Vndè rectè ſtatuit, & in[illegible] S. P. quod ſi Sapientia eſt Deus, per quem facta ſunt omnia. Verus Philoſophus eſt Amator Dei.

Philoſophia Amor Sapientiæ.

Definiuit S. P. hic Philoſophiam ex Tulllo lib. 2. de officijs, quod ſit humanarum, Diuinarumque rerum cognitio; quæ ferè coincidit cum illa, quam tradit Philoſophus lib. 10. Metaph. c. 3.

&

Philoſophia Rerum humanarum & Diuinarum cognitio. & S. Io. Damaſc. lib. 4. ſuæ Dialectica. Cognitio rerum vt ſunt, quæ explicari poteſt, vt ſit cognitio rerum per ſuas cauſas; habent enim res creatæ eſſe per illas. Vnde ſicut ex admirari cæperunt homines philoſophari, ideſt ex notitia effectuum inquirere earum cauſas ignotas; Sic perfectè Philoſophus ille iudicandus eſt, qui cauſarum cognitionem eſt aſſequtus, & cum inter res, & cauſas [illegible] ſa prima cauſa, quæ eſt Deus; rectè dicitur has duas definitiones coincidere.

Celebris eſt etiam illa deſcriptio, quæ circumfertur ex Platone, nempe quod ſit Mortis meditatio. Qui enim ad veram *Philoſophia Mortis Medit.* Philoſophiam anhelat, docente Trimegiſto Corpus quoad fieri poteſt, quaſi veſtem exuere debet; nam (vt nos Diuina Oracula inſtruũt)

Cor-

Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem &c. deicit enim eum ad terrenam fæcem, ne intelligentiam cælitus hauriat, falſis decipiens imaginibus. Hanc igitur intellectualem à corpore, & rebus terrenis abſtractionem, & ſeiunctionem Verus Philoſophus appetere debet; delicata namq; res eſt Diuina contemplatio, & non dabitur admittentibus aliena. Commune igitur proloquium eſt, veram Philoſophiam eſſe ſolutionem animi à corpore, Mortis affectum, Moriendi conſuetudinem &c. Quod ſi hoc, quod eſt eſſe Amorem Sapientiæ, & Mortis contemplationem iungere velimus, poſſumus, ſic cum Platonicis philoſophari, vt amarè ſit quoddam mori iuxta illud eorum celeberri-

mum

mum ex Diuino Platonico Areopagita Axioma. Anima magis eſt vbi amat, quàm vbi animat. Vt ergo in hac Auguſtiniana paleſtra proficiamus, ſit animus noſter magis in dilectæ Sapientiæ habitaculo, quàm in terreni corporis ergaſtulo.

Inſinuat etiam hic duplicem Philoſophiæ partitionem tum à Platone traditam, tùm fere à cæteris Philoſophis receptam. Earum vna eſt in Rationalem, Naturalem & Moralem; cuius partitionis congruentiam rectè deſumit ex comparatione cum Artifice in quo ad aliquid efficiendum requiritur Natura, Doctrina, & Vſus. Quorum primum ingenio, ſecundum ſcientia, tertium vſu di iudicatur. Sunt igitur veluti tres gradus Philoſophiæ quibus proficit ſapiens, & Diuino fretus

Diuiſio Philoſophiæ in Rationalem Naturalem, & Moralem.

auxilio

auxilio ſumma petit, & ad Dei perfectiorem ſimilitudinem propius accedit.

Altera Philoſophiæ diuiſio eſt à S. P. N. hic tradita in Speculatiuam, & Practicam, quam poſtea alij ſapientes ſic explicarunt, & ſubdiuiſerunt, vt ſpeculatiua contineat Phyſicam, Metaphyſicam, & Mathematicam, hanc ſubpartiti ſunt in Geometriam, Arithmeticam, Aſtrologiam, & Muſicam. Practica vero diuiditur in Actiuam, & Factiuam. Actiuæ opera interna intellectus, & Voluntatis aſſignarunt; ita vt Rationalis opera Intellectus, Moralis vero ſub qua Monaſtica, Oeconomica, & Politica opera Voluntatis contempletur: Factiuæ verò opera externa Vocis, & Operis attribuere; pro opere videl. vocis congruæ Grammaticam; Ornatæ

Diuiditur etiã in Speculatiuam & Practicam.

vero

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vero Rhetoricam inſtituentes, Operis verò Omnes Artes Mechanicas: vide plura apud Conimbr.

Hæc pro nunc ex hoc Præludio Philoſophico Sancti Patris Noſtri prælibaſſe ſufficiat, plura ſuis locis dicturus. Hic enim ea tantum attingo, quæ magis neceſſaria ſunt ad Sacram Theologiam Auguſtinianam penetrandam, & ſenſus Scripturales, & Miſticos eiuſdem SS. Patriarchæ aſſequendos. Communia enim apud omnes habentur. Deueniendo igitur ad hanc Triplicem Philoſophiam Auguſtinianam. Primò gradum facio ad Rationalem, à qua accurata deſumitur Sciendi Methodus, & quærendi Scientiam Modus.

Tu Sanctiſſime Patriarca Noſter Auguſtine Pater Patrum;

Doctor Doctorum, Lumen Mundi, Fax Doctrinarum, omnium litterarum Pater, Firmamentum Eccleſiæ, Malleus Hæreticorum, Illuſtriſſimus Sacræ Theologiæ Magiſter, & Diuinæ Sapientiæ Abyſſus, qui Vniuerſum Orbem radio miræ claritatis illuminaſti, & Eccleſiæ S. Nauiculam in hoc Mari Magno prouide gubernaſti, fac vt hæc tua Philoſophica Carina in periculoſo tot difficultatum Oceano Fluctuans te Duce, ac Rectore incolumis feliciter Portum attingat.

Votaq; ſeruati ſeruent in littore Nautæ.

PHI-

PHILOSOPHIA
RATIONALIS
SIVE
LOGICA
S. P. N.
AVGVSTINI.

De natura, & obiecto Philoſophiæ rationalis.

CAPVT PRIMVM.

TEXTVS.

a Ex ib. de princip. Dialec. cap pr. b Ibid. cap. 5.

a DIALECTICA eſt benè diſputandi ſciẽtia, in qua b tractandum eſt de Verbis, dictionibus, de dicibilibus, & de rebus; c propterea

tereà hæc diſputationis diſci- c *Lib. 2. de Doctr Chriſt. c. 31.*
plina ad omnia genera quæſtio-
num, quæ in litteris ſanctis ſunt
penetranda, & diſſoluenda plu- d *Lib. pr. de ord. cap. 13.*
rimum valet d. Quandò nam-
que tranſiret ratio ad alia fabri-
canda, niſi ipſa ſua quaſi machi-
namenta, & inſtrumenta diſtin-
gueret, notaret, dirigeret? ipſa
diſciplina diſciplinarum docet
docere, docet diſcere: in hac ſe
ipſa ratio demonſtrat, atq; ape-
rit, quid ſit, quid velit, quid va-
leat. Scit ſcire, ſola ſcientes fa-
cere, non ſolum vult, ſed etiam
poteſt. e Scientia diuidendi, e *L. 2. de Doc. chriſt. c. 35.*
definiendi, atq; partiendi quam-
quam rebus falſis plerumque
adhibeatur, ipſa tamen falſa non
eſt, neque ab hominibus inſti-
tuta, ſed in rerum ratione com-
parata. f Reſtat igitur Dialec- f *Lib. 3. contra Acad. c. 13.*
tica, quam certè ſapiens benè

nouit; nec falſum ſcire quiſquã poteſt. Si verò eam neſcit, non pertinet ad ſapientiam eius cognitio, ſine qua eſſe ſapiens potuit, & ſuperfluo vtrum vera ſit, poſſitue percipi, quærimus &c. omnes illas propoſitiones, quibus ſupra vſus ſum, veras eſſe iſta me docuit;deinde per iſtam noui alia multa vera; ſed quam multa ſint, numerate ſi poteſtis &c. docuit me ſi cuius eorum, quæ per connexionem modo propoſui, pars antecedens aſſumpta fuerit, trahere neceſſario id,quod annexum eſt;ea vero, quæ per repugnantiam, vel diſiunctionem à me ſunt enunciata, hanc habere naturam, vt cum auferuntur cætera, ſiue vnum, ſiue plura ſint, reſtat aliquid, quod eorum ablatione firmetur. Docuit etiam me cum

de

de re conſtat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi, & quiſquis id faciat ſi imperitia faciat docendum eſſe, ſi malitia deſerendum, ſi doceri non poteſt, monendum vt aliquid aliud agat, quam tempus in ſuperfluis, operamque conſumat; ſi non obtemperat negligendum &c. De captioſis autem atque fallacibus ratiunculis breue præceptum eſt, ſi malè concedendo inferuntur, ad ea quæ conceſſa ſunt eſſe redeundum; ſi verum falſumque in vna concluſione confligunt, accipiendum inde quod intelligitur: quod explicari non poteſt relinquendum. Si autem modus iſte in aliquibus rebus latet penitus hominem, ſcientiam eius non eſſe quærendam. Hæc quidem ha-

beo à Dialectica, & alia multa, quæ connumerare non eſt neceſſe; neque enim debeo ingratus exiſtere. g Paulus Dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non ſolum cautè diſputabat ſicut & illi, ſed etiam veraciter, quod non illi. h In quo genere Dominus cum aduerſus Iudeos crebrò ageret, eos illorum reſponſione captos, concluſoſque conuicit. Inchoare voluit Ariſtoteles tractatum Logicum primò ab his, quæ ſunt, ſecundò de his quæ percipiuntur: tertiò de his quæ dicuntur. Primò enim ſunt res omnes, quas natura peperit: Secundò percipiuntur ea, quorum imagines in animo videmus, & formamus: Tertiò dicuntur illa quibus ea quæ ſunt impreſſa animo affirmantur.

g *Lib. precont. Creſc. cap. 13. & 14.*

h *ibid. cap. 17.*

h *Lib. 3. con. Acad. cap. ..*

i *de Categ. cap. 3.*

SCHO-

SCHOLIVM.

Statuitur hic à S. P. N. quid ſit Logica. Et primo quoad quid nominis prænoſcendum eſt, quod duo inter alia nomina magis vſitata Doctrina hæc à ſapientibus ſortita eſt. Logica videlicet, & Dialectica; Logica fuit dicta à Græco λογος *prout rationem, & mentem ſignificat, eo quod rationem perficiat in ordine ad ſuos actus eliciendos; hic enim eſt Logicæ finis; & à fine etiam, vult Philoſ. in lib. de Animat. 49. res appellandas eſſe. Et licet tàm Græci, quàm Latini vt etiam S. P. N. lib. ij. de Ciu. Dei c. 25. vſi ſint hoc nomine ſubſtantiue, non inuenitur tamen apud Philoſophum niſi vel adiectiuè, vel ad-* De Nominibus Philoſophiæ Rationalis.

uerbialiter; apud quem Syllogiſmus Logicus quandoq; idem eſt, ac Syllogiſmus communis; vel probabilis, vel etiam inanis; Et Logicè ſpeculari, eſt dicere ex communibus, & probabilibus, vel etiam ex inanibus. Hoc verò nomen Dialectica non habet eandem ſignificationẽ, & vſum apud omnes; nam ab Ariſtotele vſurpatur quidem ſubſtantiuè, ſed interdum pro habitu diſputandi de vnaquaque re, cuius munus eſt, de omnibus rebus probabiliter diſſerere; Qui habitus eſt valdè à Logica diſtinctus; Interdum ſumitur pro Doctrina tradita in libris Topicis, ſiue pro ea Logicæ parte, quæ agit de Syllogiſmo probabili, interdum etiam ſed rarò pro vniuerſa Philoſophia rationali. Qua ſignificatione vtitur ſæpè S. P. N., quæ vſum etiam nos

am-

amplectimur.

Pluribus alijs nominibus fuit hæc facultas à ſapientibus inſignita, maximè à S. P. Noſtro lib. pr. de ord. c. 13. dicta Doctrina Doctrinarum; ab alijs Scientiarum Apex, Comes, & adminiſtra Sapientiæ, Artium ars Maxima, Lux omnium Doctrinarum, Diſciplina diſciplinarum, Scientia veritatis, Sciendi modus, Dux mentis, Norma Veri, & falſi; Via & modus ſciendi, & omnium Scientiarum inſtrumentum. Verum hæc ſunt potius, Encomia, & Laudes indicantia eius utilitatem, & neceſſitatem, quàm nomina viſitata quibus vulgariter ſoleat appellari.

Quoad quid rei, rectè fuit definita à S. P. hic, quod ſit benè diſputandi Scientia. *Poſſet etiam ex eodem lib. 2. de Doctr. Chriſ-*

Quid ſit Logica. *tiana c. 35. & ex hoc loco lib. 1. de Princ. Dialect. dici; Quod ſit Scientia definiendi, diuidendi, ac benè diſputandi. Verum eo ipſo quod dicitur, quod ſit ſcientia benè diſputandi, dicitur etiam implicitè, quod ſit Scientia benè definiendi, & benè diuidendi; ſine peritia enim definitionum, & diuiſionum non poteſt quis, rectè diſputare. Sicut cum dicitur homo eſt Animal rationale implicitè dicitur quod ſit ens, ſubſtantia Corpus viuens. In idem recidit definitio quam tradidi in Idea Philoſophiæ, & Theol. Auguſt. vbi dixi. Quod Logica eſt Scientia directiua operationum intellectus, habens pro obiecto modum Sciendi tùm realem, tùm obiectiuum; nam & definitiones, & diuiſiones, & ſyllogiſmi ſunt modi ſciendi, poſui tùm formalem,*

 tùm

tùm obiectum quia alter eſt forma denominans; Alter vero eſt ſubiectum denominatum.

Quari hic poteſt an Logica ſit verè ſcientia? parti affirmatiuæ ego me ſubſcribo tum propter Auct. S. P. N. tum propter rationem euidentiſſimam; conſtat enim certò certius Logicam eſſe cognitionem demonſtratiuam certam, & euidentem per proprias cauſas, demonſtrat enim neceſſitatem Primæ Figuræ, Numerum Figurarum, Virtutem definitionis, & cætera huiuſmodi, & confirmatur quia ſi Logica non eſſet Scientia, profecto nulla alia eſſet Scientia diſcurſiua, nulla enim huiuſmodi Scientiarum aquiritur, niſi certò conſtet Concluſiones illius eſſe certas, Atqui hoc non ſcitur niſi præſidio Logicæ, iuxta cuius præcepta expenduntur demonſtra- Eſt ſcientia

tiones in alijs S.ientijs facta ergo ſi regula non ſit certa, neq; erunt certæ Concluſiones, quæ ab illa pendent.

Inſinuat hic S. P. N. ea omnia quæ ad obiectum tùm proximum, tùm remotum Logicæ ſpectant cum ait tractandum eſt de Verbis, dictionibus, de dicibilibus, & de rebus. *Eſt enim commune apud Philoſophos quod Logica agit de rebus omnibus tanquam de materia remota, & propterea in ea traditur rudis notitia Prædicamentorũ, vt Dialecticæ Stud. valeant ex prædictis communioribus diſputare de quacumque re. Voces vero, & conceptus expreſsi per illas particulas de verbis, & dicibilibus, (datur enim, & verbum internum quod eſt animi conceptus, & nihil eſt dicibile niſi prius animo cõcipiatur) ad obiectum*

Obiectum Logicæ.

tum

tum propinquum ſpectant; nam ſine conceptibus non datur modus ſciendi mentalis, & ſine dictionibus non datur modus ſciendi vocalis, propterea ab erudito P. Gonzalez fuit diſtributa ſua Logica SS. Auguſt. & Thomæ in Realem, (quæ eſt de ente, & ſub ente contentis) Mentalem, & Vocalem.

Quæres hic, quodnam ſit verè, & propriè Logicæ obiectum. R. quod commune eſt apud Philoſophos, obiectum Logicæ eſſe modum rectè, ac ſine periculo erroris exercendi actus intellectus circa proprium obiectum; nam ſicut Scientiæ factiuæ obiectum eſt factio recta, & Scientiæ actiuæ recta actio, ſiue rectus modus operandi; ita obiectum Scientiæ rationalis, ſeu directiuæ potentiæ Intellectiuæ debet eſſe modus rectè exer-

cendi operationes eiuſdem potentiæ, qui modus rectus ſunt ipſa regulæ, quarum cognitio in Logica traditur. Aſt longa contentione dubitatum eſt inter Auctores, quidnam importet modus iſte rectè operandi intellectus. Siue vt clarius dicam, quid ſit id, quod nobis obijcitur cognoſcentibus regulas Logicæ.

Res omnes qualiter in Logica conſiderantur.

In hac pugna primò reijciuntur illi, qui volunt Logicæ proprium, proximum, & adæquarum obiectum eſſe res omnes reales abſolutè ſumptas; hoc enim eſt confundere Logicam cum alijs ſcientijs; Quod & illi præſtant, qui ſtatuunt pro obiecto formali Logicæ operationes intellectus ſecundum ſe, & præciſe ſpectatas, huiuſmodi enim cognitio vt ſic ad Animaſticum ſpectat. Vtrorumq; Argumenta ad ſummum probant

ista

iſta eſſe obiectum remotiſſimum Logicæ, & nihil vltra.

Alij, qui ſentiunt cognoſcentibus regulas Logicæ obijci per ſe Voces, ſi præter hoc nihil aliud ponant non ſunt admittendi in Schola S. P. Auguſtini; ſi vero velint, & cognitionem modi ſciendi Vocalis præter mentalem &c. ad Logicum pertinere omnino loquuntur ad mentem eius; quorſum enim ſpectant illæ longæ Tractationes de Vniuocis, de Æquiuocis, de Analogis, de Signis, de Fallacijs in dictione poſitis, &c. huiuſmodi quæ in vocibus ſuam vim habent, ſi Voces nullo modo ad Logicum ſpectant. Nec valet dicere quod hoc eſſet Logicam circa nobiliſſimam Potentiam verſantem ad Grammaticam deijcere, nam hoc verum eſſet ſi eodem modo verſaretur, ac

Voces non ſunt obiectū adæquatum.

Gram-

Grammatica. Atqui diuerſo modo, nam hæc conſiderat voces, vt congruam orationem conſtituunt; illa verò vt conducunt ad perfectum modum ſciendi tùm vocalem, tùm etiam mentalem, quod non ſpectat nec ad Grammaticum, nec ad Rhetoricum. Et quidem modo humano loquendo ſine Vocibus, aut ſcriptis non poteſt doceri nec Logica, nec alia Scientia; & cum de his vt conſtituunt modum ſciẽdi Vocalem, & ſunt ſigna modi Sciendi mentalis nulla alia Sciẽtia tractet, ad Logicam de illis hoc modo agere ſpect. Quod de ſcriptis etiam dictum intelligitur, hæc enim non habent ſpecialem difficultatem.

Maior contentio de hoc obiecto eſt inter ponentes, & negantes eſſe ens rationis; & quidem ſi affirmantes ſolum vellent has denomina-

mina-

minationes Generis, Speciei, Subiecti, Prædicati, Syllogiſmi, & reliquas, quas ſecundas intentiones appellant, ad Logicam ſpectare, non tamen vt obiectum adæquatum, ſed eo modo, quo etiam Voces in ea conſiderantur, admitti poſſent; quod ſi contendant illa eſſe obiectum totale, & adæquatum, & præter entia rationis Logicam nihil aliud habere pro obiecto formali, & totali ſuæ contemplationis, cenſeo non eſſe verum nec ad mentem S. P. N., & probatur quia ſic ponendo excluderetur Logica à numero Scientiarum realium, & collocaretur inter noſtri intellectus figmenta, cum enim Scientia ſpecificetur ab obiecto, & Logicæ obiectum, Principia, & affectiones nullum eſſe haberent, niſi quod illis obiectiuè tribueret intellectus; iam à numero Scien-

Ens rationis non eſt obiectũ adęquatum.

tiarum realium excidiſſet; quod nullus Philoſophus faciliter concederet.

Cenſeo igitur quod cum S. P. N. ait; Quando tranſiret tranſiret ad alia fabricanda, niſi ipſa ſua Machinamenta, & inſtrumenta diſtingueret, notaret, dirigeret &c. Scit ſcire, ſola Scientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt vt litt. D. *intendat.*

Obiectum Logicæ eſſe rectum modum realem operandi intellectus tàm formalem, quàm obiectiuum; Alterum tanquam formam denominantem, alterum tamquam ſubiectum denominatum, & ex vtroque modo integrari Logicæ obiectum, quod ſic explicatur, & probatur ſimul. Modus ſciendi formalis eſt ipſe actus intellectus, per quem definimus, diuidimus, & ratiocinamur. Obiectiuus vero

Obiectum eſt modus realis operandi intellectus tam formalis, quam obiectiuis.

ro

ro eſt ipſum obiectum, circa quod modus ſciendi formalis verſatur. Porrò modus ſciendi tàm formalis, quàm obiectiuus poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum naturam, & eſſentiam, & hoc modo cum modus ſciendi formalis ſint ipſi actus intellectus, ad Animaſticum pertinebunt. Modus verò ſciendi obiectiuus ad illam ſcientiam referri debet in cuius obiecti latitudinem res illa, quę cognoſcitur, continetur. Vel poſſunt conſiderari, vt modus ſciendi formalis verè, & realiter facit ſapientem. Obiectiuus verò quatenus per illos actus certò, infallibiliter, & euidenter cognoſcitur, hoc modo dicimus hos duos modos conſtituere vnum totale, & adæquatum obiectum Logicę; alterum videl. obiectiuum tanquam ſubiectum denominatum; Alterum

verò

verò ideſt formalem tanquam formam denominantem. Sub hac enim ratione à nulla alia ſcientia conſiderantur, & cum faciant verè, & realiter ſcire, non poteſt dici quod vt talia ſint entia rationis.

Ex c., & d. Oritur quæſtio an Philoſophia rationalis ſit ſcientia Practica, an vero Speculatiua ſolùm. Et quidem loquendo de mente S. P. N. videtur velle eam eſſe ſimpliciter Practicam; dum ait: Hæc diſputationis diſciplina ad omnia genera Quęſtionum, quę in litteris Sanctis ſunt penetranda, plurimum valet; vbi videtur quod intendit eam non ſiſtere ſimplicitet in contemplatione ſui obiecti, quod eſt proprium ſcientiæ merè ſpeculatiuæ, Quod clarius explicat dicendo. Quando tranſiret ratio ad alia fabricanda,

Eſt Scientia Practica.

da, niſi ipſa. (*ideſt Dialectica, de qua ibi loquitur*) Sua quaſi Machinamenta, & inſtrumenta diſtingueret, notaret, dirigeret &c. Scit ſcire ſola ſcientes facere, non ſolum vult, ſed etiam poteſt &c. *Hęc ſunt munera ſciẽtię Practicę ergo de mente eius eſt illam eſſe verè, & ſimpliciter Practicam.*

Nec obſtat, quod habet idem S. P. N. lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 4. vbi cum diſtinxiſſet Philoſophiã in Actiuam, & contemplatiuam; & poſteà adduxiſſet diſtinctionem Platonis in Naturalem, Rationalem, & Moralem, ſic eam explicauit. Vnam Moralem, quæ maximè in actione verſatur. Alteram Naturalem, quæ contemplationi deputata eſt: Tertiam rationalem, qua verum determinatur à falſo, quæ licet vtri-

que,

que, ideſt actioni, & contemplationi ſit neceſſaria, maximè tamen contemplatio perſpectionem ſibi vendicat Veritatis. *Per quæ verba prima facie perſpecta videtur ſimpliciter velle, quod magis ſit Speculatiua, quam Practica. (Et ingenuè fateor, quod ſi vrgentur, multum iuuant ſententiam oppoſitam.) Verùm ſi attentè conſideretur; hic non aſſignat finem intrinſecum, & proprium ſolius Logicæ; Sed tantum communem omnibus; nam quælibet ſcientia ſua contemplatione intendit perſpicere Veritatem, & ſic Logica, cum & ipſa ſit ſcientia, habet hunc finem communem cum alijs; at præter hoc habet conſtruere, & dare regulas ad conficienda inſtrumenta ſcientiarum, & modos ſciendi; Et hic eſt finis proximus proprius, & intrinſecus illius*

ad

ad quem diriguntur omnes cognitiones illius, & per conſequens neceſſariò ſimpliciter erit potiùs dicenda Practica; vt ipſe S. P. indicat illis verqis. Quando ratio tranſiret ad alia fabricanda &c. vtſupra.

Ratio propria, & cardinalis huius aſſertionis hæc eſt: Scientia Practica eſt cognitio immediatè, ac formaliter directiua praxis. Speculatiua verò, quæ intendit ſolum Veritatem ſui obiecti, & in ea perſpectione ſiſtit; Quod ſi quandoq; operans iuuatur ab illa in ſuo opere, non eſt ex eo quod dicta cognitio habeat pro obiecto, aut fine intrinſeco dictum opus; ſed quia operans dirigit illam ad illud opus tanquam ad finem ſcientis, & operantis non vero tanquã ad finem intentum ab ipſa ſcientia. Atqui Logica habet pro obiec-

to ſpecificatiuo, & per conſequens pro fine intrinſeco directionem Praxis, modum videlicet ſciendi, & ſcire conficere inſtrumenta cognoſcendi rerum Veritatem, vt ibi indicat S. P. N. ergo abſolutè, & ſimpliciter erit Scientia Practica.

Nec valet dicere, procedit modo reſolutorio; ergo eſt ſcientia Speculatiua. Reſpondetur enim quod Logica procedit magis modo compoſitorio, quam reſolutorio. Docet enim primò, & principaliter componere Inſtrumenta ſciendi, & reſolutiones, quas habet, dirigit ad hunc finem ſibi intrinſecum. Arbitror enim vnamquamque Scientiam Practicam habere ſuas reſolutiones, & non diſtingui Scientias Practicas à Speculatiuis, quod iſtæ habeant ſolum modi procedendi reſolutorium, illæ verò

com-

compoſitorium ſolum. Sed per hoc quod ſcientiæ ſpeculatiuæ non habeant compoſitorium cum non dirigant ad praxim. Practica verò haaeant compoſitorium quidem pro principaliori, reſolutorium verò ordinatum ad compoſitoriũ, neque enim video quomodo ſcientia, quæ ſcit componere, non ſciat etiam reſoluere, cum ad compoſitionem requiratur prius cognitio partium &c. Ex quibus illud opus componitur &c.

Ex illis verbis. Scit Scire, Sola Scientes facere. *Oritur difficultas, an verè Logica ſit vna Scientia, vel multiplex. In qua queſtione ſentio eſſe de mente S. P. quod ſit vna Scientia; quod non obſcurè iudicat illa particula, Sola, & etiam probari poteſt ex illa diuiſione Philoſophiæ, quam ſupra tradidit, qua adæquate fuit diui-* *Eſt vna ſpecie ſcientia.*

ſa

ſa à Platone in Naturalem, Rationalem, & Moralem. Et licet plures velint eſſe multiplicandam ſpecie Logicam ſecundum diuerſa obiecta, quæ conſiderat; nihilominus non eſt dicendum quod illa plura obiecta non integrent vnum totale, & adæquatum obiectum Logicæ totalis. Licet enim poſſet aliquis ſic partiri Logicam vt vna eſſet Logica docens definitionem: Altera diuiſionem &c. nihilominus vnaquæque illarum non eſſet integra, & totalis Logica, quam intendimus. Quinimmo nec poſſet haberi Scientia de definitione, vel de diuiſione ſine demonſtratione; Scientia enim eſt cognitio rei per cauſam, & quod illius cauſa ſit, & quod non contingat aliter ſe habere, quod non habetur vllo modo ſine demonſtratione, quæ eſt Syllogiſmus faciens ſcire. Et cum cogni-

gnitio demonſtrationis ſupponat neceſſariò cognitionem definitionis, & diuiſionis: manet non poſſe eſſe vnam integram, & totalem Logicam, ſi non includat cognitionem perfectam omnium inſtrumentorum Sciendi, & eorum quæ ad illa penetranda neceſſario requiruntur.

Ex illis pariter verbis. Quando tranſiret ratio ad alia fabricanda, &c. vt ſupra. *Et ex illis.* Sola Scientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt. *Inſinuatur neceſſitas Logicæ Artificialis. Quæ licet ad alias Scientias in gradu imperfecto comparandas non ſit ſimpliciter neceſſaria; ad eas tamen in gradu perfecto comparandas via, & modo naturali, & ordinario iudico eſſe ſimpliciter neceſſariam. Ordo enim concluſionum cum Principijs, depen-* Neceſſitas logicæ.

dentia vel neceſſaria, vel contingens vnius propoſitionis ab alia, repugnantia inter contradictorias, contrarias &c. huiuſmodi infinita non poſſunt naturaliter ſciri ſine Logica, & ſine his non habet quis ſcientiam in gradu perfecto; nam opus eſt vt cognoſcat certò, & euidenter res per ſuas cauſas, & quod illius cauſa ſint, & quod non contingat aliter ſe habere, ideſt quod ſciat ſoluere omnes rationes, & Argumenta, ſiue Topica, ſiue Sophiſtica; quod ſine præſidio Logicæ fieri nequit, vt indicat hic S. P. N. & maxima ad Quæſtiones Sacræ Theologiæ plurimum valere; pro quibus potiſſimum Religioſa cura deſudat c. 5. de Princ. Dialect. & in lib. de Doctrina Chriſtiana apertè indicat, & probat.

Ex dictis ſupra litt. c. ideſt

hæc

hæc diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum &c. plurimum valet. *D.* Quando namque tranſiret ratio ad alia fabricanda &c. *& ex litt. f. ab illis verbis* Reſtat igitur Dialecticam quam certè ſapiens bene nouit &c. *Conſtat finis ipſius Logicæ qui eſt dirigere operationes intellectus. Nam ſicut ad dirigendas operationes Voluntatis inuenta eſt ſcientia Moralis, & ad perfectè dirigendas potentias factiuas inuentæ ſunt artes; ita ad perfectè dirigendas operationes potentiæ intellectiuæ; Quæ ſicut Voluntas, & potentia factiua indifferens eſt, ac indeterminata ad benè; vel malè operandum, inuenta eſt Logica, quæ etiam à directione actuum rationis Rationalis nomen inuenit. Quia verò duplex finis communiter aſſignatur; Proximus*

ximus videlicet, & remotus; inquiri hic poteſt quinam ſit Proximus, quiue remotus. Ratio dubitandi eſt circa finem proximum. Quia duplex eſt directio operationum; Actiua vna, Paſſiua altera; Et cum in Logica directio Actiua ſit illa cognitio reflexa, quæ nos docet Naturam modi ſciendi, & altero nomine dicitur directio formalis; directio verò paſſiua, quæ eſt ipſe modus ſciendi cognitus, & cum ſit obiectum illius dicitur etiam obiectiua; dubium eſt quænam ex his ſit finis proximus, & intrinſecus. Cui breuiter reſpondetur, eſſe hanc directionem paſſiuam; ad hanc enim ordinantur ea omnia, quæ in Logica traduntur; Finem verò remotum, & extrinſecum, ad quem Logica ex natura ſua ordinatur, eſſe alias ſcientias, ſiue veritatem circa obiecta alia-

rum

rum ſcientiarum; hoc eſſe de mente S. P. N. patet ex dictis, maxime litteris c. d. & f.

Dignitatem Logicæ aperit lib. pr. contra Creſc. l. g. ex eo quod & S. Paulus Apoſtolus, & Chriſtus Dominus ea vſi ſunt ad conuincendos errores, & Sophiſmata aduerſariorum S. Fidei; Vnde vt inſeruiens ſacris litteris rectè dici poſſet Turris Dauid ędificata cum propugnaculis, ex qua mille Clypei pendent, omnis Armaturam fortium. Dignitas Logicæ.

Seriem quam tenuit Philoſophus, & illius rationem aſſignat, vt habetur ſub l. h. illis verbis Inchoare voluit Ariſtoteles tractatum Logicum primo ab his quæ ſunt, ſecundo de his quæ percipiuntur: tertio de his quæ dicuntur, *quę prębent optimum fundamentum diſtinguendi Logi-*

cam in Realem, Mentalem, & Vocalem; quam ego diſtinctionem ſequerer, vt fecit eruditiſſimus P. Franciſcus Gonzalez è Soc. Ieſu in ſua Logica, quam inſcripſit SS. Auguſtini, & Thomę, niſi in Scholis inualuiſſet ordo Peripateticus, quem propterea ego in hac Philoſophia ſequor, ob quam etiam cauſam hanc Auguſtinianam Philoſophiam huic methodo accomodaui.

COROLLARIVM.

MAneat ergo ex dictis 1. *eſſe de mente S. P. N. Auguſtini; Philoſophiam Rationalem vtroq; vſitato nomine ſubſtantiuè eſſe appellandam Logicam videl. & Dialecticam.* 2. *Eam non eſſe numerandam inter habitus erroneos, neq; inter eos, qui quandoq; in-*

inclinant ad verum, quandoq; ad falſum, nec etiam in illis regulis, quę ſunt circa Topica, nam & illę ſemper verum dicunt; Licet vſus illarum regularum errorem, ac falſitatem admittat, quod eſt Topicam Vtentem eſſe habitum, in quem falſitas, & error cadere poſſunt, non verò Topicam docentem;

3. Eſſe collocandam inter illos habitus, quibus anima affirmando, vel negando ſemper verum dicit; qui à Philoſopho quinque enumerantur, nempè Intellectus, Sapientia, Prudentia, Scientia, & Ars. Et cum non ſit Intellectus, qui tantum circa prima principia verſatur. Nec Sapientia, quæ Nobiliſſimas Primas, & Supremas Cauſas contemplatur. Nec Prudentia. cum non conſideret actiones Voluntatis; manet eam eſſe collocandam inter Scientias, vt dictum

eſt. Et inter Artes liberales videtur eam reponere lib. 4. Conf. c. 16. Neque enim repugnat vnam, eandemque cognitionem habere ſtatum Scientiæ, & ſtatum Artis; Scientiæ quidem quatenus eſt euidenter demonſtrata, & Artis quatenus eſt regula certò, & infallibiliter operandi. Ea propter Logicam in eo ſtatu, quem habet in introductione, ſeu vt communiter dicitur in ſummulis; cum ibi non dentur demonſtrationes, ſed ſolum ſimplex notitia de illis regulis, non uideo quem alium ſtatum habeat, quam Artis liberalis; accedit communis uſus, quo ſemper fuit repoſita inter Artes liberales. 4. Obiectum illius eſſe rectum, & realem modum operandi intellectus tàm formalem, quàm obiectiuum, ideſt totalem modum ſciendi, à quo ſumit ſuam unitatem

ſormalem, cum ipſe modus ſciendi habeat ſufficientem Vnitatē obiectiuam in eſſe ſcibilis. Et uoces, ac Scripturas in tantum ſpectare ad Logicam; in quantum ſunt ſigna, ſine quibus homines naturali modo vtentes non poſſunt communicare inuicem ſuos conceptus, & ſciendi modos. Entia verò rationis in quantum ſunt denominationes extrinſecæ attributæ ab intellectu Naturis conceptibus &c. Syllogiſmos, & Demonſtrationem eſſe quidem obiecta principalia, ſeu vt vocant attributionis; adæquatum verò, & totale eſſe modum ſciendi, quatenus comprænendit etiam definitionem, & Diuiſionem, & ſi quæ ſunt alia quæ per ſe, & formaliter ſub ratione modi ſciendi contineantur. 5. Simpliciter eſſe Scientiam Practicam, ſecundum quid verò Speculati-

uam. Finem eius proximum, & intrinſecum eſſe directionem paſſiuam operum intellectus. Remotum verò, & extrinſecum veritatem circa obiecta aliarum ſcientiarum. 6. Logicam quidem Naturalem eſſe omninò, & ſimpliciter neceſſariam ad alias Scientias acquirendas. Artificialem verò ad quamlibet concluſionem particularem eſſe quidem valdè vtilem, non tamen abſolutè neceſſariam. Ad ſcientias verò totales perfectè acquirendas ſimpliciter neceſſariam eſſe ſaltem propria induſtria comparandas. 7. Dignitatem eius eſſe ex coniunctione quam habet cum cæteris omnibus ſcientijs, vt ſine illa dirigente modum, & formam ſciendi, & ſcientiæ non induant, & maxime ex eo quod ſit Miniſtra Princeps Sacræ Theologiæ in fugandis tenebris hære-

hæreſum, & erroribus Philoſophorum Gentilium, quã vt tali non eſt dedignatus vti Vas Electionis S. Paulus Apoſt., nec ipſa Sapientia Increata, quando carne induta dignata eſt per ſe, cum huiuſmodi Veſpertilionibus dimicare. 8. Ordinem optimum eſſe eam inchoare ab his, quæ ſunt, ideſt à rerum realium notitia; 2. ab his, quæ percipiuntur, ideſt à conceptibus mentis; 3. ab his, quæ dicuntur, ideſt à vocibus, quem ordinem indicat tenuiſſe Philoſophum. Verùm hæc ità inter ſe permixta ſunt, vt vix agi poſſit de vno, quin de alio agatur. Ea propter ordinem in Scholis receptum, in quo ille iam dictus à S. P. N. includitur, ſequemur. Vt primo de Vniuerſalibus. Secundo de Predicamentis. Tertio de Enunciationibus. Quarto de Syllogiſmis, & Syllogiſmorum

De Vniuerſalibus, ſpeciebus tractemus, & ea quæ S. P. N. Auguſtinus protulit in medium afferamus, & explicemus.

De Vniuerſalibus, ſeu Prædicabilibus.

CAPVT SECVNDVM.

T E X T V S.

a Ex lib. Categ. c. 7.

a QVoniam de Cathegoriarum omnium generibus,& ſpeciebus,& differentia locuturus eſt (*Philoſophus*) inſpiciendum prius quid ſit genus, quid ſit ſpecies, quid differentia b. Genus igitur eſt, quod ſecundum multa, & differentia, quid ſit ſpecie, oſtenditur, atque ſignificatur, vt eſt Vſia. Omne quidem Vſiam dicimus,

b ibid.

cimus, ſed hoc commune nomen ſpecie ſeparatur, cum dicimus animal, vel lapidem c. Differentia eſt, quæ ſecundum multa, & differentia non quid ſit, ſed quale ſit ſpecie predicatur. Genus ergo, & differentia ſpecie ſignificatur, ſed genus quid ſit, differentia autem qualis ſit, ſpecie poſſunt agnoſci d. Species autem, quam quidam, & formam vocant, quæ ſecundum multa, & differentia, quid ſit numero, prædicatur, atque cognoſcitur, vt eſt homo; hoc nomen homo omnes complectitur. Vt genus nullum eſt, quod non habeat differentiam, ſic nec differentiam intelligere debemus, quæ ſpecies non habebit e. Eorum generum, quæ inter ſe diuiſa ſunt, nec differentias eaſdẽ poſſe eſſe, nec ſpecies. Illa verò gene-

c *ibid.*

d *ibid.*

e *ibid.*

genera, quæ alterna ſibi ſocietate coniuncta ſunt, eaſdem differentias, & eaſdem ſpecies habent. f Decurſis partibus, per quas Vſia definita eſt, & alio modo voluit eam definire, ſi oſtenderet ea, quæ neceſſe eſt, in ea naturaliter inueniri; ea enim, quæ inſunt, vtique aut in ſolo, & in omni; aut in ſolo, & non in omni; aut in omni, & non in ſolo; aut nec in ſolo, nec in omni. Ex his duo ſunt, quæ ad inueſtigandum aliquam viam monſtrant, & duo, quæ certum aliquid ſignificare, non poſſunt. Illa ſunt, quæ certis ſignis id, in quo fuerint, poterunt demonſtrare; ideſt primum in ſolo, & in omni; dubitari enim non poteſt, quin cum inueneris, pronuncies quid ſit, in quo ineſſe cognoſcitur. Alterum eſt in ſolo nō in omni;

f *Ex lib. Categ c.8.*

non

non quidem virtutis eiuſdem, verùm quod ad definiendam rem neceſſariò quærendum eſt, ſi primum non potuerit inueniri. Id quod eſt nec in ſolo, nec in omni, nihil ex hoc poſſumus agnoſcere, ſi quidem cum generale eſt, alterum in omni non in ſolo non habet differentiam propterea que ſimiliter reſpuendum eſt.

Accidens autem non ſolet dici, niſi quod, aliqua mutatione eius rei cui accidit, amitti poteſt. Nam, & ſi quædam dicuntur accidentia inſeparabilia quę græcè appellantur ἀχώριστα ſicut eſt plumæ corui color niger, amittit eum tamen, non quidem quamdiu pluma eſt; ſed quia non ſemper eſt pluma. Quapropter ipſa materies mutabilis, & ex eo quod deſinit eſſe il- *Ex lib. 5. de Trinit. cap. 4.*

lud

lud animal, vel illa pluma, totumque illud corpus in terram mutatur, & vertitur, ammittit vtique etiam illum colorem. Quamuis, & accidens, quod ſeparabile dicitur, non ſeparatione, ſed mutatione amittatur, ſicuti eſt capilli hominum nigritudo, quoniam dum capilli ſunt, poſſunt albeſcere, ſeparabile accidens dicitur. Sed diligenter intuentibus ſatis apparet, non ſeparatione quaſi emigrare aliquid à capite, dum caneſcit, vt nigritudo inde candore ſuccedente diſcedat, & aliquo eat, ſed illam qualitatem coloris ibi verti, atque mutari. Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut ammiſſibile. Quod ſi & illud dici accidens placet, quod licet non amittatur, minuitur tamen vel

auge-

augetur, ſicuti eſt animæ vita: nam & quamdiu anima eſt, tãdiu viuit, & quia ſemper anima eſt, ſemper viuit, ſed quia magis viuit, cum ſapit, quia minus cum deſipit, fit etiam hic aliqua mutatio, non vt deſit vita, ſicut nec deeſt inſipienti ſapientia, ſed vt minus ſit: nec tale aliquid in Deo fit, quia omninò incommutabilis manet. Quamobrem nihil in eo ſecundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit, nec tamen omne quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur. In rebus autem creatis, atque mutabilibus, quod non ſecundum ſubſtantiam dicitur, reſtat ſecundum accidens dicatur; omnia enim accidunt eis, quæ vel amitti poſſunt, vel minui, & magnitudines, & qualitates, & quod dicitur ad aliquid, ſicut amicitiæ,

tiæ, propinquitates, ſeruitutes, ſimilitudines, æqualitates, & ſi qua huiuſmodi, & ſitus, & habitus, & loca, & tempora, & opera, atque paſſiones.

Ex cap. 5. ibid. In Deo autem nihil quidem ſecundum accidẽs dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt, nec tamen omne quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non eſt accidens: quia & ille ſemper Pater, & ille ſemper Filius, & non ita ſemper quaſi ex quo natus eſt Filius, vt ex eo quod numquam deſinat eſſe Filius, Pater non deſinat eſſe Pater, ſed ex eo quod ſemper natus eſt Filius, nec cœpit vmquam eſſe Filius. Quod ſi aliquando eſſe cœpiſſet, aut aliquando eſſe deſineret Filius, ſecundum ac-

cidens

cidens diceretur &c. Quamobrem quamuis diuerſum ſit Patrem eſſe, & Filium eſſe, non eſt tamen diuerſa ſubſtantia, quia hæc non ſecundum ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundum relatiuum, quod tamen relatiuum non eſt accidens, quia non eſt mutabile.

SCHOLIVM.

COmmunis ſenſus eſt, ad eam doctrinam, quam Philoſophus tradit in Prædicamentis rectè penetrandam, eſſe neceſſariam aliquam notitiam generum, ſpecierum, & reliquorum prædicabilium, quod indicat hic S. P. N. cum ait: Quoniam de Categoriarum omniũ generibus &c. inſpiciendũ prius eſt. Quid ſit genus. *Hoc idem inſinua-*

ſinuauit Porphyrius in ſua illa celebri Iſagoge, propterea hic pro nunc aliqua magis neceſſaria attingam, grauiores difficultates ad Appendicem Metaphyſicam remittens.

Conſtituitur communiter Vniuerſale huius operis ſubiectum, prædicabile verò, à quo Tractatus ſuam denominationem ſumpſit, acceptum formaliter eſt potius proprietas, quæ de ipſo Vniuerſali vt de ſubiecto certa demonſtratione oſtenditur. Hoc Vniuerſale communiter definitur. Vnum aptum eſſe in multis, & deſcribitur. Vnum aptum prædicari de multis. Rectè fuit diuiſum in illas quinque vulgatas Species, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, de quibus S.P.N. egit in locis ſupra citatis, ad quas Species Vniuerſale ſe habet vt genus Vni-

Quid ſit Vniuerſale.

nocum

uocum ad Species ſibi ſubiectus; ita tamen hanc Vniuerſalis diuiſionem admittimus veluti bonam, & facilem, & adæquatam, vt non negemus pluribus alijs modis rectè fieri potuiſſe; nam & eruditiſſimus in omni diſciplinarum genere P. Franciſcus Macedo in ſua per celebri Encyclopedia animaduertit, poſſe ſuſtineri cum S.P.N. Auguſtino, ſufficienter diſtingui Prædicabile in Genus, Speciem, & Differentiam, ea fortè de cauſa, quod differentia ſubdiuidi poſſit in eſſentialem, & accidentalem, & accidentalis ſubdiuidi in propriā, & communem. Sic etiam ampliando potuiſſet diuidi Differentia in ſubalternam, & infimam, ac eodem pariter modo Proprium, & alijs fortè modis. Sed hic modus eſt magis celebris, & vſitatus; Quem non latuiſſe S. P. N. oſten-

ditur

ditur ex prædictis locis, & cum loquendum ſit cum multis, ne de vocibus ſit diſſenſio, libenter domanus communi modo loquendi.

Quomodo Vniuerſale ſit genus ad 5. prædicabilia. *2. Sed eſto Vniuerſale ſe habeat vt genus ad quinque prædicabilia, non ſpectat tamen eſſentialiter ad primum prædicabile, quia hoc modo ſumptum eſt ſupra omnia illa quinque, & de illis quidditatiue prædicatur, vt fert communiſſima opinio: ſed ſolum accidentaliter ſub primo prædicabili, hoc eſt genere conſtituitur; Contingit enim illi participare rationem ſpeciei ſibi ſubiectæ propter illam ſimilitudinem vniuerſalium. De his plura moderni Philoſophi omnes, in his enim immorari non poſſum, meus enim labor feſtinat ad explicandam mentem S. P. N. Auguſtini, cætera communia apud omnes habentur, vel explica-*

plicata, vel impugnata, & ſuperuacaneum eſt actum agere.

DE GENERE.

A*Git hic S. P. N. Auguſtinus, & ſic illud definit.* Quod ſecundum multa, & differentia quid ſit Specie ſignificatur. *Pro cuius explicatione. Vt verè, & ſincere fatear Veritatem, arbitror eſſe de mente S. P. N. & ferè omnium antiquorum Vnitatem Vniuerſalitatis non eſſe aliam, præter vnitatem conuenientiæ, & ſimilitudinis; & nullam aliam Vnitatem requiri. Scio hanc poſitionem eſſe aduerſus validum torrentem ferè omnium Philoſophorum modernorum, maximè quorundam ex Schola Thomiſtica, & aliorum ex Schola Nominalium, quorum alij Vnitatem quandam Chimæricam*

Vnitas Vniuerſalitatis non eſt alia præter Vnitatem ſimilitudinis, & conuenientiæ.

eam prædicant, alij neſcio quam Vnitatem confuſionis; Qui informanda natura Vniuerſali mirabiliter ludunt, & ingenia miſerabiliter torquent, vt obſeruauit Doctiſſimus P. N. Mauritius à Matre Dei Augnſt. Excalc. in ſua Logica qu. pr. c. 1. dum in concipienda aliqua natura, quæ ſit vna, & communis in ſingulis eadem manens, infinitos actus commenti ſunt abſtractionis, præciſionis, comparationis, in quibus multa vel leuia, vel impoſſibilia dici oſtendam in Metaphyſicis. Sed nunc pro veritate ſtando: Sufficientiam huius vnitatis ſic breuiter explico, & probo. Ideo dicitur natura vniuerſalis ad diſtinctionem ſingularium incommunicabilium, cuiuſmodi eſt Natura Diuina, & natura propria cuiuſque indiuidui; ſed per ſolam multiplicationem

nem

nem ſimul cum illa vnitate conuenientiæ rectè ſeparatur natura vniuerſalis à ſingulari, ergo &c. Confirmatur; quia Natura Diuina ideò dicitur ſingularis, quia nullo modo eſt multiplicabilis; & natura Petri dicitur ſingularis, quia, quæ eſt propria Petro, non poteſt multiplicari, & eſſe in Paulo; alioquin Petrus eſſet Paulus, & natura Petri eſſet realiter vna, & realiter plures, plures quidem quia eſſet in pluribus, vna tamen quia nihil eſſet, propter quod in pluribus illis diceretur eſſe realiter diuerſa, igitur è contrario natura dicitur vniuerſalis, cui non repugnat multiplicari, ſeu quando poteſt eſſe plura ſingularia habentia omnimodam ſimilitudinem in prædicatis eſſentialibus eiuſdem naturæ. Arridet etiam communis modus loquendi

vulgi, quo dicitur de pluribus rebus omnino ſimilibus, eſſe eiuſdem Rationis; eiuſdem Speciei. eiuſdem Generis, & tamen ruſticos latent illæ abſtractiones comparationes &c.

Præterea naturas vniuerſales ideo concipimus, & proponimus; vt intelligatur quomodo eadem natura prædicetur de multis, & illis conueniat; ſed certum eſt ſingulis ſuam conuenire realiter naturam diuerſam ab alijs, & quæ non aliter ſit vna, quàm propter conuenientiam, & ſimilitudinem; quod confirmatur, quia non poteſt verè prædicari de ſingulis, niſi illa quæ in illis eſt; ſed in Petro eſt tantum natura ſingularis vna, & diuerſa realiter à natura Pauli, & aliorum; ergo de Petro ea ſola prædicari poteſt; ſupereſt igitur, vt de omnibus vna dicatur

præ-

prædicari ea tantum de cauſa, quod indiuidua illius ſint ſimilia inter ſe, & habeant hanc vnitatem conuenientiæ.

Petes hic, vndè deducam hoc eſſe vniuerſale Auguſtinianum, & non potius illud vniuerſale, quod fundatur in illa vnitate chimerica, vel confuſa. Reſp. me deducere primo ex his definitionibus, quas tradit de Genere &c. prædicabilibus, quæ traduntur in ordine ad id, quod eſt à parte rei, cum enim dicit S. P. Genus eſt quod ſecundum multa, & differentia quid ſit Specie oſtenditur, atque ſignatur &c. *Iam oſtendit ſe explicare id, quod re vera eſt in multis, & ſignificare illud quod eſt à parte rei. 2. Et in illis verbis.* Vt Genus nullum eſt, quod non habeat differentiã. *Nam ſi intenderet illud genus* *Hanc eſſe claram ſententiam S. P. demonſtratur.*

quod ſit per præciſiones, iam in intellectu daretur Genus ſine differentijs, vt cum v. g. concipitur Animal non concepta rationalitate, vel irrationalitate. 3. deduco ex eo, quod doctrina Auguſtiniana ſummoperè abhorret ab his figmentis noſtri intellectus diuerſis ab ijs rebus, quas cognoſcere intendit; Propterea enim tantoperè, & tàm ſæpè inculcat S. Doctor Vero Sapienti ſuperanda eſſe ſua figmenta, & phantaſmata, cum enim vera ſcientia conſiſtat in cognoſcendis rebus prout ſunt ſi iam cognoſcerentur aliter, ac ſe habeant, non eſſet vera ſcientia, ſed deceptio noſtri intellectus; ex eo enim quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; non igitur ex eo quod apprehenditur à nobis. De illo ente rationis impoſſibili, & Chimerico dicam

cam poſtea in Metaphyſicis, quid ſentiam.

Petes ſecundo; quomodo ſtat prædicabilitas cum hoc Vniuerſali; ideo enim conſideratur. Vniuerſale à Logico, vt poſſit illud prædicare de ſubiectis. Difficultas ſpecialis in hoc noſtro Vniuerſali eſt, quia cum illa Vnitas conuenientiæ ſit imperfecta non videtur ſufficiens ad conſtituendam communitatem à multis participabilem, ratione cuius poſſit verè dici prædicari Vniuerſale.

Pro ſolutione. Sciendum eſt, quod fundamentum proximum, ratione cuius natura dicitur prædicabilis, eſt ipſa natura, quæ eſt in multis; nam ex eo quod natura ſit in multis, ſequitur vt poſſit affirmari de illis. Quæ vt dicit ordinem ad intellectum, qui poſſit prædicare illam de illis, in quibus

eſt, eo ipſo eſt prædicabilis; ſicut enim prædicatio eſt actus intellectus affirmantis vnum de alio, ſic prædicabilitas eſt poſſe per intellectum affirmari de illis, quibus ineſt, vel cum quibus habet identitatem; quo poſito.

Sentio Vniuerſalem naturam eatenus dici prædicari vnam de multis, quatenus ratione illius Vnitatis conuenientiæ ſeu ſimilitudinis, ea quæ prædicatur de vno eſt ſimilis illis quæ prædicantur de alijs; Quod ſic probatur: eodem modo prædicatur natura de multis, quomodo eſt in illis; ſed in multis non eſt vna vnitate perfecta, ſed tantum vnitate conuenientiæ, ergo & ſimili modo de illis prædicatur. Cum igitur Philoſophi dicunt naturam humanam prædicari de multis, hoc modo ſunt intelligendi, quod natura huma-

Quomodo Vniuerſale aſſignatum explicetur.

na,

na, quæ de vno homine prædicatur, eſt ſimilis ei, quæ item de altero prædicatur, & omnes ſunt ſimiles inter ſe. Vnde cenſeo prædicationem illam, quæ fit de natura abſtracta per intellectum affecta illa Vnitate rationis non eſſe veram prædicationem, nec veram prædicabilitatem. Nam ex eo quod res eſt, vel non eſt, prædicatio dicitur vera, vel falſa: Atqui natura illa abſtracta, & affecta illa vnitate non eſt in indiuiduis ſubiectis, de quibus prædicatur. Ergo illa prædicatio eſt falſa, & per conſequens etiam illa prædicabilitas, ad quam ſequitur iſta prædicatio. De ſingulis enim prædicatur natura realis, quæ eſt in illis, & prout in illis eſt, ſed in ſingulis natura nullam talem habet vnitatem. Ergo non prædicatur eo modo de illis. Quod ſi dicas, prædicari

quidem naturam affectam illa Vnitate præciſionis &c. Non vero ipſam Vnitatem, & præciſionem, & ſic non eſſe falſam propoſitionem, eo quod illæ ſint conditiones. Contra eſt primo quod ſuperflua ſit illa præciſio, & abſtractio, cum ſufficiant dicta. Deinde quia verior eſt prædicatio, quæ affirmat ſimul entitatem & modum, quam illa quæ affirmat ſolam entitatem, & in modo non eſt conformis, ſed difformis. Tertio quia ſi illa Vnitas non affirmatur ſimul cum natura, non poteſt verè dici, prædicari Vniuerſale ideſt Genus, vel Species &c. de ſubiectis, cum non affirmetur id quod facit eſſe Vniuerſale. 4. Chimerica vnitas eſt idem ſubiecto Chimerico.

Dices etiam in vniuerſali ſic explicato à nobis eſſe eandem difficultatem, cum in prædicatione

non retineat vniuerſalitatem; eo quod ſi natura quæ affirmatur de aliquo ſingulari prædicatur de illo eo modo, quo in illo eſt, cum in illo ſit ſingularis, non erit prædicatio vniuerſalis de ſingulari, ſed ſingularis de ſingulari; & ſic cum dicitur Petrus eſt homo, non erit prædicatio ſpeciei de indiuiduo, ſed indiuidui de indiuiduo. Reſpondetur verum quidem eſſe, quod natura vniuerſalis non retinet propriè, vniuerſalitatem in prædicatione, qua tribuitur ſingulis, ſed hoc magis eſt contra obijcientes, quàm contra nos; cùm enim vniuerſale formaliter dicat vnũ in multis, & multæ ſimul naturæ non prædicentur de ſingulis indiuiduis manet quod tàm per illos, quàm per nos vniuerſale non prædicatur cum ſua vniuerſalitate de ſingulis; at per nos retinetur vnitas,

Natura Vniuerſalis no retinet proprie Vniuerſalitatẽ in prædicatione.

tas, qua conſtituitur natura vniuerſalis, quod non retinetur per aduerſarios; prædicatur enim re uera illa natura, quæ eſt ſimilis alijs multis indiuiduis licet non prædicentur illa multa de hoc vno; per aduerſarios verò non prædicatur illa natura cum illa vnitate fictitia, cum re vera illa vnitas non ſit niſi obiectiuè in intellectu.

Communitas Vniuerſalis non deſcendit ad inferiora.

Ex dictis intelligitur illa celebris regula dialecticorum; communitas vniuerſalis non deſcendit ad inferiora, quod nimirum ſic explicandum eſt. Communitas illa vniuerſalis dicit formaliter multitudinem naturarum ſimilium, ea autem multitudo non poteſt tribui ſingulis inferioribus.

Ex ijs etiam ſoluuntur vulgaria ſophiſmata; vt cum dicitur animal eſt genus, homo eſt animal, ergo homo eſt genus, & ſimilia.

Fal-

Fallacia enim conſiſtit in eo, quod animal in maiori ſumitur pro multitudine animalium diuerſæ quidem ſpeciei, ita tamen vt omnia habeant naturam ſenſitiuam, ſic enim animal dicitur genus; at in minori non poteſt ita accipi, vnde, vel neganda eſt minor, vel concluſio, quia termini diuerſo modo accipiuntur h. p.

Cum S. P. N. dicit, Genus eſt, quod ſecundum multa, & differentia, quid ſit ſpecie oſtenditur, atq; ſignificatur, vt eſt Vſia; *rectè explicatur per illam communem diffinitionem, qua dicitur, eſſe id quod aptum eſt prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quid, eſt enim idem dicere, quod ſecundum multa, & differentia quid ſit ſpecie, oſtenditur, & ſignificatur, ac dicere, quod eſt aptum prædicari de multis differentibus* *Definitio generis.*

ſpecie in quid, vt conſideranti patebit.

Oritur hic magna lis inter dialecticos; an iſta definitio ſit quidditatiua, an verò deſcriptiua; vtraque pars ſic poteſt conciliari, vt dicamus quod ſi prædicabilitas ſumatur radicaliter, definitio eſt quidditatiua, ſi verò ſummatur formaliter erit deſcriptiua, eo quod hoc modo tradatur per proprietatem &c.

Qualiter definitio illa ſit quidditatiua, vel deſcriptiua.

Poſſet etiam ſic definiri, vt dicamus quod Genus eſt vnum aptum ineſſe multis tamquam pars communis eſſentiæ illorum eſſentialiter perfectibilis, & quidem rectè per hanc definitionem Genus diſtingueretur à cæteris prædicabilibus; cum enim dicitur quod eſt pars eſentiæ, diſtinguitur à ſpecie, quæ includi totam rei eſentiam, diſtinguitur etiam à diffe-

Alia definitio Generis.

differentia, cum dicitur pars communis; nam differentia eſt quidem pars eſſentiæ propria tamen, non verò communis rei cum cæteris. Diſtinguitur etiam ab Accidente tàm communi, quam proprio, quia hæc prædicata non ſunt de eſſentia rei, ſed extra illam. Dixi eſſentialiter perfectibilem, quia Genus intelligitur perfici per differentiam ad conſtituendam eſſentiam, ſeu aliquod totum eſſentiale; Et hac etiam ratione genus ſeparatur à differentia; quod hæc vt talis non contrahitur, nec perficitur, ſed contrahit, & perficit. Quapropter eſto communiter dicatur accidere generi differentias, ideſt animali rationalitatem, & ideo videatur nullo modo differentiam perficere genus; Nihilominus hoc non obſtat ſupradictæ doctrinæ, hoc enim differentias accidere generi,

ri, eſt illas non eſſe de quidditatiuo, & eſſentiali conceptu generis; Sed hoc non tollit quinminus differentia ſimul cum genere conſtituat vnum eſſentiale, & aliquod totum quidditatiuum.

Vulgata eſt diuiſio generis in generaliſſimum, ſubalternum, & infimum, ita vt Generaliſſimum ſit illud, quod ita eſt genus, vt nullo modo poſſit eſſe ſpecies, ſeu quod nullum propriè ſupra ſe habet genus: Subalternum quod ita eſt genus reſpectu inferiorum, vt
Diuiſio Generis *ſpeciei appellationem reſpectu ſuperiorum non recuſet; infimum deniq; quod infra ſe nullum aliud genus habeat. Hoc inſinuatur à S. P. N. cum dicit.* Omne quidem Vſiam id eſt ſubſtantiam dicimus, ſed hoc commune nomen ſpecie ſeparatur, cum dicimus animal, vel lapidem. *Nam li Vſia ſeu*

ſeu ſubſtantia eſt genus generaliſſimum. Animal eſt genus infimum; Lapis verò ſubalternum, cum ſit ſpecies reſpectu ſuperiorum, & genus reſpectu inferiorum generum lapidum.

Quæri hic ſolet, quam latè pateat genus, & ad quæ ſe extendat? In qua quæſtione communis ſententia eſt, non ſolum naturas omnes reales entis diuerſas, ſed etiã entia rationis, & negationes habere poſſe vniuerſalitatem, ſiue genereitatem, ita vt definitio generis de illis omnibus vniuocè dicatur. Nam licet in ratione entis ſecundum ſe, & primo intentionaliter enti reali, & enti rationis nihil commune vniuocum aſſignari poſſit; in ratione tamen cogniti, & ſecundo intentionaliter (vt loquuntur) quia habent ſimilitudinem; vniuocè conueniunt, & vna Ad quæ ſe extendat Genus.

com-

communi definitione vniuoca definiuntur; ſed hoc procedit in ea ſententia, quæ ponit vniuerſale dicere de formali vnitatem per intellectum; at in noſtra ſententia, quæ ponit Vnitatem, quæ requiritur adeſſe generis, eſſe à parte rei, non videtur habere locum propter dictam rationem; nempe quia illa ſimilitudo, quæ reperitur inter negationes, priuationes, & entia rationis cum non ſit realis, vt eſt illa, quæ reperitur inter entia realia non videtur poſſe habere aliquod commune vniuocum cum ad ens reale, & negationes, ac entia rationis non detur aliquid commune vniuocum. Ea propter Reſpondetur quod quidquid ſit de ente rationis (de quo ſuo loco me videbo) quod attinet ad negationes, & priuationes, ſicut non dicuntur propriè habere eſſe, ſed tantum aba-

abuſiuè, eo quod alio modo non poſſumus illas explicare; ita nec dicuntur propriè habere genus, aut ſpeciem, ſed ſolum abuſiuè, eo enim ipſo quod non habent eſſe proprie, nec etiam poſſunt habere propriè ea, quæ fundantur, & requirunt tale eſſe, per quandam vero, analogiam denominantur extrinſecè ad modum entium realium propter eandem rationem.

Oritur etiam difficultas ex illis particulis definitionis Peripatecæ, ſeu Porphyrianæ generis (quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie) an includant etiam prædicari de pluribus differentibus numero, vel excludant, cui difficultati quando explicaui Iſagogem Porphyrianam reſpondi, non excludere; Eo quod de facto Genus prædicetur non ſolum de pluribus differentibus ſpecie immedia-

Qualiter prædicetur de pluribus differentibus numero

mediatè, ſed etiam immediatè prædicatur de indiuiduis. In quo præcisè non differt à ſpecie; contra diſtinguitur verò à ſpecie, & diſtinctum ab ea prædicabile conſtituit eo quod quidditatiuè quidem, ſed incompletè prædicetur de pluribus differentibus numero; ſpecies vero quidditatiue; & complete de ijſdem prædicetur. Et hoc videtur eſſe ad mentē S.P.N., cum enim definiuit genus. Quod ſecundum multa, & differentia quid ſit ſpecie oſtenditur, atque ſignificatur, *non excludit à genere prædicari, & ſignificari de indiuiduis.*

DE DIFFERENTIA.

A*Git hic S.P. antequam agat de ſpecie, ea fortè de cauſa, vt intellectis partibus eſſentia-*

tialibus, quæ conſtituunt ipſam ſpeciem, quæ ſunt genus, & diffe-rentia melius percipiatur poſtea quid ſit ſpecies.

Cur prius de differentia.

Definitur ergo ab eo ſic. Differentia eſt, quæ ſecundum multa, & differentia non quid ſit, ſed quale ſit ſpecie prædicatur. *Pro cuius intelligentia ſciendum eſt hoc nomen differentia variè accipi, & ſecundum ſe abſtrahere ab eſſentiali, & accidentali, hac ommiſſa pro nunc eſſentialis eſt illa, quæ definita fuit à S. P. N. à Porphyrianis verò ſic definitur. Quod ſit prędicabilis de pluribus in quale quid, & hæc quidem definitio coincidit cum noſtra, nam ſumpta illa particula prædicatur, & prædicabilis radicaliter vt de genere dixi, in idem poſtea recidit ly non quid ſit ſed quale ſit ſpecie prædicatur, idem enim eſt ac prædicari*

Quid ſit differentia.

de

de pluribus in quale quid, ideſt eſſentialiter. Poſſet etiam ſic definiri vt dicamus: Differentia eſt vnum aptum ineſſe multis tamquam pars propria, ſeu formalis eſſentiæ illorum. Quæ definitio manet clara ex ijs, quæ ſupra dixi in ſimili definitione de genere.

Oritur hic difficultas, quomodo hæc differentia eſſentialis ſic explicata conſtituat hoc vniuerſale eo quod plurimi, & graues Doctores cenſent, differentijs omnibus eſſentialibus nihil dari commune Vniuocum, & per conſequens non poſſe haberi in illis, & ex illis ſufficientem Vnitatem ad conſtituendum vniuerſale. Qui ponunt Vnitatem formalem vniuerſalis per intellectum, facile ſe expediunt dicendo quod licet non detur omnibus differentijs eſſentialibus aliquid commune vniuocum

Quomodo differẽtia ſit Vniuerſalis.

ſi

ſi ſumantur primo intentionaliter, & ſecundum illud eſſe, quod illis conuenit à parte rei independenter ab intellectu; Attamen ſi ſumantur ſecundo intentionaliter, & ſecundum illud eſſe quod habent dependenter à noſtris cõceptibus, omnibus conuenit eſſe prædicabile in quale quid vniuoce. Verum in noſtra Auguſtiniana ſententia qua tenemus S.P.N. conuenire etiam Differentiæ eſſe Vniuerſale, ſecundum illud eſſe, quod habet à parte rei, eſt maior difficultas; Verumtamen facile ſoluitur, ſi recolatur quod dixi ſupra ideſt negationes, priuationes, & entia rationis non habere proprie genus, & per conſequens dicendum eſt, nec etiam habere propriè differentiam, ſed tantum abuſiuè, & denominatiuè, non verò realiter; itaque in noſtra ſenten-

quidem naturam affectam illa Vnitate præciſionis &c. Non vero ipſam Vnitatem, & præciſionem, & ſic non eſſe falſam propoſitionem, eo quod illæ ſint conditiones. Contra eſt primo quod ſuperflua ſit illa præciſio, & abſtractio, cum ſufficiant dicta. Deinde quia verior eſt prædicatio, quæ affirmat ſimul entitatem & modum, quam illa quæ affirmat ſolam entitatem, & in modo non eſt conformis, ſed difformis. Tertio quia ſi illa Vnitas non affirmatur ſimul cum natura, non poteſt verè dici, prædicari Vniuerſale ideſt Genus, vel Species &c. de ſubiectis, cum non affirmetur id quod facit eſſe Vniuerſale. 4. Chimerica vnitas eſt idem ſubiecto Chimerico.

Dices etiam in vniuerſali ſic explicato à nobis eſſe eandem difficultatem, cum in prædicatione

non

non retineat vniuerſalitatem; eo quod ſi natura quæ affirmatur de aliquo ſingulari prædicatur de illo eo modo, quo in illo eſt, cum in illo ſit ſingularis, non erit prædicatio vniuerſalis de ſingulari, ſed ſingularis de ſingulari; & ſic cum dicitur Petrus eſt homo, non erit prædicatio ſpeciei de indiuiduo, ſed indiuidui de indiuiduo. Reſpondetur verum quidem eſſe, quod natura vniuerſalis non retinet propriè, vniuerſalitatem in prædicatione, qua tribuitur ſingulis, ſed hoc magis eſt contra obycientes, quàm contra nos; cùm enim vniuerſale formaliter dicat vnũ in multis, & multæ ſimul naturæ non prædicentur de ſingulis indiuiduis manet quod tàm per illos, quàm per nos vniuerſale non prædicatur cum ſua vniuerſalitate de ſingulis; at per nos retinetur vni-

Natura Vniuerſalis no retinet proprie Vniuerſalitatẽ in prædicatione.

tas, qua conſtituitur natura vniuerſalis, quod non retinetur per aduerſarios; prædicatur enim reuera illa natura, quæ eſt ſimilis alijs multis indiuiduis licet non prædicentur illa multa de hoc vno; per aduerſarios verò non prædicatur illa natura cum illa vnitate fictitia, cum re vera illa vnitas non ſit niſi obiectiuè in intellectu.

Communitas Vniuerſalis non deſcendit ad inferiora.

Ex dictis intelligitur illa celebris regula dialecticorum; communitas vniuerſalis non deſcendit ad inferiora, quod nimirum ſic explicandum eſt. Communitas illa vniuerſalis dicit formaliter multitudinem naturarum ſimilium, ea autem multitudo non poteſt tribui ſingulis inferioribus.

Ex ijs etiam ſoluuntur vulgaria ſophiſmata; vt cum dicitur animal eſt genus, homo eſt animal, ergo homo eſt genus, & ſimilia.

Fal-

Fallacia enim conſiſtit in eo, quod animal in maiori ſumitur pro multitudine animalium diuerſæ quidem ſpeciei, ita tamen vt omnia habeant naturam ſenſitiuam, ſic enim animal dicitur genus; at in minori non poteſt ita accipi, vnde, vel neganda eſt minor, vel concluſio, quia termini diuerſo modo accipiuntur h. p.

Cum S. P. N. dicit, Genus eſt, quod ſecundum multa, & differentia, quid ſit ſpecie oſtenditur, atq; ſignificatur, vt eſt Vſia; *rectè explicatur per illam communem diffinitionem, qua dicitur, eſſe id quod aptum eſt prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quid, eſt enim idem dicere, quod ſecundum multa, & differentia quid ſit ſpecie, oſtenditur, & ſignificatur, ac dicere, quod eſt aptum prædicari de multis differentibus* Definitio generis.

ſpecie in quid, vt conſideranti patebit.

Oritur hic magna lis inter dialecticos, an iſta definitio ſit quidditatiua, an verò deſcriptiua; vtraque pars ſic poteſt conciliari, vt dicamus quod ſi prædicabilitas ſumatur radicaliter, definitio eſt quidditatiua, ſi verò ſummatur formaliter erit deſcriptiua, eo quod hoc modo tradatur per proprietatem &c.

Qualiter definitio illa ſit quidditatiua, vel deſcriptiua.

Poſſet etiam ſic definiri, vt dicamus quod Genus eſt vnum aptum ineſſe multis tamquam pars communis eſſentiæ illorum eſſentialiter perfectibilis, & quidem rectè per hanc definitionem Genus diſtingueretur à cæteris prædicabilibus; cum enim dicitur quod eſt pars eſentiæ, diſtinguitur à ſpecie, quæ includi totam rei eſentiam, diſtinguitur etiam à diffe-

Alia definitio Generis.

differentia, cum dicitur pars communis; nam differentia eſt quidem pars eſſentiæ propria tamen, non verò communis rei cum cæteris. Diſtinguitur etiam ab Accidente tàm communi, quam proprio, quia hæc prædicata non ſunt de eſſentia rei, ſed extra illam. Dixi eſſentialiter perfectibilem, quia Genus intelligitur perfici per differentiam ad conſtituendam eſſentiam, ſeu aliquod totum eſſentiale; Et hac etiam ratione genus ſeparatur à differentia; quod hæc vt talis non contrahitur, nec perficitur, ſed contrahit, & perficit. Quapropter eſto communiter dicatur accidere generi differentias, ideſt animali rationalitatem, & ideo videatur nullo modo differentiam perficere genus; Nihilominus hoc non obſtat ſupradictæ doctrinæ, hoc enim differentias accidere generi,

ri, eſt illas non eſſe de quidditatiuo, & eſſentiali conceptu generis; Sed hoc non tollit quinminus differentia ſimul cum genere conſtituat vnum eſſentiale, & aliquod totum quidditatiuum.

Vulgata eſt diuiſio generis in generaliſſimum, ſubalternum, & infimum, ita vt Generaliſſimum ſit illud, quod ita eſt genus, vt nullo modo poſſit eſſe ſpecies, ſeu quod nullum propriè ſupra ſe habet genus: Subalternum quod ita eſt genus reſpectu inferiorum, vt Diuiſio Generis *ſpeciei appellationem reſpectu ſuperiorum non recuſet; infimum deniq; quod infra ſe nullum aliud genus habeat. Hoc inſinuatur à S. P. N. cum dicit.* Omne quidem Vſiam id eſt ſubſtantiam dicimus, ſed hoc commune nomen ſpecie ſeparatur, cum dicimus animal, vel lapidem. *Nam li Vſia ſeu*

ſeu ſubſtantia eſt genus generaliſſimum. Animal eſt genus infimum; Lapis verò ſubalternum, cum ſit ſpecies reſpectu ſuperiorum, & genus reſpectu inferiorum generum lapidum.

Quæri hic ſolet, quam latè pateat genus, & ad quæ ſe extendat? In qua quæſtione communis ſententia eſt, non ſolum naturas omnes reales entis diuerſas, ſed etiã entia rationis, & negationes habere poſſe vniuerſalitatem, ſiue genereitatem, ita vt definitio generis de illis omnibus vniuocè dicatur. Nam licet in ratione entis ſecundum ſe, & primo intentionaliter enti reali, & enti rationis nihil commune vniuocum aſſignari poſſit; in ratione tamen cogniti, & ſecundo intentionaliter (vt loquuntur) quia habent ſimilitudinem; vniuocè conueniunt, & vna Ad quæ ſe extendat Genus.

com-

abuſiuè, eo quod alio modo non poſſumus illas explicare; ita nec dicuntur propriè habere genus, aut ſpeciem, ſed ſolum abuſiuè, eo enim ipſo quod non habent eſſe proprie, nec etiam poſſunt habere propriè ea, quæ fundantur, & requirunt tale eſſe, per quandam vero, analogiam denominantur extrinſecè ad modum entium realium propter eandem rationem.

Oritur etiam difficultas ex illis particulis definitionis Peripatecæ, ſeu Porphyrianæ generis (quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie) an includant etiam prædicari de pluribus differentibus numero, vel excludant, cui difficultati quando explicaui Iſagogem Porphyrianam reſpondi, non excludere; Eo quod de facto Genus prædicetur non ſolum de pluribus differentibus ſpecie im-

media-

Qualiter prædicetur de pluribus differentibus numero

mediatè, ſed etiam immediatè prædicatur de indiuiduis. In quo præcisè non differt à ſpecie; contra diſtinguitur verò à ſpecie, & diſtinctum ab ea prædicabile conſtituit eo quod quidditatiuè quidem, ſed incompletè prædicetur de pluribus differentibus numero; ſpecies vero quidditatiue; & complete de iiſdem prædicetur. Et hoc videtur eſſe ad mentē S.P.N., cum enim definiuit genus. Quod ſecundum multa, & differentia quid ſit ſpecie oſtenditur, atque ſignificatur, *non excludit à genere prædicari, & ſignificari de indiuiduis.*

DE DIFFERENTIA.

A*Git hic S.P. antequam agat de ſpecie, ea fortè de cauſa, vt intellectis partibus eſſentia-*

tialibus, quæ conſtituunt ipſam ſpeciem, quæ ſunt genus, & differentia melius percipiatur poſtea quid ſit ſpecies.

Cur prius de differentia.

Definitur ergo ab eo ſic. Differentia eſt, quæ ſecundum multa, & differentia non quid ſit, ſed quale ſit ſpecie prædicatur. *Pro cuius intelligentia ſciendum eſt hoc nomen differentia varie accipi, & ſecundum ſe abſtrahere ab eſſentiali, & accidentali, hac omiſſa pro nunc eſſentialis eſt illa, quæ definita fuit à S.P.N. à Porphyrianis verò ſic definitur. Quod ſit prędicabilis de pluribus in quale quid, & hæc quidem definitio coincidit cum noſtra, nam ſumpta illa particula prædicatur, & prædicabilis radicaliter vt de genere dixi, in idem poſtea recidit ly non quid ſit ſed quale ſit ſpecie prædicatur, idem enim eſt ac prædicari*

Quid ſit differentia.

de

de pluribus in quale quid, ideſt eſſentialiter. Poſſet etiam ſic definiri vt dicamus: Differentia eſt vnum aptum ineſſe multis tamquam pars propria, ſeu formalis eſſentiæ illorum: Quæ definitio manet clara ex ijs, quæ ſupra dixi in ſimili definitione de genere.

Oritur hic difficultas, quomodo hæc differentia eſſentialis ſic explicata conſtituat hoc vniuerſale eo quod plurimi, & graues Doctores cenſent, differentijs omnibus eſſentialibus nihil dari commune Vniuocum, & per conſequens non poſſe haberi in illis, & ex illis ſufficientem Vnitatem ad conſtituendum vniuerſale. Qui ponunt Vnitatem formalem vniuerſalis per intellectum, facile ſe expediunt dicendo quod licet non detur omnibus differentijs eſſentialibus aliquid commune vniuocum

Quomodo differẽtia ſit Vniuerſalis.

ſi

ſi ſumantur primo intentionaliter, & ſecundum illud eſſe, quod illis conuenit à parte rei independenter ab intellectu; Attamen ſi ſumantur ſecundo intentionaliter, & ſecundum illud eſſe quod habent dependenter à noſtris conceptibus, omnibus conuenit eſſe prædicabile in quale quid vniuoce. Verum in noſtra Auguſtiniana ſententia qua tenemus S.P.N. conuenire etiam Differentiæ eſſe Vniuerſale, ſecundum illud eſſe, quod habet à parte rei, eſt maior difficultas; Verumtamen facile ſoluitur, ſi recolatur quod dixi ſupra ideſt negationes, priuationes, & entia rationis non habere proprie genus, & per conſequens dicendum eſt, nec etiam habere propriè differentiam, ſed tantum abuſiuè, & denominatiuè, non verò realiter; itaque in noſtra ſententia

tia tota difficultas reducitur ad differentias veras, & reales, quæ ſicut habent omnes verè eſſe reales, & partes eſſentiales, & formales quidditatis rei, & omnes in hoc conueniunt, & habent illam Vnitatem conuenientiæ, & ſimilitudinis, non video hic cur non poſſint dici habere hoc commune Vniuocum quod omnes faciant differre, & quod omnes ſint prædicabiles in quale quid, & quod ſecundùm multa, & differentia non quid, ſed quale ſit ſpecie prædicentur. Illa ergo ſententia communis, quod differentijs eſſentialibus, ſecundum eſſe quod habent à parte rei, non detur aliquid commune Vniuocum, ſic erit explicanda, vt vera ſit, ſi loquuntur de differentijs tàm realibus, quàm negatiuis priuatiuis &c. at vero ſi excludantur negationes, & priuatio-

uationes, vt potè non habentia veras, & reales differentias, ſicut non habent verum, & reale eſſe, & reducuntur ad ſolas differentias reales, dicendum erit re vera has habere commune Vniuocum, facere differre eſſentialiter, & eſſe partes eſſentiales formales quidditatis rerum.

Quæres an differentia conſtituatur Vniuerſalis, & Prædicabilis per ordinem ad naturam cuius eſt differentia; an vero per ordinem ad indiuidua illius naturæ? Reſpondeo non conſtitui formaliter Vniuerſalis per ordinem ad naturam. Nam ſecundum hanc habitudinem non eſt prædicabilis de pluribus. Si vero ſumatur in ordine ad hanc, vel illam differentiam, de quibus completè prædicatur, reducitur ad prædicabile ſpeciei; in ordine vero ad indiuidua, *Eſt Vniuerſalis per ordinem ad indiuidua.* *de*

de quibus prædicatur ſpecies, quam differentia conſtituit, habet rationem prædicabilis, & vniuerſalis contra diſtincti à Genere, & à Specie; habet enim diuerſum modum prædicationis ab illis, vt ex ſupradictis definitionibus patet.

Hoc vero quod eſt prædicari in quale quid, vt communiter explicant Porphyriani, & Peripatetici, eſt prædicari vt quid ſpectans ad quidditatem eius, de quo prædicatur; Hinc eſt quod addatur prædicari in quid, prædicatur enim incompletè, vt forma contrahens in indiuiduo rationem genericam, quod eſt prædicari non per modum per ſe ſtantis, ſed per modum alteri adiacentis; Vnde eſt quod dicatur prædicari in quale; ex quo prædicari in quale abſtrahit à prædicatione eſſentiali, vel accidentali

Quid ſit prædicari in quale quid

dentali ſecundum ſe, niſi per aliquid aliud ad vtramlibet contrahatur, & determinetur, S. P. N. Auguſtinus loco illius, in quale quid, poſuit quale ſit ſpecie prædicatur, *quod videtur clarius iuxta exigentiam naturæ definitionis explicare, quomodo differentia importet quale quidditatiuum.*

DE SPECIE.

D*Iſſerit S. P. N. Auguſtinus hoc modo:* Species quam quidem, & formam vocant, quæ ſecundum multa, & differentia quid ſit numero prædicatur, atque cognoſcitur, vt eſt homo, hoc nomen homines cunctos complectitur.

Pro maiori intelligentia tàm huius definitionis, quàm earum, quas tradidit Porphyrius, recolen-

E *dum*

dum eſt, ſpeciem de qua hic agimus eſſe in duplici differentia; alteram eſſe ſpecialiſſimam, & alteram ſubalternam; ſpecialiſſima eſt, quæ nullam infra ſe habet ſpeciem; ſubalterna vero quæ aliquam infra ſe habet ſpeciem, & quæ ſicut ratione ſuperiorum habet rationem ſpeciei, ita reſpectu inferiorum habet rationem generis. His perſpectis fuit definita ſpecies à Porphyrio, & Peripateticis duplici diffinitione; altera quod ſit prædicabilis de pluribus differentibus numero in quid; altera verò, quod ſpecies ſit ea, quæ ponitur ſub genere, & de qua genus, in eo quod quid eſt, prædicatur. Prima definitio ad ſolam ſpeciem ſpecialiſſimam coarctatur, quæ ſola habet rationem ſpeciei per habitudinem ad inferiora. Secunda eſt magis communis, &

Definitiones ſpeciei.

omni

omni ſpeciei, quæ ſpecies eſt adaptatur.

Circa hanc ſecundam definitionem oritur difficultas; quod ſupra in definitione generis ponitur ſpecies cum dicitur; genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie; hic vero in definitione ſpeciei ponitur genus; cum dicitur Species eſt ea, quæ collocatur ſub genere, in quibus definitionibus videtur committi vitioſus circulus, cum ſpecies definiatur per genus; & rurſus genus definiatur per ſpeciem. Reſpondetur nihilominus communiter, & verè, nullum hic eſſe vitium, eo quod ſpecies ſit correlatiuum generis, licet non adæquatum, & hoc ſit proprium correlatiuorum; vt vnum ponatur in definitione alterius, immò hoc neceſſariò ad rectam definitionem correlatiuorum requiritur, poſita

Nullus circulus vitioſus in definitionibus generis. & ſpeciei.

tamen maiori aliqua explicatione definiti.

Communiter ponuntur duo reſpectus ſpeciei, vnus per quem ſuperiora, alter verò per quem inferiora reſpicit; ex quo conſurgit grauis difficultas, per quem reſpectum ſpecies formaliter in eſſe ſpeciei conſtituatur. Cui difficultati abſolutè reſpondeo, ſpeciem in communi, quatenus abſtrahit à ſubalterna, & infima, in eſſe ſpeciei formaliter conſtitui per reſpectum, quem habet, non ad inferiora, ſed ad ſuperiora; quod idem ſicut de ſubalterna, ſic etiam de athoma dicendum eſt. Verum ſicut ſpecies in eſſe ſpeciei conſtituitur per ordinem ad ſuperiora, ita non alia ratione inter vniuerſalia recenſetur, niſi per ordinem ad inferiora indiuidua, & ſub hac ratione præciſa diuerſum conſtituit prædicabile

Per quem reſpectum ſpecies conſtituatur ſpecies, & vniuerſalis.

cabile à genere, & ſic de pluribus differentibus numero prædicatur, ex quibus deducitur vniuerſalitatem, & prædicabilitatem ſe habere ad ſpeciem, vt ſpecies eſt, non tamquam aliquid de eſſentia, & quidditate, ſed ſolum tamquam aliquid, quod ſit extra eſſentiam illius; Vt patet in illa ſententia, quæ ponit dari de facto aliquam ſpeciem, quæ vnicum tantum indiuiduum etiam de poſſibili admittat; quo caſu dato illa ſpecies eſſet quidem ſpecies, quia collocaretur immediatè ſub genere, & componeretur ex genere, & differentia, & non eſſet vninerſalis, aut prædicabilis, eò quod non haberet ſub ſe plura indiuidua, nec actu, nec potentia; de quibus poſſet prædicari.

Verùm quidquid ſit de his, certum eſt à S. P. N. fuiſſe hic defini-

tam ſpeciem in ratione vniuerſalis, eo quod hic præcipuè ageret de illa, quatenus prædicabilis eſt. Non reticuit tamen hunc reſpectum, quem habet ad ſuperiora, immò illum explicauit, quando dixit, vt Genus nullum eſt, quod non habeat differentiam, ſic nec differentiam intelligere debemus, quæ ſpecies non habebit; *& quando clarius dixit*, eorum generum, quæ inter ſe diuiſa ſunt, nec differentias poſſe eſſe, nec ſpecies; illa verò genera, quæ alterna ſibi ſocietate coniuncta ſunt, eaſdem differentias, & eaſdem ſpecies habent.

Alia definitio ſpeciei. *Poſſet etiam definiri ſpecies. Eſt vnum aptum ineſſe multis numero differentibus tanquam tota illorum eſſentia communis; quæ definitio manet explicata, ex ijs quæ ſupra diximus in ſimili definitione de genere.*

DE

DE INDIVIDVO.

NON inuenio ſpecialem mentionem apud S. P. N. niſi implicitè, & tanquam alterum correlatiuorum ſpeciei cum dicit, Species eſt quæ ſecundum multa, & differentia quid ſit numero prædicatur &c. *& cum ſubdit* vt eſt homo, hoc nomen homines cunctos complectitur. *Definitionem apud ipſum non reperio forte ea de cauſa quod cum indiuidua ſint de ſe patentia ſenſibus, iudicauit non eſſe opus alia definitione. Vnde ad complementum iuxta conſuetudinem modernorum, qui vbi de ſpecie ibi etiam de indiuiduo agere ſolent.*

Dico indiuiduum in Schola Peripatetica dupliciter accipi ſecundum duplex eſſe illius, vt loquuntur,

Dupliciter accipitur indiuiduum.

tur, nempe vel primo intentionaliter, vel ſecundo intentionaliter. Et quidem ſi ſpectetur primo intentionaliter, ideſt ſecundum illud eſſe quod habet independenter ab intellectu, quod dici ſolet primo intentionaliter, deſcribitur à Porphyrio, illud eſſe cuius collectio proprietatum in nullo alio reperitur. Si verò conſideretur ſecundum eſſe quod habet dependenter ab intellectu, quod ſecundo intentionaliter vocant; adhuc aiunt, eſſe in duplici differentia, nam vel ſumitur quatenus actu explicito, & expreſſo conceptum eſt, eſt ſic definiunt eſſe illud, quod de vno ſolo prædicatur; vel quod ſit illud quod ſubÿcitur completè quidditatiuè ſpeciei; in quo ſtatu non participat rationem vniuerſalis; vel ſumitur indiuiduum, ſecundum quod concipitur conceptu confuſo, ac inde-

ter-

terminato; ratione cuius confuſionis plura indiuidua repreſentat indeterminatè, & in hoc ſtatu dicunt aliqui, habere rationem vniuerſalis, & prædicabilis de pluribus. Iuxta hanc duplicem acceptionem indiuidui ſecundo intentionaliter ſumpti naſcitur duplex ratio iudiuidui: Indiuiduum ſcilicet determinatum, & indiuiduum vagum. Determinatum indiuiduum eſt res certa, & ſingularis; quæ poteſt termino demonſtratiuo velut digito extento deſignari, & indicari. Indiuiduum vero vagum eſt quidem res ſingularis, incerta tamen, & indeterminata, quod tamen eſſe errans, & vagum eſt quidem res ſingularis, incerta tamen, & indeterminata, quod eſſe errans, & vagum non habet indiuiduum in re extra intellectum, extra quem nihil datur

De indiuiduo determinato, & vago.

Digitized by Google

niſi certum, & determinatum; ſed ab actu intellectus indeterminatè tendentis in obiectum certum, & determinatum, quod quia indeterminatè ſolum, & confusè attingitur, propterea per illum eundem actum conſtituitur ab aliquibus in eſſe vniuerſalis formaliter.

Hæc doctrina continet multa veriſſima, & non diſcrepantia à doctrina Auguſtiniana. Hæc ſolum in noſtra ſententia ſunt explicanda, primo an omnia indiuidua ſub ratione indiuiduationis à parte rei collectiue ſumpta habeant rationem vniuerſalis: ſecundo quid importet in noſtra ſententia indiuiduum vagum. Ratio vtriuſque difficultatis eſt, quia cum nos non ponamus vniuerſale conſtitui formaliter, & eſſentialiter per intellectum; ſed eſſe à parte rei; iam illud indiuiduum va-

gum per nos non conſtituit verè vniuerſale, vnde manet poſtea difficultas, quod ſicut ponimus vnitatem ſimilitudinis ſufficere ad conſtituendum vniuerſale cum illa multitudine, quorum vtrumq; habent eſſentiæ à parte rei; Et ſic cum omnia indiuidua habeant hanc ſimilitudinem inter ſe quod faciant diuerſum numero, & ipſa tamen ſint plura, iam videntur habere ea omnia, quæ requiruntur ad hoc vt habeant rationem vniuerſalis. Sed ſi hoc ponatur inſurgit poſtea quæſtio, an conſtituendum ſit pro illis ſextum vniuerſale, ſeu prædicabile contra communem ſenſum tàm modernorum, quàm antiquorum; vel reducenda ſint ad aliquod prædicabile, puta ad ſpeciem; & ſic non erunt amplius indiuidua, de quorum ratione eſt, eſſe correlatiua ſpeciei, & *An indiuiduæ omnia habeant rationẽ vniuerſalis.*

per conſequens contradiſtincta à ſpecie, eo modo quo ſunt correlatiua; Relatio enim eſſentialiter eſt ad alterum. In hac quæſtione arbitror proportionaliter philoſophandum eſſe cum illis, qui loquũtur de indiuiduo vago per intellectum, quarendo an ſicut per intellectum admittunt vniuerſale, ſic & illa ratio confuſa indiuidui per intellectum apprehenſa, & applicabilis pluribus indiuiduis habeat rationem vniuerſalis; Plures enim ijq; eruditiſſimi tenent non eſſe conſtituendum aliud vniuerſale, nam licet prædicetur re vera de pluribus, eius tamen prædicationem dicunt non eſſe diſtinctam ab alijs quinque prædicabilibus. Conſiderant enim Prædicationem indiuidui vagi de indiuiduo determinato dupliciter, primo quatenus indiuiduum vagum dicit ſingula-

rem

*rem rei quidditatem completam, & hoc modo eſt formaliter prædicatio ſpeciei de indiuiduo; ſecundo quatenus dicit entitatem, ſecundum quod eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à quocumque alio, & hoc modo reducunt ad prædicationem proprij, eo modo quo vnum dicitur paſſio entis; Et ſic, vt dixi loquendo proportionaliter in noſtra ſententia, licet collectio illa indiuiduorum habeat à parte rei illam vnitatem conuenientiæ, & multiplicitatem ſupra adductas; nihilominus hoc modo non diſtinguitur ab vniuerſalitate ſpecifica. Sicut enim ſpecies hominis dicit omnes homines conuenientes in animalitate, & rationalitate, vt explicatur etiam à S.P. N. Auguſt. cùm immediatè adducta definitione ſpeciei ait (*vt eſt homo hoc nomen homines cunctos complectitur)

ſtitur) ſit collectio omnium indiuiduorum importat illam conuenientiam faciendi differre cum multitudine ipſorum indiuiduorum, & ſic in hoc non diuerſificatur ab vniuerſalitate ſpecifica; quod ſi poſtea loquimur de indiuiduo quatenus dicit entitatem indiuiſam à ſe, & diuiſam à quocunque alio; Sic ad prædicationem proprij reduci ſubſcribo.

Ad illam obiectionem qua dicitur, quod ſi collectio indiuiduorum reducitur ad prædicabile ſpeciei non erunt amplius indiuidua, ſed ſpecies; Reſpondetur eſſe falſam illationem, immò ſequi eſſe ſimul, & ſpeciem, & indiuidua, nec officit relatio illa, nam cum ſit relatio rationis optimè poteſt ſtare cum identitate, modo adſint diuerſæ rationes in illa re, quarum vna per intellectum referri poſſit ad aliam.

aliam; modo cum illa indiuidua collectiuè ſumpta poſſint comparari ad quodlibet indiuiduum ſolitariè ſumptum; iam adſunt duę rationes formales ſufficientes ad illam relationem relationis.

Ad ſecundum quæſitum nempe quid importet indiuiduum vagum. Reſp. breuiter importare conceptum de aliquo ſingulari cognito, vel per ſpecies acceptas à ſenſibus imperfectè percipientibus, vel ad ſimilitudinem alterius indiuidui ab intellectu fabricatum, qui conceptus prædicetur quidem de aliquo indeterminatè, & ſolet explicari per illas voces aliquis homo, aliquis leo, aliquod animal, non tamen prædicatur, nec importat omnes, vt importari debent à ratione ſpecifica, & explicat etiam S.P.N. loco ſupra citato.

Quid importet indiuiduum vagum.

Poſſet etiam definiri indiuiduum,

dum, quod ſit ratio eſſentialis vltima multis incommunicabilis. Ex quo ſequitur quod de vno tantum prædicari poſſit prædicatione eſſentiali, & formali. Hæ definitiones Deo dante ſalutem, & commoditatem explicabuntur poſtea fuſe in Quæſtionibus quæ exponentur expoſito Textu tàm Philoſophico, quam Theologico &c.

DE ACCIDENTE PROPRIO.

HIC *tractatur, & vt cognoſcatur quodnam ſit accidens commune, quodne proprium: Quadrupliciter à S.P.N. ſumuntur ea, quæ ſunt extra rationem Vſiæ, ideſt ſubſtantiæ, quæ procul dubio aliquo modo ſunt accidentia; Primo igitur ſumitur pro eo quod in ſolo, & in omni reperitur. Secundo*

do pro eo quod in ſolo, ſed non in omni; Tertio pro eo quod in omni, ſed non in ſolo. Quarto pro eo quod nec in omni, nec in ſolo, & quidem duo prima membra ideſt eſſe in omni, & in ſolo; & eſſe in ſolo, ſed non in omni vult inſeruire ad cognitionem certam, ac etiam demonſtratiuam; nam eo ipſo quod habent connexionem naturalem cum illis ſubiectis, de quibus ſolum poſſunt prædicari; primum quidem poterit inſeruire demonſtrationi certitudine ſaltem phyſica; alterum verò ſaltem probabilibus argumentis; vt patet per illa verba, non quidem virtutis eiuſdem*: Si enim ineſt, ineſt ſolum indiuiduis illius ſpeciei, alijs verò minimè. Reliqua duo membra docet non inſeruire cognitioni certæ, & quidem quod nec in omni, nec in ſolo, cum non poſſit ex eo ali-*

Quæ modis ſumantur ea, quæ sũt extra ſubſtantiam.

quid

quid certum deduci; cum generale accidens ſit; ideſt non ſit alligatum alicui certæ ſpeciei, aut generi. Alterum vero quod in omni, non tamen in ſolo, eo quod non habeat differentiam; ideſt non habeat hoc, quod eſt facere differre; ſicut faciunt riſibilitas, eſſe diſcurſiuum, diſciplinarum capacem &c. huiuſmodi.

Alteram huic ſimilem partitionem poſuit Porphyrius, quando in ſua Iſagoge docuit proprium quatuor modis dici. Primum quod ſoli alicui ſpeciei conuenit, non tamen omnibus indiuiduis illius ſpeciei. Secundo quod conuenit omni ſed non ſoli. Tertio quod conuenit omni, & ſoli non tamen ſemper. Quarto quod antonomaſtice proprium dicitur, & eſt id quod competit omni, ſoli, & ſemper; quæ diuiſio communiter recipitur vt facta

cta iuxta regulas bonæ diuiſionis; ita tamen vt pluribus alijs modis fieri potuerit. Hæc diuiſio differt ab illa S. P. N. per illam particulam ſemper, nam de hac non fecit mentionem S. P. N. forte enim per ly ineſt omni, & ſoli, intellexit etiam ſemper, ampliando videlicet illam particulam omni, & ad omne ſubiectum, & ad omne tempus. Sed quidquid ſit de hoc, ſi eſt ſupplenda addatur ly ſemper, hoc enim nihil refert, ſed conducit ad maiorem explicationem.

Diuerſitas inter S. P. & Porphyriũ conciliatur.

Controuertunt hic, an præter proprium quarto modo acceptum, quod ab omnibus pro vero, & reali proprio accipitur, proprium ſecundum alias tres acceptiones ſpectet ad hoc quartum prædicabile? In qua pugna ſubſcribo ijs, qui aſſerunt ſolum quartum proprium conſtituere hoc quartum prædicabile;

Secundum quam ex illis quatuor rationibus propriũ conſtituatur.

Ca-

Cætera vero omnia ad quintum eſſe referenda; non enim alia ratione illis tribus fuit attributa denominatio proprij, niſi ex placito Philoſophorum vt hanc diuiſionem conſtituerent, & propterea proprium in ampliori ſignificatione accipientium; Cum reuera proprium ex vi vocis ſit illud quod ita conuenit alicui, vel aliquibus; vt non conueniat alijs.

Poſſet tamen ex S.P.N. Auguſtino etiā hac prima acceptio ideſt quod conuenit ſoli, non tamen omni poni pro proprio; primo quia iam ita conuenit alicui ſpeciei, vt non conueniat alijs, ſecundo quia iam idem S.P.N. docet inſeruire ad certam cognitionem, licet non ita vt illud quod eſt in omni, & ſola; vnuſquiſq; Philoſophetur prout vult; hæc opinio poteſt ſuſtineri; illa communiter tenetur in Schola Porphyriana. Hoc

Hoc proprium quarto modo, ſiue ſit vt vocant infimum ideſt conueniens ſolum ſpeciei infimæ; ſiue ſubalternum, vt videlicet conueniens ſpeciei ſubalternæ, & omnibus illi ſubiectis tantum, rectè poteſt definiri Prædicabile de pluribus in quale vt proprietas neceſſario connexa cum ſpecie. Definitio proprÿ

Aduerte hic; (noto pro Tyronibus) neceſſitatem eſſe duplicem, prout facit ad præſens inſtitutum. Alteram ſimpliciter, & abſolutè ſic dictam; quæ etiam Logica dicitur, & eſt illa quæ per nullam potentiam tolli poteſt. Alteram verò ſecundum quid, ſeu vt communiter loquuntur quæ Phyſica nominatur, quæ per vires quidem Naturæ tolli non poteſt; tamen per abſolutam Dei potentiam auferri non repugnat. Neceſſitas illa quæ conſtituit hoc quartum prædicabile, Duplex neceſſitas ideſt Logica & Phyſica.

le, aliquando eſt neceſſitas ſimpliciter ſic dicta, ſeu Logica; aliquando etiam neceſſitas ſecundum quid, ſeu Phyſica.

Qualiter ſtet vniuerſalitas cũ proprio. *Verum hic videtur inſurgere difficultas, & contradictio inter hoc, quod eſt eſſe proprium, & eſſe Vniuerſale, ſeu Prædicabile, nam proprium videtur negare communitatem; Vniuerſale vero eam importare; Vnde poſtea inſurgit alia difficultas, an videlicet hoc proprium inducat vniuerſalitatem comparatione ſpeciei; an vero comparatione indiuiduorum his difficultatibus. ℞. primo non repugnare communitatem & proprietatem in eodem reſpectu diuerſorum.*

Vnde eſto proprietas neget communitatem, in præſenti tamen eam non negat abſolutè omnibus indiuiduis vno excepto; ſed tantum omnibus alijs ſpeciebus non par-

participantibus illa prædicata eſſentialia, quæ conueniunt illi ſpeciei, cui dicitur eſſe proprium illud, quod eſt quidem extra eſſentiam; ſed tamen ita profluit ab illis prædicatis eſſentialibus ſimul coniunctis; vt non profluat ab alia ſpecie participante diuerſa, vel diuerſum prædicatum eſſentiale, & ex hoc ſoluitur ſecunda difficultas. Nam licet hoc propriũ neget communitatem cum alijs ſpeciebus, & conueniat ſolum determinatæ ſpeciei, habet tamen communitatem cum indiuiduis ſubiectis ſuę ſpeciei, & ſic reſpectu diuerſorum habet, & communitatem, & proprietatem; Vnde nulla ſequitur contradictio. Et hoc modo formaliter per ordinem ad indiuidua conuenientia omnia in illa ratione, ſeu in illo prædicato dicimus habere rationem vniuerſalis; ratio

tio eſt clara ex definitione Vniuerſalis, quæ importat eſſe vnum in multis; cum vero ſpecies dicat primo eſſe vnum, deinde in multis non poſſe proprium eſſe formaliter vniuerſale per ordinem ad ſpeciem; ſed formaliter eſſe tale per ordinem ad indiuidua. (Eodem modo philoſophandum eſt de accidente eſſe videlicet vniuerſale, & prædicabile formaliter per ordinem ad indiuidua. Ex his colligi poteſt eſſe vniuerſale, & prædicabile reſpectu proprij non eſſe de illius eſſentia formaliter; ſed potius quaſdam affectiones proprij accidentales, vt latius oſtendam in quæſtionibus.

Eſt vniuerſale per ordinem ad indiuidua.

DE ACCIDENTE COMMVNI.

MEntionem facit S. P. N. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 4. vbi

4. *vbi ait*, Accidens autem non ſolet dici, niſi quod aliqua mutatione eius rei cui accidit, amitti poteſt. Nam & ſi quædam dicuntur accidentia inſeparabilia &c.

Hæc doctrina eſt conformis ijs, quæ cum Porphyrio docent communiter Peripatetici, nempe Accidens commune eſſe extrinſecum prædicatum, & magis quidem quam proprium, & ideo inter prædicabilia poſtremum locum tenere. Hoc fuit definitum ab ipſo Porphyrio triplici definitione. Prima eſt; accidens eſt, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem; Secunda accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe. Tertia eſt, accidēs eſt, quod neque eſt genus, neq; differentia, neque ſpecies, neque proprium, ſemper autem eſt in ſubiecto. *Quid ſit accidens commune.*

Hæ definitiones communiter in Schola Peripatetica recipiuntur vt bonæ, vtpotè deſumptæ à Philoſopho, & concordat cum iſtis illa S. P. N. Auguſt. ideſt quod aliqua mutatione eius rei cui accidit ammitti poteſt.

Primam & ſecundam definitionem Porphyrianam, in quibus dicitur accidens ineſſe, vel non ineſſé rei, & abeſſe, & adeſſe cenſeo non eſſe neceſſario intelligendas per veram inhærentiam; ſed vel per veram inhærentiam, vel ſolum per prædicationem.

Diuiſit poſtea Porphyrius accidens inſeparabile, & inſeparabile, quod idem fecit S. P. N. dum ait ibidem nam & ſi quædam dicuntur accidentia inſeparabilia; *nam eo ipſo quod quædam ſunt inſeparabilia, quædam ſunt ſeparabilia quæ ammitti poſſunt, &*

ſæpe

ſæpe de facto ammittantur.

Hæc tamen diuiſio videtur pugnare contra ſupra traditam accidentis definitionem; nempe quod ammitti poteſt aliqua mutatione eius rei, cui accidit; vel quod adeſt, & abeſt abſq; ſubiecti corruptione. Hoc tamen non eſt ſufficiens ad reÿciendas prædictas definitiones, ſi ita explicentur, vt accidens ſeparabile ſit illud, quod naturaliter ſeparari, & auferri à ſubiecto poteſt, vt calor ab aqua; inſeparabile verò accidens ſit illud, quod licet naturaliter ab aliquo ſubiecto, de quo prædicatur, nequeat ſeparari, vt nigredo ab Æthiope; alicui tamen competat, à quo naturaliter ſeparetur. Ex quo poteſt colligi diſcrimen inter Proprium, & Accidens inſeparabile; Quod Proprium eſt illud, quod à ſubiecto

De accidente ſeparabili, & inſeparabili.

adequato ſaltem naturaliter ſeparari non poteſt, Accidens autem commune non eſt naturaliter inſeparabile à ſuo ſubiecto adæquato.

Quid ſit accidens ſumptũ ſecundo intentionaliter. Accidens adhuc ſumptum ſecundum prædicabilitatem formalem quam habet ab intellectu; (radicalem enim habet à parte rei) quod appellant ſummi ſecundo intentionaliter; definitur quod prædicatur de pluribus in quale non vt proprietas, quæ vltima particula in definitione ponitur, vt hoc accidens commune, quod eſt quintum Vniuerſale, & Prædicabile, à proprio diſtinguatur, licet enim quoad prædicationem eſſentialem quartum, & quintum prædicabile non differant, tamen quia ad proprietates per ſe, & per accidens dignoſcendas multum conducit cognitio diſtincta vtriuſque propterea à Logicis merito in duo

prædi-

prædicabilia diſtinguuntur.

Petes hic quodnam ſit adæquatum contentum huius quinti Prædicabilis? Aliqui putant ad ſola accidentia realiter inhærentia eſſe reſtringendum, & hæc videtur eſſe intentio S. P. N. Auguſtini in præſenti textu. Verum prædictus Textus poteſt etiam ſaluari per mutationem extrinſecam. Alias enim docui, ſub ſe coercere quodcumque prædicatum accidentalem, vel contingentem habitudinem in ordine ad ſubiectum; ſiue deinde illud ſit ſubſtantia, ſiue accidens reale, ac Phyſicum; ſue accidens Metaphyſicum, & ſolum per prædicationem eſſentiæ contingens. Vt patet etiam ex his quæ docuit in libro decem Categoriarum maxime de relatione, & de ſex vltimis prædicamentis. Vnde non reſpuebam dicere cum

Adequatum contentũ ſub quinto prædicabili.

pluribus,& eruditis viris,has denominationes Creatoris, Domini, Saluantis &c.eſſe accidentia Metaphyſica reſpectu Dei; quæ non dicunt mutationem intrinſecam, (quæ ſola videtur importare imperfectionem) ſed mutationem extrinſecam, & mutationem prædicationis. Verum quia video hunc modum loquendi non placere S.P.N. cum ly ſecundum accidens reſpectu Dei, videatur ſaltem in modo loquendi importare aliquam imperfectionem ex communi vſu percipiendi, id quod ſonat hæc vox accidens. Licet poſſem hoc ſaluare dicendo eſſe verum de Accidente Phyſico, non vero de Accidente Metaphyſico. Nihilominus cum per ſolam mutationem vocis Accidentis Metaphyſici in Attributum, poſſit conciliari hæc quæſtio; ne diſcrepem à S.P.N.

à S. P. N. nec etiam in modo loquendi, id quod prius appellabam accidens Metaphyſicum deinceps attributum nominabo reſpectu Dei.

Poſſet etiam accidens commune ſic definiri, eſt vnum aptum ineſſe multis tamquam perfectio eorum contingens. Tam hoc quam proprium prædicari debere de ſuis inferioribus in concreto. Eſt communis ſenſus Phyloſophorum.

COROLLARIVM.

Colligitur ergo ex dictis, Primo eſſe de mente S. P. N. vniuerſale recte diuidi in quinq; vulgatas ſpecies, nec poſſe ad mentem ipſius reduci ad tria; ita vt differentia ſit poſtea ſubdiuidenda nam definiendo differentiam de qua intendit agere; ſe explicat

quod ſit illa quæ non quid ſit, ſed quale ſit ſpecie prædicatur. *Ly quale ſpecie eſt quale eſſentiale, non vero accidentale; vnde poſtea inferius de proprio, & accidente tractat. 2. Eſſe etiam de mente ipſius Vnitatem qua formaliter conſtituitur vniuerſale eſſe à parte rei, ac etiam prædicabilitatem radicalem, quæ non eſt quid diuerſum niſi ſolo nomine ab ipſa vniuerſalitate; prædicabilitatem vero formalem haberi per intellectum. 3. Definitiones aſſignatas à S. P. N., & à Philoſ. ſumptas radicaliter eſſe quidditatiuas, ſumptas verò formaliter eſſe ſolum deſcriptiuas. 4. Genus verè, & realiter ſolum ſe extendere ad entia realia; ad negationes verò, & priuationes ſolum abuſiuè, quemadmodum, & ipſe conceptus entis. 5. Non eſſe contra mentem*

Phi-

Philoſophi, aut S. P. N., quod genus prædicetur etiam immediatè de indiuiduis. 6. Definitiones differentiæ à S. P. N., & Porphyrio hic traditas conuenire ſolum differentiæ eſſentiali, non vero accidentali; & conſtituere hoc vniuerſale ſecundum illam conuenientiam, quam omnes habent à parte rei, & per ordinem ad indiuidua. 7. In definitionibus ſpeciei S. P. N. Aug., & Porphyrij nullum committi vitium circu'ationis, eſto definiatur vel per genus, vel per differentiam, & hæc rurſus per ſpeciem; eo quod ſint correlatiua, in quibus neceſſitas tollit defectum, maximè ſi per alias particulas magis explicētur. 8. Speciem conſtitui in eſſe ſpeciei formaliter per ordinem ad ſuperiora. Et in eſſe vniuerſalis, ſeu prædicabilis per ordinem ad

inferiora, & tàm vniuerſalitatem, quàm prædicabilitatem eſſe extra eſſentiam ſpeciei; nihilominus à S. P. N. fuiſſe definitam in ratione vniuerſalis. 9. Indiuiduum, quod eſt terminus, quem reſpicit ſpecies ratione illius conuenientiæ, ſeu ſimilitudinis in qua omnes indiuiduationes conueniunt à parte rei, faciendi differre numero, non habere vniuerſalitatem diuerſam ab vniuerſalitate ſpecifica, ratione vero illius entitatis qua conſtituitur aliquid indiuiſum à ſe, & diuiſum à quocumque alio, ad prædicationem proprij reduci. Indiuiduum verò vagum importare conceptum de aliquo ſingulari confuſè cognito. 10. Accidens proprium ex illis quattuor aſſignatis vel à S. P. N. vel à Porphyrio ſolum illud quod antomaſtice quarto modo dicitur,

con-

conſtituere hoc prædicabile, & eſt id, quod competit omni, ſoli, & ſemper. Tres alios modos ad quintum prædicabile reducendos. Et illam neceſſariam connexionem, quæ inſinuatur in definitione, aliquãdo eſſe ratione neceſſitatis Logicæ; aliquando vero ratione neceſſitatis Phyſicæ. Et tàm hoc, quàm accidens commune eſſe vniuerſalia etiam per comparationem ad indiuidua, non verò præciſè per comparationem ad ſpeciem, ac vniuerſalitatem, & prædicabilitatem eſſe affectiones accidentales proprij. 11. *Accidens commune vt prædicatum magis extrinſecum præcedentibus vltimum ſibi vindicare locum, & rectè tàm à S. P. N. Auguſt. quàm à Philoſopho, & Porphyrio fuiſſe definitum. Et hij adeſſe, & abeſſe &c. non eſſe ſemper neceſſario intelli-*

telligendum per veram inhærentiam, ſed vel per inhærentiam, vel per prædicationem. Præterea accidens ſeparabile quod naturaliter ſeparari poteſt. Inſeparabile vero quod licet naturaliter ab aliquo ſubiecto ſeparari nequeat, alicui tamen competere, à quo naturaliter ſeparatur, Ac demum ſub hoc quinto prædicabili contineri quodcumque prædicatum accidentale, ſiue habens contingentem habitudinẽ ad ſubiectum; ſiue deinde illud ſit accidens reale, ac Phyſicum, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens Metaphyſicum, & per prædicationem tantum eſſentiæ contingens. Ita tamen vt loquendo de Deo mutetur nomen accidentis Metaphyſici, & nominetur attributum, vt quo puriùs poſſumus de Deo loquamur cui honor, & gloria in æternum, & vltra.

Præ-

PRÆLVDIVM

Ad librum decem Cathegorearum Sancti Patris Noſtri Auguſtini.

LEctor humaniſſimè in illa celeberrima impreſſione Baſilienſi operum. S. P. N. A. (quæ præceſſit illam, quæ prodiјt cum annotationibus Eraſmianis) quam tanti faciunt eruditiſſimi in doctrina Sancti Patris, cuius exemplar vidi, & euolui per ſex annos in noſtro Collegio Generali Ieſu Mariæ de Vrbe, à quo deſumpti hos textus Philoſophicos habentur hæc carmina, quæ in alјs impreſſionibus non inueni,

Con-

Continet iſte decem Naturæ Verba libellus,
Quæ iam verba tenent rerum ratione ſtupenda
Omne, quod in noſtrũ poterit decurrere ſensũ;
Qui legat ingenium veterum mirabile laudent;
Atque ſuum ſtudeat tali exercere labore,
Exornans titulis vitæ data tempora honeſtis.
Hunc Auguſtino placuit transferre magiſtro
De veterum gazis Græcorum duce latino;
Quem tibi Rex magnus Sophię ſectator, amator
Munere, quo tali gaudes; modo mitto legendum.

Conſului Romæ de illis Admod. Reuer. Patrem Magiſtrum Hieronymum Valuaſorium tunc digniſſimum Aſſiſtentem Italię, nunc verò meritiſſimum Procuratorem Generalem noſtri Ordinis Eremitarum; qui anteà ſumma cum laude in munere Regentis rexerat Cathedras ſtudiorum S. Auguſtini in Vrbe; vt ſcirem cuius nam eſſent, & ad quem: & ille habito conſilio cum Eruditiſſimo Patre Magiſtro Lupo celeberrimo Doctore Louanienſi in eam cum illo iuit ſententiam; quod hæc carmina fuiſſent tranſmiſſa cum hoc opere ab aliquo erudito Vltramontano;

tano; (videntur enim reſonare hiſpidam Gottorum eruditionem) ad Inuictiſſimum Imperatorem Carolum Magnum, qui vſq; adeò fuit addictus Diuinæ doctrinæ S. Patris Noſtri; vt ipſius mirabiles libros de Ciuitate Dei aſſiduè ad menſam ſibi prælegi iuſſerit teſte Paulo Emilio in vita dicti Imperatoris.

Hæc ideò huc ego retuli antè textus expoſitionem, vt prudenter agnoſcas, & indices, hunc librum eſſe verum, & germanum partum Sanctiſs. Patris, & Patriarchæ noſtri Auguſtini, & tam ab antiquis, quàm à modernis eruditiſſimis fuiſſe pro tali habitum, & agnitum.

Et hoc probant primò eius libri confeſſionum in quorum quarto cap. 16. in princ. ait (& quid mihi proderat, quod annos na-

tus

tus fermè viginti, cum in manus meas veniſſent Ariſtotelica quædam, quas appellant decem Categorias; quarum nomine cum eas Rhetor Carthaginenſis Magiſter meus buccis Typho crepantibus commemoraret, & alij, qui docti habebantur, tanquam in neſſio quid magnum, & diuinum ſuſpenſus inhiabam, legi eas ſolus, & intellexi.

2. Quia in impreſſione Lugdunenſi Iacobi Iunctæ, & alijs etiam ad marginem primi capitis habetur hæc notula. Has Cathegorias poſteà tranſtulit pro filio ſuo.

3. Quia ipſum primum caput huius libri apertè dicit, eſſe conſcripta pro filio ſuo Adeodato, & denique ipſe ſonus verborum, & exponendi modus ſatis ſuperque Auguſtinum eſſe declarat Auctorem.

Hac

Hæc ideò monui, quia neſcio, quid venerit in mentem Admod. Reuer. Patris Fr. Matthiæ Hauzeur Sacræ Theologiæ profeſſoris Iubilati de doctrina Auguſtiniana, tàm benemeriti, vt in ea miles veteranus iam ſupra quadraginta annos ſtrenuè, & inſuperabiliter decertarit; quod conatus fuerit, hoc opus à Catalogo operum S. Patris Noſtri Auguſtini expungere his verbis, quæ habentur in p. tom. ſuæ Anathomiæ, vbi agens de libris diſciplinarum B. Auguſt. pagina mihi 17., quæ eſt impreſſionis Lutetiæ ſic ſcribit. Liber decem Cathegoriarum Ariſtotelis per 22. capitula putatur ab Auguſtino ſupra recenſitis ſub nomine Philoſophiæ, ſed nec eſt ad eius intentum ſuſpra, & eius Epilogus ad filium uum Adeodatum, ad quem eſt pro-

prologus, poteſt mouere dubium de Authore: tum quia profitetur, ſe ſub magiſterio cuiuſdam Themiſtij Philoſophi, hæc ex Græco in latinum conuertiſſe ad filij vtilitatem; cum tamen Beatus Auguſtinus non eſſet tàm peritus linguæ Græcæ, nec ei affectus, & hæc non videantur verſa ex Ariſtotele, ſed tantum decerpta: tùm, quia profitetur, ſe hoc libro ſtuduiſſe delectare doctos, cum ibi nihil occurrat delectabile. *Et tom.* 2. *pag.* 16. *colu.* 2. *repetit*. Hinc vereor, ne hoc opus non ſit B. Auguſtini, tùm quia lib. 4. confeſſ. cap. 6. *refert*. ſe Ariſtotelis Cathegorias prima lectione ſine vllo Magiſtro ſe ſolo tàm perfectè intellexiſſe, ac alij quilibet à Magiſtris peritiſſimis: Tum, quia fatetur lib. pri. Confeſſ. cap.

13., & 14. ſuam quaſi naturalem auerſionem à ſtudio Linguæ Græcæ, & ſæpè eius etiam imperitiam in grauiori ætate ſaltem ad translationes, tàm difficiles; Tum, quia hæc non eſt verſio continua, ſed tantum quædam excerptio; tùm deniquè quia, nec eſt conueniens ad delectandum Doctos, nec ad manifeſtè erudiendum Doctos cum venia, & ſaluo meliori iudicio.

Hanc ſententiam (ſalua pace tanti viri) non approbo. Primò, quia eſt contra ſenſum omnium aliorum Doctorum, & Vniuerſitatum, vt patet ex p. tom. oper. S.P.N. A. *vbicumque impreſſo. 2., quia eius argumenta non probant intentum; Nam primum, idcſt, quod non ſunt ad S.P.A. intentum, eſt gratis dictum, & erat*

pro-

probandum; cum enim, vt ſcribit idem. S. P. N. *lib. pri. retract. cap. 6. tunc componeret libros de diſciplinis, inter quos enumerat Dialecticam; cum hac manca, & truncata ſit ſine hoc opere: hoc erat maxime ad intentum ipſius, vt eſſet perfecta, tanto magis, quod, vt notat in d. cap. retract. Deſiderium ipſius erat tunc, per has diſciplinas quaſi quibuſdam paſſibus certis ad incorporalia, vel peruenire, vel duci, & quis ignorat, dictas Cathegorias eſſe, velut gradus, quibus intellectus paulatim aſſurgit à viſibilibus ad inuiſibilia, vt fatetur idem* S. P. *loco ſupra cit. in confeſſ., vbi per hæc prædicamenta fatetur, ſe aliquam Dei cognitionem habuiſſe, licet (vt ipſe refert) hoc ei non proderat; immò oberat; cum etiam Deũ mirabiliter ſimplicem atquè incom-*

com-

commutabilem illis decem prædicamentis putaret comprehendi. *Alterum argumentum, quod non eſſet tàm peritus linguæ Græcæ, nec ei affectus, vt potuerit hæc vertere, & hæc non videntur verſa, ſed excerpta, facilè ſoluitur: Primò, ſi attente legatur* cap. 13. lib. pr. confeſs., *vbi ait.* Quid autem erat cauſæ, cum Græcas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar. *Ex quibus patet, quod eſto, eas odiſſet, nihilominus eas addiſcebat; hoc enim iudicat illud verbum* imbuebar: 2. *ex epiſtolis ipſius patet, eum conſueuiſse, conſulere Codices Græcos; nam epiſtol.* 59., *quæ eſt ad Paulinum ait*, Quia diligentiora exemplaria per aſcenſus notam eandem verbi Græci ambiguitatem Græco ſcribendi more diſſoluunt. *Et epiſtol.*78., *quæ eſt*

ad

ad Heſichium, vbi difusè diſputat de quibuſdam verbis Græcis ab illis verbis, maxime ſi Græcum intueamur eloquium, *ibi differentias aſſignat inter voces quibus Græci tempora ſignificant* ; & epiſt. 89., *quæ eſt ad Hilarium contra Pelagianos , & Manichæos*; ſed tamen Græci codices vndè in latinum ſcriptura tranſlata eſt illud plures habent, quod diximus *ex lib.* 3. *de Trinitate Dei cap. pri. dicit, ſe mediocriter inſtructum lingua Græca illis verbis*, Græcæ autem linguæ non ſit nobis tantus habitus, & cæt. *& capit.* 22. *de ſerm. Domini cum monte ſic ait.* In exemplaribus Græcis ſic inuenimus Omnia ergo, quæcunq; , &c., & lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 23. *narrat ſibi à clariſſimo viro Flauiano Proconſule oblatum*

ei

ei Græcum Codicem, vbi oſtendit ei carmina Sybillæ Erithreæ, eo artificio conſcripta, vt litteræ initiales carminum redderent Ιησοῦς χριστος θεοῦ υἱός σωτήρ *quod eſt latinè, Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator, quæ carmina in latinum à quodam traducta ibi adducit, & propterea ſubdit.* In his latinis verſibus de Grçco vtcumquè translatis ibi non potuit ille ſenſus occurrere, qui fit, cum litteræ quæ ſunt in eorum capitibus connectuntur, vbi littera in Græco poſita eſt, quia non potuerunt latina verba inueniri, quæ ab eadem littera increperent, & ſententiæ conuenirent. *Ex his iàm clarè habetur, ipſum fuiſſe, ita mediocriter inſtructum, & imbutum hac lingua, vt & legere, & recurrere ad Codices Cræcos, & de differentia inter*

ter ipſas voces diſſerere, vndè non erat ei tàm arduum iſta transferre, vt arbitratur Pater Hauzeur. & tantò magis hoc ei reddebatur facilè, quod vt ipſe teſtatur, verſionem hanc fecit ſub magiſterio cuiuſdam Themiſtij eruditiſſimi Philoſophi; & quis mediocriter in aliqua lingua eruditus, non facilè transferat ſub magiſterio alicuius viri in ea peritiſſimi. Deindè miror, cur dicat, quod hæc non videntur verſa ſed excerpta; quam notulam credo deſumpſerit ex aliquibus impreſſionibus; rationem cur eam appoſuerit, ego non aſſequor; nam cum ipſe S. P. *in fine lucius libri dicat*, hæc ſunt filij chariſſimè, quæ iugi labore aſſequuti, cum nobis Themiſtij noſtrâ memoria Egregij Philoſophi Magiſterium non deeſſet, ad vtilitatem tuam de Græco in lati-

latinum conuertimus; *vbi clarè dicit, ſe conuertiſſe. Deinde facta collatione textus Ariſtotelici cum hoc opere ea omnia, quæ habentur in illo textu hic etiam verſa, & copioſiſſimè explicata, ac notationibus illuſtrata inueniuntur; vndè potius erat dicendum, hæc conuerſa & loculēter explicata, quàm non tàm verſa, quàm excerpta.*

Cum igitur hoc opus, in quo illa Ariſtotelica prædicamenta habentur, & etiam plura alia conducentia ad eorum intelligentiam, non ab alio auctore, ſeù interprete editum ſit; nam nec inter opera vllius alterius habetur; nec hiſtoria prodit ab alio fuiſſe elaboratum, ergo à S. P. N., qui iam ab immemorabili eſt in legitima, ac pacifica poſſeſſione huius operis.

Vltimum argumentum quod eſt in dicto Epilogo fateri; ſe aucto-

xem nihil ommiſiſſe, quod poſſet aut delectare iam doctos, aut indoctos manifeſtiùs erudire; vbi ait Pater Hauzeur quod non eſt conueniens ad delectandum doctos, & ad manifeſtè erudiendum indoctos. & hoc eſſe apertiſſimè falſum quis non videat? Et ſanè miror, quod non aduerterit homo verſatiſſimus in lectione S. P. N. id, quod lib. 4. confeſs. cap. 16. *hoc modo ſcribit*; cum in manus meas venisſēt Ariſtotelica quædam, quas appellant decem Cathegorias &c. tanquam in neſcio quid magnum, & diuinum ſuſpenſus inhiabam. *Vndè dicendum eſt, ipſum ſcripſiſſe, quod in ſe experiebatur. Deindè quis eſt tàm a Scholis Peripateticis alienus? qui neſciat, hæc prædicamenta primò proponi Tyronibus Logicis poſt prædicabilia, vt ſint*

illis

illis quaſi fundamenta, & baſis totius philoſophiæ, & Theologiæ: ergo & ad manifeſtè erudiendum indoctos mirificè inſeruiunt. Gratis ergo negantur à dicto Patre tàm delectatio, quàm eruditio huic operi; & ſane præclariſſima commentaria tot virorum inſignium, tàm antiquorum, quàm recentiorum, in hæc Ariſtotelica prædicamenta teſtantur, eos hoc opere mirificè delectatos fuiſſe tanquàm totius orbis epilogo, & compendio reducente ad decem claſſes infinita penè rerum genera; & ſi non credidiſſent ad erudiendum indoctos eſſe optimum præſidium; profecto in eo commentando non inſumpſiſſent tantum temporis, & laboris: maneat ergo certum (ſalua pace tanti viri) hoc opus eſſe verè à S.P.N. elaboratũ.

Nunc ad eius explicationem accedamus.

DECEM CATEGORIÆ
S. P. N. Auguſtini.
CAPVT TERTIVM.
TEXTVS.

De oratione, & quã labe pateſit ſignicatio.

CVm Omnis ſcientia, diſciplinaque artium diuerſarum non niſi oratione tractetur, nullus tamen, ò fili Adeodate, in quouis genere pollens inuentus eſt, qui de ipſius orationis vellet origine, principioue tractare. Idcirca miranda eſt Ariſtotelis philoſophi diligentia, qui differendi de omnibus cupidus, ab ipſius cœpit examine, quam ſciret, prætermiſſam à cunctis, & omnibus neceſſariã.

Cap. 1.

Is

Digitized by Google

Is igitur nos docuit ex octo his, quas Grammatici partes orationis vocant, eam ſolam rectè appellari orationis partem, quæ indicaret aliquid, vocabuloq; ſignaret. Itaq; ſolas orationis partes authore Ariſtotele, nomen, & verbum debemus accipere. Cæteras vero ex his fieri, & compagines orationis, potius, quam partes eius debere nominari, Nomen nanq; perſonam demonſtrat, verbũ quid quiſque faciat patiaturue. Dehinc hoc docente debemus aduertere, quo compendio paulatim oratio coarctata per gradus cuncta quæ ſunt vno vocabulo capta concluſerit. Nam cum ſit diuerſa innumerabiliſq; mortalium nuncupatio, nec comprehendi poſſit nominum tam lata diuerſitas, vno tamen vocabulo

cũ hominem dixeris noſcis omnes. Similiter & cętera, vt equus ille ζανθος vel αιθριος vel διος vel ille atq; ille. Et quamquam ſit horum nominum quoq; infinita comprehenſio, equum tamen cum quis dixerit, monſtrabit omnes. Et ſi quis leonibus quod fieri ſolet, vel bobus imponat nomina, in immenſum tenditur vniuſcuiuſque cognitio, & acies mentis obtunditur. Sed cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui vbiq; ſunt, ſub vno nomine naturæ ſuccedunt. Verum orationis vis, quæ infinita genera procreandi varietate ſingulis vocabulis colligauerat, parum feciſſe viſa eſt, niſi eadem coarctata in vnum ſingulari nuncupatione concluderet. Ideoq; & hominem, & feram, & equum dixit animal, dans

dans cunctis nomen, quod omnia poſſideret . Nec minus ea quæ ſine anima ſunt, breui ex immenſa demõſtratione ſignauit: nam cum ſit arbor, & nucis, & caſtaneæ, & glandis, & mali, cæteraq; inexplicabilia genera virgultorum, ſurculum vocãs, ſingulari omnia, & communi vocabulo aſtrinxit. Similiter ornamentorum diuerſos lapides compendioſè vocauit gemmas. Poſtremo licet abunde proſpexerit diſperſa paſsim generalia ſpeciali nota conciliaſſe tamen ingenti quodam, & capaci ad infinitum nomine omne quicquid eſt comprehẽdens dixit *οὐσίαν*, extra quam nec inueniri aliquod, nec cogitari poteſt. Hæc eſt vna de categorijs decem. Appellatas verò categorias conſtat, propte-

rea, quod non poſſint niſi ex ſubiectis agnoſci, ως κθι θινων λεχθεισαι Quis enim quid ſit homo poſſit agnoſcere, niſi aliquē ſibi hominem ponat ante oculos, quaſi ſubiectum homini? Ne autē progrediente tractatu, in quo plurimis exemplis opus eſt, eadem ad docendum nomina repetantur, ac ſæpe accidat, vt vel Hortenſij, vel alterius hominis, vel ſuperius animalis, vel excelſius vſiæ frequentata exempla in faſtidium reciderent, alia his vocabula, quibus ad diſſerendum Philoſophi vterentur, inflexit. Itaq; Hortenſium, & nucis arborem, & equū Xanthum, & his ſimilia, αιδητα, ατομα, εναριτμα, κατεκασα, vocauit αιδητα, quod tactu ſentiantur: ατομα, quod diuidi, & ſecari nequeant. Quis enim cre-

dat

dat Hortenſium cædi poſſe per partes? Quod ſi fiat, Hortenſius iam non erit, ἐναριτμα, quod ſint numeri vnius, κατἑκαστα, quod ſingularia. Neque enim hæc in vno quouis geminari poſſunt. Deinde altiora, id eſt, hominem, equum, leonem arborem, εἰδεα vel ἰδεας ars dicit, quaſi partes generis, & rerum formas. Dehinc ſuperiora, id eſt animalia, & virgulta, & gemmas, & lapides, genera nuncupauit, ex quibus partes, vel formæ naſcuntur. Eadem tamen genera ſpecies etiã nominari poſſunt, quod habent excelſius aliquid, id eſt vſiam, ex qua oriri videntur, & naſci, Ipſam verò vſiam, ſupra quam nihil eſt, appellari voluerunt. His ita compoſitis, ea quę mente concepta, ſignari, & demon-

De æqui uocis multi-

 ſtra-

vocis, & ſimilib. Cap. 2. ſtrari poſſunt, aggreſſus Ariſtoteles, omiſit, illa interim quæ de verborum ratione tractanda ſunt, cum in linguæ vſu prouenerint, vt vno nomine res multæ, & multis nominibus res vna nuncupetur. His rebus quas vnum nomen complectitur, duo vocabula ars dedit, vt ex his alia homonyma, alia ſynonyma vocaret. Homonyma ſunt, cum res quidem plures commune nomen accipiunt, interpretatione verò eiuſdem rei ſeparantur, vt homo pictus, & verus. In his namq; vnum nomen eſt, verum ſi ad definitionem, vel ad interpretationem hominis redeas, inueniuntur iſta diſparia. Cum enim dixeris, verum hominem animal eſſe, quod riſum capiat, & vim rationis admittat, cum de picto

idem non poſſis dicere, neceſſario inueniuntur eſſe diſparia. Regulariter autẽ accipere debemus, omne nomen licet proprium, quod poſſit eſſe commune cum cæteris, homonymum vocari, vt Cicero, non vnus, ſed plures. Sed ſi omiſſo nomine ſignis potius demonſtrare velis quis ſit ille Cicero, quis alius, quis tertius, alia de alio ſigna narranda ſunt, vt alium craſſum dicas, alium tenuem, vel longus dicatur alius, alter breuis, candido colore quis, alter nigro. Hæc igitur quoniam inter ſe diſcrepant, ſolo ſociata nomine, homonyma dicta ſunt, vocabulo iuncta, rei interpretatione diſcreta. Synonyma verò ſunt res, quæ & nomine, & ſui interpretatione iunguntur, vt eſt animal: id enim de homi-

ne, & equo, & de fera, & de auibus dici poteſt. Animal eſt quod cibum capiat, quod mortale ſit, quod ſenſu mouetur. Nunc ad eas res, quæ ſingulæ multis nominibus aſſignari ſolent, veniamus. Quanquam hanc partem Ariſtoteles, vt ſuperius dictum eſt, prætermiſerit, id circo quod de his quæ ſignificantur, non de his qua ſignificant, diſſerendum putauit. In his autem non rerum, ſed nominum vertitur quæſtio. Hęc diuiſa ſunt ſimiliter in partes dūas, & alia πολυώνυμα, alia ἑτερώνυμα ſunt. Polyonyma ſunt cum multa omnia vnā rem ſignificant, neque vlla differentiæ nominum redditur ratio, vt enſis, mucro, gladius. Hæc enim cur vnam rem tot ſignificent, nec diſcerni nec di-

difiniri poteſt. Dehinc heteronyma à multis ęque nominibus res ſingulas tenent. Verum in his habet rationem diuerſitas nominum, velut eſt homo terrenus mortalis. homo ab humanitate, terrenus à terra, in qua cuncta gignuntur, mortalis à neceſſitate mortis. Claret igitur in his nominum originem quæri, in ſuperioribus rerum, quamobrem his omiſſis, Ariſtoteles ſuperiorum maluit mouere tractatum. Ergo ad homonyma redeamus, quæ diuiduntur in duas partes, aut enim fortuitu fiunt, aut hominum volũtate naſcuntur. Fortuitu fiunt enim, cum quodam caſu ſimile quis alteri nomen accipit. Voluntate, cum ſimilitudo nominis ex induſtria imponentis afficitur. Horum autem quæ induſ-

duſtria vel voluntate naſcuntur, quatuor ſunt genera : εικων, κατ αναλογιαν, αφ ενος, προς εν vt eadem Latinus quoq; ſermo declaret, Similitudo, proportio, ab vno, ad vnum: Similitudo eſt, vt homo pictus, & verus in ſola ſimilitudine copulantur. Proportio eſt quod κατ αναλογιαν Græci vocant, vt quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontē dicamus, proportio enim ſui ſimilitudo nominis videtur adiuncta. Ab vno eſt cum dicimus à medicina medicinale ferramentū, medicinalis ſcientia, medicinalis vſus, medicinale præceptum; ab vno in cuncta deſcendunt. Ad vnum, vt illa potio ſalubris eſt, ille medicus ſalubris eſt, ferramentum illud ſalubre. Hæc enim cuncta

vnum

vnum ideſt ſalutem videntur attingere. Sed pleriq; moue- re aſſolent, quæſtionem, de qui- bus magis Ariſtoteles voluit inchoare tractatum. Primo de ijs quæ ſunt, ſecundo de ijs quæ percipiuntur, tertio de ijs quæ dicuntur. Primo ſunt res om- nes, quas natura peperit, ſecun- do percipiuntur ea, quorum imagines in animo videndo formamus, & recondimus, ter- tio dicuntur illa, quibus ea quæ ſunt impreſſa animo efferuntur. Id nanque quod quis conci- pit animo, lingua proſequente declarat. Sed, vt Themiſtio noſtræ ætatis erudito Philoſo- pho placet, de his Ariſtoteles tractare incipit, quæ percipiun- tur, quæque ipſe vocat Græco nomin: σημαινομμυα ſiue φαντασιασ ideſt imagines rerum inſidentes ani-

Quid agat in categorijs. Cap. 3.

animo. Verum cum de percep-
tis propoſuerit diſputare, & de
ijs quæ ſunt, & de ijs quæ di-
cuntur neceſſario locuturus eſt.
Percepta enim ex his oriuntur
quæ ſunt, quæ videndo perci-
pimus, perceptorum autẽ deerit
demonſtratio, niſi eorum, quæ
dicuntur, auxilio fuerint de-
monſtrata. Ergo quanquam ſe-
paratim poſtea ea quæ ſunt, de-
finiturus ſit, mixtam tamen de
tribus diſputationem debemus
accipere. Nam de perceptis
qui loquitur, & originem rerum
trahit, & præſidia orationis im-
plorat. Superfluam igitur quæ-
ſtionem mouet, qui dicit, ſcru-
tari oportere, cur Ariſtoteles in
principio ſuo Homonyma lege
vel dixerit, vel detexerit, ſi de
his, quæ percipiuntur, fuerat
tractaturus, cum liqueat non
poſſe

poſſe dici aliquid, niſi quod perceptum fuerit, nec percipi aliquid poſſe, niſi res fuerit, de qua imago intuendo capitur. His ergo cognitis, paronyma videamus, quæ ſunt in homonymorum, & ſynonymorum media conſtituta, & quæ nec paronyma dici poſſunt, niſi in ſe habuerint vtrorumq; coniunctum, id eſt niſi & nomen homonymorum, & negocium ſynonymorum videantur habere commune, vt à ſapientia ſapientem, vel medicum à medicina dicamus, eadem in medico quę in medicina, & actus ſimilitudo videtur, & nominis. Propterea recte paronymum dictum eſt, quod aliunde nomen acceperit. Verum ne eadem videantur paronyma, & homonyma, quæ ab vno dicuntur id eſt ab

De denominatiuis. Cap. 4.

hanc

hanc differentiam debemus agnoſcere, quod ipſa paronyma inter ſe quidem propter ſimilitudinem nominis homonyma ſunt illius, tamen nominis paronyma dicuntur, vnde nomen acceperint, vtputa à ſapientia dicamus hominem ſapientem, ſapiens conſilium, inter ſe hæc homonyma ſunt, ipſius verò ſapientiæ paronyma. Obſeruari tamen oportet vt commutationem vltimæ ſyllabæ habeant, neq; ita finiantur paronyma quemadmodum deſinunt ea de quibus originem ducunt, vt medicina, & medicus, medicina alijs litteris clauditur, alijs medicus. Hanc igitur differentiam niſi paronyma habuerint, & niſi cum ſynonymis negocio, cum homonymis nomine fuerint copulata, homo-

monyma potius quam parony-ma nominantur. Vt ſi à mali-tia vitioſum dicamus, negocio quidem cum ſynonymis, con-uenit, ſed ab homonymis diſ-crepat nomine. Neq; enim vi-tioſus, & malitia ſimilia ſunt, quamquam eodem intellectu ſentiantur. Quod ſi à malitia dicatur malus, recte vtrumque conuenit. In vltima verò ſyl-laba non mutantur hoc modo, vt ſi dicamus à ſapientia verba ſapientia. Hic cum nulla com-mutata eſt ſyllaba; paronymi excluſa eſt nuncupatio. Vnde conſtat hæc, & his ſimilia ho-monymis potius debere co-niungi. Scire etiam debemus, verba aut ſimplicia eſſe, aut cer-te coniuncta. Coniuncta ſunt, equus currit: ſimplicia, cum hæc ſeparantur, & dicuntur ſin-

gula:

gula: vt equus, currit. Sed iam ſatis de his quæ dicuntur, dictum puto.

SCHOLIVM.

QVod contingit nunc S. P. N., etiam Ariſtoteles accidit de hoc libro Categoriarum, vt eſſet qui negaret illum eſſe Auctorem huius operis; verum ſicut communis ſenſus Peripateticorum tenuit Phyloſoph: in ſua legitima poſſeſſione, ita & communis ſenſus Auguſtinianorum debet manutenere S. P. Auguſtinum in ſua, ne alioquin Optimum S. R. E. Doctorem in cæteris diſciplinis perfectum, & abſolutum in hac diminutum eſſe fateri cogatur, eo maximè quod euidentia certitudinis ſtat pro ipſo, nunc deſcendendo ad particularia huius tractatus.

Quæſ-

Quæritur pr: cur appellatæ ſint Categoriæ ℞. S. P. propterea quod non poſſint niſi ex ſubiectis agnoſci; quod eſt idem quod tradunt Peripatetici, ideſt quod Prædicamētum dicitur κατειγορια à verbo κατειγορεω quod eſt prædico, & enuncio; continet enim prædicata, quæ de ſubiectis affirmantur, & aliquando accipitur pro tota ſerie ex inferioribus, & ſuperioribus gradibus conſtituta; aliquando vero pro ſupremo genere cuiuſq; prædicamenti. Primo modo ſumptum definitur prædicamentum à Peripateticis. Alicuius ſummi generis realis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio; dicitur generis realis, (explicant aliqui Peripatetici) quia in hoc libro Philoſophus non agit de vocibus, ſeu conceptibus, ſed de rebus ipſis realibus, quatenus con-

Cur dicantur prædicamenta, & Categoriæ, & quid ſint.

conducunt ad regulandas Intellectus noſtri operationes; ſed non placet S. P. N. quod agatur ſolum hic de rebus; ita vt excludantur conceptus, & verba; ſed de his tribus vult eſſe tractandum in hoc opere nam c. 3. huius libri ait ſed vt Themiſtio noſtræ ætatis erudito Philoſopho placet, de his Ariſtoteles tractare incipit, quæ percipiuntur, quæqq; ipſe vocat græco nomine σημαινομενα ſiue φαντασιας ideſt imagines rerum inſidentes animo. Verum cum de perceptis propoſuerit diſputare, & de ijs quæ ſint, & de ijs quę dicuntur, neceſſario loquturus eſt. *(Per quæ clarè patet S. P. intendere, quod re vera tam de rebus quam de verbis, & conceptibus hic agendum ſit. Alij qui contendunt formalitatem Vniuerſalitatis eſſe peten-*

rendam ab Vnitate; quæ ſit ens rationis, non vero ab ea quæ eſt à parte rei, dicunt hic nomine Generis realis venire ſubſtractum illud, cui ſuperuenit genereitas; quod appellant genus primo intentionaliter, non vero conſtitutum in eſſe generis ab actu rationis, vt ipſi conſtituunt; Et ex hoc colligunt differentiam ſecundum quã prædicabilia, & prædicamenta mutuò diuerſificantur. Volunt enim ipſa Prædicabilia eſſe res ipſas, ſecundum quod, extrinſecè affectæ ac veſtitæ ſunt quadommodo vel ente rationis, vel actibus noſtris, & ſecundum prædicata, quæ illis competunt dependenter ab actibus noſtris. Prædicamenta vero eſſe res ipſas reales ſecundum prædicata, & proprietates, quæ illis conueniunt ſine vlla dependentia ab actibus

noſ-

noſtri Intellectus.

Verum ſi iſti loquantur de Prædicabilibus radicaliter ſumptis quæ ſunt formaliter ipſa Vniuerſalia, non admittuntur a nobis propter ſupradicta cum de ipſis Vniuerſalibus. Si verò de Prædicabilibus formaliter ſumptis loquuntur admitti poſſunt ex ea parte, qua dicunt importare ſubſtracta veſtita actibus noſtri Intellectus, cum prædicabilitas formaliter ſumpta importet actus noſtri intellectus in potentia, ſicut prædicatio actualis importat eos actu. Verum adhuc manet difficultas inſoluta cum enim tam Vniuerſale, ſeu Prædicabile radicaliter, quam iſta prædicamenta ſint entia realia, adhuc manet inquirendum, quid voluerint Phyloſophi includere, & quid excludere per ly generis realis, & quidem

quod

quod noluerint excludere Vniuerſalia clarè patet, quia tota illa tractatio eſt in ordine ad hæc prædicamenta, & iam iſti ponunt per hanc definitionem prædicamenti dari genus reale, ideſt genus, quod ſit à parte rei. Vnde ego arbitror voluiſſe excludere negationes, priuationes, & illa entia rationis (ſi dantur) quæ important eſſe tantum obiectiuè in intellectu, quæ ſicut abuſiuè tantum dicuntur entia, ſic etiam abuſiuè dicuntur genera ſpecies &c.

Quæritur 2. quomodo prædicamenta ad Logicum pertineant, nam cum ſint partes entis videntur potius ſpectare ad eam ſcientiam, quæ agit de ente in tota ſua latitudine, puta Metaphyſicam, quam ad eam, quæ ad modum ſciendi. ſolum coarctatur. Verum facile reſpondetur, quod ſi ſermo

ſit de exactiſſima prædicamentorum pertractatione, perſpicuum eſſe, ſpectare ad eam ſcientiam, intra cuius obiecti amplitudinem comprehenduntur res, de quibus agitur in prædicamentis; Si verò loquamur de aliqua rudi cognitione vti à Philoſophis in Logica explicari ſolent, iam eorum tractatio Logici muneris eſt, cum ad ordinandas, & dirigendas intellectus operationes, mirificè conducant, pro dignoſcendis videlicet prædicatis magis, vel minus latè patentibus, ad conficiendas poſtea prædicationes naturales, & agnoſcendas innaturales, & connexiones, aut repugnantias, quas habent duo, vel plura prædicata, tum inter ſe, tum etiam cum aliquo tertio, vt ex illis poſtea diſpoſitis iuxta regulas Logicæ rectè, & infallibiliter inferatur

Quo pacto ad Logicum pertineat agere de prædicamentis.

bona

bona conſequentia &c. huiuſmodi, vt ſunt definitiones, diuiſiones, quæ non video quommodo poſſint ſemper recte formari ſine cognitione horum prædicamentorum eapropter S. P. N. ea coniunxit hic cum principijs Dialecticæ, & agit hic cap. p. de oratione, de æquiuocis, Vniuocis &c. c. 2. iuxta ſeriem Philoſophi de arte definiẽdi c. 6. de Genere differẽtia, & ſpecie cap. 7., quæ omnia Philoſophus rationalis ſcrutari debet ſi ſuæ profeſſionis perfectionem deſiderat. Propterea hunc ordinem, & ipſe amplector. Difficillima interim ad Metaphyſicam reſeruans.

Quæritur tertio an eodem modo omnia collocentur in ſerie prædicamentali; nam in definitione habetur, quod ſit alicuius ſummi Generis Realis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt, naturalis diſpoſitio, Vn-

de ſi eſt naturalis, videtur quod omnia eodem modo collocanda ſint. ℞. non omnia eodem modo in ſerie collocari; ſed hanc ſeriem naturalem poſtulare, vt alia ponantur directè ſiue ſecundum profunditatem in linea media, vt ſunt genera, & ſpecies, alia à latere ſeu ſecundum latitudinem, vt ſunt differentiæ, quæ habent diuidere genus; vnde ad indicandam illam diuiſionem bipartiuntur, & differentiæ, ita vt vna ex vna parte alia verò ex altera parte collocetur. Alia vero ſunt quæ reductiue tantum ad prędicamenta ſpectant; vel quia ſunt partes, aut termini, vel aliquo alio modo conferunt ad eorum cognitionem, quæ directum obtinent locum. hanc ſeriem, & neceſſitatem colligendi plura indiuidua in vna ſpecie, & plures ſpecies in vno gene-

Quomodo diſponantur res in ſeriè prædicamentali.

genere, & reducendi omnia genera ſubalterna ad ſupremum pulcherrime explicat S. P. N. Auguſtinus p. cap. huius operis ab illa ſententia. Nam cum ſit diuerſa innumerabiliſque, mortalium nuncupatio, nec comprehendi poſſit nominum tam lata diuerſitas, vno tamen vocabulo cum hominem dixeris nouis omnes, *& deinceps vſq; ad finem capitis; quæ qui a ſunt ab ipſo tam lucide, & tam clarè explicata vt non ageant vlteriori explicatione, idcirco ne tenebras potius, quam lucem afferam ad vlteriora gradum facio. Lectorem remittendo ad dictum locum.*

Quæritur 4. Cur S. P. cap. 2. huius libri agat de homonymis, Synonimis, Polyonymis, Eteronymis, & Paronymis, & quidnam iſta ſint ℞. *p. agere de iſtis vt di-*

Cur hic agitur de homonymis, Synonimis &c.

gnoſcantur, quænam ſint ea, quæ nos appellamus Denominatiua, Æquiuoca, Analoga, vel Vniuoca; vt deinde excludantur ea, quæ non attinent ad ſeriem prædicamentalem, & retineantur Vniuoca, quæ ſola in prædicamentis locum habent.

Quid ſint homonyma Synonima &c.

℞. 2. ex ipſomet S. P. N. c. 2. tam homonyma, quam Synonima, eſſe quando plures res habent vnũ & idem nomen, diſtinguuntur tamen in hoc, quod ea quæ dicuntur homonyma, in voce quidem conueniunt, at definitione ſeparantur, vt ſunt homo pictus, & homo verus; & hæc à nobis dicũtur Æquiuoca. Synonyma vero ſunt res, quæ & nomine, & ſui interpretatione id eſt definitione iunguntur, vt homo, animãl loquendo de veris hominibus, & veris animalib. &c. & hæc ſunt quæ nos vniuoca appella-

pellamus, Itaque hic aliter accipiuntur Synonima, ac à nobis accipiantur in noſtro communi vſu loquendi; nos enim dicimus eſſe Synonima, quando plura ſunt nomina de eadem re vt Enſis, Gladius, *mucro de eodem ferro ad ſciendendum, aut feriendum apto S. vero Pater ex vi vocis Græcæ hæc Polyonyma appellat. his adiunxit heteronyma, quæ ſunt idem ac apud nos deriuatiua, vt terrenus a terra, mortalis à morte; poſtmodum cap. 4. egit de Paronymis, quæ dixit eſſe in medio homonymorum, & Synonimorum conſtituta; nec poſſunt dici paronyma niſi in ſe habuerint vtrumque contractum, ideſt niſi & nomen homonymorum, & negotium Synonymorum videantur habere commune, vt a Sapientia Sapientem, a Medicina Medi-*

cum. Vnde hæc ſunt propriè, quæ nos appellamus denominatiua; vbi obſeruat, & ipſe, quod paronyma ad defferentiam homonymorum commutationem vltimæ Syllabæ habeant: neque ita finiantur paronyma, quemadmodum deſinunt ea quibus originem ducunt, quod Peripatetici explicarunt differentia caſus, cum Synonymis igitur negotio ideſt ſignificatione, & definitione eadem rerum, quæ importatur per illud nomen, & cum homonymis nomine debēt coniungi, ideſt quod idem omnino nomen ſit commune pluribus alias homonyma potius quam paronyma nominanda erunt.

Hæc ſufficiant breuiter indicata pro explicatione horum nominum Cræcorum. Nam inſequentibus vtar vocibus, quibus communis vſus Scholarum vtitur, vt pro

homo-

homonymis dicam Æquiuoca, pro Synonimis Vniuoca, pro Paronymis denominatiua ponam. ne loco diſputationis rerum, cogar diuertere ad diſputationem nominum qui plura de his cupit conſideret Textum vt ſupra.

Quæritur 5. cur hic de his nominibus Vniuocis, Æquiuocis, denominatiuis agatur, & quid nam illa importent.

℞. p. quod cum iſta ſeries prædicamentalis conſtituatur ex apta rerum diſtributione in ſua capita, & genera Vniuoca, & procedat ex certis regulis prædicationis, certaq; denominatione à formis deſumpta ad illam melius explicandam neceſſe erat, vt Tyronibus exponeretur, quidnam Vniuoca, quidue Æquiuoca, & denominatiua importarent; vnde etiã abſtractorum concretorumuè vis

Cur de Vniuocis Æquiuocis, & denominatiuis agatur, & quid importent.

dignoſcitur; ne in tot & tam varijs nominibus intellectus hæſitaret, ne vè erraret accipiendo Æquiuoca pro Vniuocis, denominatiua pro denominantibus, concreta pro abſtractis, vel abſtracta pro concretis; ex quorum poſtea errore in grauioribus difficultatibus, tùm huius, tùm aliarum ſcientiarum orirentur plures deceptiones iuxta effatū Peripateticorum, Paruus error in principio, fit maximus in Concluſione.

℞. 2. *Æquiuoca rectè fuiſſe definita Quorum nomen ſolum eſt commune, ſecundum nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa; quod eſt idem quod ait S. P. quando ait* Homonyma ſunt cum res quidem plures commune nomen accipiunt, interpretatione verò, ideſt definitione eiuſdem rei ſeparantur vt homo pictus, & verus.

rus. *In definitione enim Peripateticorum per rationem intelligitur definitio tàm formalis, quam obiectiua: per ſubſtantiam vero, non illam, quæ ab accidentibus diſtinguitur, & proprium prædicamentum conſtituit; ſed cuiuſq; rei Eſſentiam; nomen vero quod dicitur commune pluribus; licet ſi ſpectetur eſſentialiter, ſit multiplex tamen ſpectatum ſecundum ſonum, & de articulationem materialiter eſt vnum; quantum ad æquiuocationem faciendam ſufficit.*

Hic vero inſurgit dubium; an hic definiantur æquiuoca æquiuocantia, ideſt nomina, quæ plura ſignificāt ſecundum diuerſas rationes; an vero Æquiuoca Æquiuocata, quæ ſunt res ſignificata nomine Æquiuoco; Ego inter diſcrepantes ſententias arbitror illa *An hic definiantur*

Æquiuoca Æquiuocãtia vel Æquiuoca Æquiuocata.

definitione comprehendi totum conflatum ex Æquiuocis, Æquiuocantibus, & Æquiuocis Æquiuocatis, Æquiuoca quidem Æquiuocantia vt forma, & vt id quo conſtituuntur; Æquiuoca vero Æquiuocata vt quod, & vt materiale Æquiuocorum. Hinc ſoluitur illa communis obiectio Æquiuoca non habent rationem communem, ergo non poſſunt vnica definitione definiri; Axioma enim cõmune eſt Æquiuoca prius eſſe diſtinguenda, deinde definienda. ℞. enim Æquiuoca poſſe conſiderari dupliciter, ideſt in actu exercito, & in actu Signato, & quidem in actu exercito non ſunt vniuoca, nec poſſunt definiri vt patet. In actu vero ſignato cum ſubſint omnes communi nomini; quod habet ſe vt forma ad illa plura nomina materialiter ſe habentia,

tia, Vniuocatione inſigniuntur, & ſub hac ratione definiuntur, quod idem proportionaliter de Vniuocis dictum volumus: ideſt poſita vniuocatione etiam in actu exercito.

Quæres 6. an Æquiuoca ſint omnia eiuſdem rationis. ℞. *tam per S.P.N. Auguſtinum quam per Ariſtotelem eſſe in duplici differentia; ideſt alia caſu, & fortuito; alia vero ex hominum beneplacito; hanc differentiam explicauit S.P.N. cap. 2. verſus finem illis verbis* homonyma diuiduntur in duas partes aut enim fortuitu fiunt aut ab hominum voluntate naſcuntur *hæc homonyma fortuitu facta dicuntur ea quæ Peripatetici appellant Æquiuoca a caſu; homonyma vero a conſilio appellant Æquiuoca conſilio, & ſunt illa quæ communiter appellantur*

An Æquiuoca ſint omnia eiuſdem rationis.

ana-

analoga; quæque quoniam inter Vniuoca, & Aequiuoca conſtituta ſunt, ab vtriſque tamen diſcrepant, definita fuere, Quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantię nec omnino eadem, neque omninò diuerſa. Hæc Aequiuoca à conſilio, quæ analoga dicimus, fuerunt diuiſa in analoga propria, & analoga impropria; analoga impropria ſunt, in quibus ratio, quæ de pluribus dicitur analogice, in vno formaliter, & intrinſecè reperitur; quod propterea dicitur principale analogatum, in alijs vero reperitur non formaliter, & intrinſece; ſed vel tantum ſecundum aliquam denominationem extrinſecam, fundatam in aliqua relatione, ſeu habitudine ad prædictum principale analogatum; vel ſolum metaphorice, & per

quam-

quamdam ſimilitudinem, & proportionem; Vnde eſt quod hęc analoga, quæ impropria vocamus, ſubdiuiduntur in analoga puræ attributionis; ſeu quæ talia ſunt per purum ordinem, & habitudinem ad aliud, & in analoga proportionis, includentis attributionem, & metaphoram (loquor ſecundum communem loquendi modum; nam metaphyſica poſtea dabit Difficultates examinatas, & obiectiones ſolutas.) Analoga quæ dicuntur puræ attributionis, ſunt illa, quæ important puram proportionem ad aliquid, quod ſolum proprie, & formaliter rationem illam participat; hæc ab Ariſtotele nunquam aliter nuncupantur, quam nomine eorum quæ ab vno, vel ad vnum dicuntur. In quibus analogis locum habet commune illud pronunciatum, quod analogum abſolute

lutè ſtat pro principaliori analogato; Analoga verò ſecundum proportionem includentem attributionem, & Metaphoram, ſunt illa, quibus non ſolum non competit eadem ratio formaliter, & intrinſecè, ſed in ſingulis membris, eſt æqua proportio, hoc eſt, vt ſicut ſe habet vnum analogatum ad ſuam formam, à qua dicitur tale, ita ſe habeat aliud ad ſuam, quæ tamen illi non conueniat, niſi impropriè, & per Metaphoram. Analoga verò propria, quæ dicuntur proportionis nullam includentis Metaphoram, ſunt quando eadem ratio analoga formaliter, & intrinſecè in ſingulis analogatis reperitur; ſed quia non perfectè, & adæquatè à differentijs contrahentibus participatur in quibus imbibitur, & quidditatiuè includitur, fit vt nō ſint Vniuoca; quia

vero

vero datur aliqua ſimilitudo, & conuenientia intrinſeca omnibus, non tamen omnino æqualis, vt in Vniuerſalibus, & Vniuocis, fit vt non ſit Vniuoca; Quia verò datur ratio formalis, & obiectiua communis inferioribus, fit vt neque ſint Aequiuoca, ſed analoga, analogia tamen, quam aliqui propriam appellant; quę in hoc conſiſtit, quod idem conceptus, qui intrinſecè, & formaliter in ſingulis ineſt, inæqualiter ab inferioribus participetur.

Hæc omnia deſumpſi ex cap. 2. huius libri Categoriarum S. P. N. Auguſtini vbi verſus finem ſic habet. Ergo ad homonyma redeamus, quę diuiduntur in duas partes: aut enim fortuitu fiunt, aut hominum voluntate naſcuntur. Fortuiſſe fiunt enim, cum quodam caſu ſimile quis

alteri

alteri nomen accipit. Voluntate, cum ſimilitudo nominis ex induſtria imponentis affigitur. Horum autem, quæ induſtria vel voluntate naſcuntur, quattuor ſunt genera εικωμ, κατ αναλογογιαμ αφ ενοσ προσ εμ vt eadem latinus quoq; ſermo declaret. Similitudo, proportio, ab vno, ad vnum, ſimilitudo eſt vt homo pictus, & homo verus in ſola ſimilitudine copulantur. Proport: eſt quod κατ αναλογιαμ Græcè vocant, vt quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontem dicamus: proportio enim ſui ſimilitudo nominis videtur adiuncta. Ab vno eſt cum dicimus à medicina medicinale ferramentum, medicinalis ſciẽtia medicinale præceptum ab vno in cuncta deſcendunt. Ad

vnum

vnum eſt, vt illa potio ſalubris eſt, ille Medicus ſalubris eſt, ferramentum illud ſalubre. Hæc enim cuncta vnum ideſt ſalutem videntur attingere. h. 1. *vbi videtur clare S.P. poſuiſſe, & analoga impropria, & propria, & Analoga proportionis, & attributionis vt de ſe patet, & ex ſupra dictis manifeſtum relinquitur.*

Quæres 7. quommodo definiantur Vniuoca, & denominatiua. ℞. p. Vniuoca definiri a Philoſopho, quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eſt eadem; huius definitionis particulæ eodem modo explicandæ ſunt ac in definitione æquiuocorum. Circa quam oritur difficultas, an ad Vniuocationem requiratur conceptus obiectiuus plurium ſimilium, ita vt ſit omnino neceſſaria perfecta, & omnimo- *Definitiones Vniuocorum, & denominatiuorum.*

da

da ſimilitudo; plures & non ignobiles Philoſophi cenſent, non requiri, quod probant ex eo quod tam conceptus ſpecificus, quam genericus propriam, & veram Vniuocationem obtineat; & tamen intra idem genus, & intra eandem ſpeciem tanta diuerſitas reperitur; ſed ſalua pace tantorum virorum cenſeo, quod ſi non ſit perfecta ſimilitudo in eo gradu, qui ſignificatur per nomen Vniuocum, non poſſit dici verè, & propriè Vniuocum; cum hac ſit differentia inter Vniuoca, Analoga, & Aequiuoca, vt Vniuocorum ratio importantia per nomen ſit omnino eadem. Analogorum verò nec omninò eadem, nec omnino diuerſa. Aequiuocorum verò omninò diuerſa; Vnde ſi in Vniuocis ratio non ſit omninò eadem, ideſt omninò ſimilis iam non

erunt

erunt Vniuoca. Diuerſitas illa quæ reperitur in generibus, & ſpeciebus non eſt in illis, ratione gradus importati per nomen, ſed ratione differentiarum ſiue eſſentialium, ſiue accidentalium; quæ ſunt extra rationes illius gradus, quod nomen Vniuocum ſignificat; iuxta illud Philoſophi Axioma, differentiæ accidunt generi.

℞.2. Denominatiua dici, quæcumque ab aliquo differentia caſu ſecundum nomen habent appellationem; In qua definitione non definiuntur ſolum voces, aut ſolum res; ſed totum concretum ex vocibus, & rebus; ſiue res ipſæ reales quatenus nominibus ſubiacent; ita vt res ſe habeant tamquam materia ſubiecta, voces vero vt forma.

Vniuoca igitur à Philoſopho fuere definita vt ſupra a S.P.N., qui-

qui appellat ea Synonima, quæ & nomine, & ſui interpretatione iunguntur, per ly interpretatione intellige ratione, & definitione vt ſe explicat in exemplo, quod adducit, cum ait, vt eſt animal; & ſubiungit, id enim de homine, & equo, & de fera, & de auibus dici poteſt.

Denominatiua vero definiuit cap. 4. ſub nomine Paronymorum Paronymum dictum eſt, quod aliunde nomen acceperit, *ita que* paronyma inter ſe quidem propter ſimilitudinem nominis homonyma ſunt, illius tamen nominis paronyma dicuntur vnde nomen acceperint vt a Sapientia Sapientem. Obſeruari tamen oportet vt commutationem vltimæ ſyllabæ habeāt, *hæc ille quæ omnia concordant cum Ariſtotelo ſenſu, licet verbis*

bis propter diuerſas interpretationes videantur diſcrepare, & ideò nihil noui ſuperaddendum occurrit.

COROLLARIVM.

E*X dictis habetur rectè, & ad mentem S. P. N. Auguſtini vt patet in p. cap. fuiſſe a Philoſophis definitum prædicamentum; quod ſit alicuius ſummi generis realis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio, nam ibi apertiſſime indicat, idcirco ad nomina generum, ſpecierum, & differentiarum fuiſſe reducta indiuidua, & alias multiplicitates; ne infinitas nominum infinitam confuſſionem in ſcientijs induceret. Scientiæ enim naturales ſunt de vniuerſalibus, non vero de ſingularibus; quorum proprietates, & ſi ali-*

ſi aliquando cognoſcantur, vt plurimum tamen ignorantur.

2. In definitione rectiſſime fuiſſe poſitum generis realis, non ad excludenda Vniuerſalia; vt aliqui volunt, cum ideò iſta prius addiſcantur, vt melius cognoſcantur prædicamenta, & in noſtra ſententia Vniuerſale tam de materiali, quod de formali dicat aliquid reale; ſed ad excludendas negationes, priuationes, & ſi qua alia ſunt, quæ abuſiuè dicantur entia; nam eodem modo abuſiuè dicuntur habere genera, vel ſpecies, quod patet ex textu eſſe de mente. S. P. N. Auguſtini, ex dictis de Vniuerſalibus.

3. Differe quidem Prædicabilia formaliter ſumpta, & prædicamenta, quod illa ſunt res ſecundum prædicata quæ illis competunt dependenter ab actibus noſtris,

tris, iſta verò ſunt res ipſæ reales ſecundum prædicata, & proprietates, quæ illis conueniunt ſine dependentia ab actibus noſtris; vt docui in Idea Philoſophiæ Auguſtinianæ pag. 11. vbi de Antepredicamentis nu. 3. nam prædicabilitas formaliter, vt dixi, habetur per intellectum; non verò differunt ab eis, ſi prædicabilitas ſumatur radicaliter nam eſt idem cum Vniuerſalitate, & realiter, & formaliter licet differant potius quod Prædicamenta ſunt ſeries, & coordinationes rerum. Prædicabil: vero ſeu Vniuerſalia non habent eſſe coordinationes, & quando in eorum tractationibus conſiderantur coordinationes, conſiderantur, vt ſunt diſpoſita in prædicamentis, vt patet ordinarie in capite de ſpecie, vbi ſolet poni Arbor quæ dicitur Por-

phyriana ideſt Arbor prædicamenti ſubſtantiæ; de qua ille excellenter ludens ſcripſit verè.

Arbor ſum plana, quæ vocor Porphyriana;
Mater ſum litis; ſolis ſum Nota peritis.

4. *Spectare ad Logicum prædicamenta ſecundum quamdam rudem notitiam; eorum vero exactam cognitionem ad Metaphyſicum, ille enim ad inueſtiganda rerum prædicata, hic vero ad perfecte entis rationes penetrandas ea contemplatur.*

5 *Aequiuocorum, Analogorum, Vniuocorum, & Denominatiuorum definitiones tam S. P. N., quam Ariſtotelis conuenire, licet ſit aliqua diſcrepantia in vocibus, in quibus vtilius communi vſui loquendi obtemperatur, nedum de vocibus inutiliter diſputat: Quaſtionum vtiliſſimarum de rebus pretioſiſſimum tempus deperdatur.*

De

DE REGVLIS ANTEPRÆDICAMENTALIBVS.

CAPVT QVARTVM.

TEXTVS.

REſtat vt eorum quæ ſunt, quo pacto Ariſtoteles tractauerit, enarremus. Sunt igitur illa quæ aut percipimus ſenſibus, aut mente, & cogitatione colligimus. Senſibus tenemus quæ, aut videndo, aut contrectando, aut audiẽdo, aut guſtando, aut odorando cognoſcimus. Mente, vt cum quis equum, aut hominem, aut quodlibet animal viderit, quamquam vnum corpus eſſe reſponderit, intelli- *Cap. v. Subſtantia, & accidẽs.*

git tamen multis partibus eſſe
concretum. Siquidem alia pars
ſit capitis, alia pedum, cætero-
rumque membrorum, in ipſo
capite partes ſuas aures ha-
beant, habeat propriam linguã
Ipſæ quoq; partes ſingulæ mul-
ta in ſe habeant quæ diuidi, &
ſeparari poſſint: vt caro ſit aliud
aliud corium, aliud venæ, aliud
nerui, aliud capilli, Ergo hæc
mente, vel intellectu colligi-
mus, ad quæ noſtri ſenſus pene-
trare non poſſunt. Conſidera-
mus etiam illa, & animi inten-
tione cognoſcimus vel homi-
nem, vel aliud animal creſcere
ſeneſcere, nunc ſtare, nunc mo-
uere greſſus: modo angi curis,
modo ſecura mente conquie-
ſcere: ſanitate aliàs frui, aliàs
dolorem perpeti: ex nigro al-
bum, nigrum ex albo color
muta-

mutari: peritum ex imperito, doctum ex indocto: ex manſueto ferum, ex feroci manſuetum. Cum igitur in ijs quæ ſunt, alia ſenſibus, alia mentibus colligantur, ſeparare hæc proprijs nominibus, homines eruditi maluerunt: & id quod dignoſcitur ſenſibus, iam dici ουσιαν: illud autem quod animi tractatu colligitur, ac ſæpe mutatur, συμβεβηκοε, id eſt accidens, nominare voluerunt. Et quoniam in permanente vſia, ea quæ accidunt, ineſſe noſcuntur, ipſam vſiam, υϖοκαπενον id eſt, ſubiacens, & non in ſubiecto appellari voluerunt: illa verò quæ accidunt, εν υποκαϖενω, id eſt in ſubiacenti, dixerunt. Sine dubio tamen illud oportet à nobis agnoſci, vt ſicut potiorem vſiam accidentibus dici-

mus, ſic potius ατομον vel κατεκ-ασόν id eſt hunc hominem vel hunc leonem ijs quæ fuerint communia, vel communi vocata animalium nomine, iudicare.

Cap. vi. Quæ dicuntur de ſubiecto, quæ ſunt in ſubiecto

Rurſus ad ea quæ ſignificantur, Ariſtoteles regreſſus eſt, quot modis ea quæ ſunt, ſignificari adſolent, monſtraturus. Ex his igitur quæ ſunt, alia de ſubiecto ſignificantur, & in ſubiecto non ſunt, vt homo. De ſubiecto quidem ſignificatur, aliquo homine. Neque enim homo dici poſſet, niſi eſſet aliquis de quo diceretur. In ſubiecto autem nullo eſt, cum ipſe ſit vſia, quam ſuperius diximus in nullo vnquam ſubiacenti eſſe, quippe cum ſit cæteris ipſa ſubiecta. Alia vero nec in ſubiecto ſunt, nec de ſubiecto ſignificantur, vt eſt Cicero: nec

in

in ſubiecto eſt, quia vſia eſt: nec de ſubiecto aliquo ſignificatur, ſiquidem cum à ſe ortum vocabulum teneat, neque intelligi poſſit aliunde. Dicta ſunt duo quæ ad vſiam pertinent, quo pacto ſignificentur, quorum ſuperius κοινον ideſt commune, inferius κατεκαστον, id eſt ſingulare dicitur. Nunc ea quæ ſunt ex accidentibus, quo nam modo ſignificentur dicendum eſt. Sũt igitur ex ijs alia quæ & in ſubiecto ſunt, & ſignificantur de ſubiecto, vt eſt ſcientia vel color. Sunt enim in ſubiecto aliquo, id eſt in animo vel corpore: neque enim ſcientia poteſt eſſe, niſi ſit anima ſubiecta qua contineatur: nec ſignificari ſcientia poſſet, niſi de ſubiecta grammatica: vel nec color quiſquam poſſet eſſe, niſi in ſubiecto corpore:

nec ſignificari poſſet, niſi de ſubiecto aliquo colore: ita fit vt & in ſubiecto ſint, & de ſubiecto ſignificentur. Alia vero ſunt ex ijſdem συμβεβηκόσι, id eſt accidentibus, quæ in ſubiecto quidem ſunt, ſed de ſubiecto minimè ſignificantur, vt eſt hæc grammatica, vel hic albus color. In ſubiecto quidem ſunt, animo vel corpore, de ſubiecto autem non ſignificantur. Neq; enim his aliunde vocabulum pendet, ſed ſuo & ſpeciali nomine deſignantur. In ijs quoq; accidens ſuperius, commune nominamus, inferius vbi iam certa res eſt pro parte, hoc eſt κατέκαστον dicitur. Verùm ne aliquid non apertum præterire Ariſtoteles exiſtimaretur, & oriundis quæſtionibus occaſionem daret, de eo quod in ſubiecto

biecto eſt, voluit tractare diligentius, ac definire quid eſſet accidens, vt calumniantibus aditus clauderetur. Definiuit ergo in ſubiecto eſſe, quod in altero eſt aliquo, non vt pars ſit quædam, neque ſine eo, in quo eſt poteſt vnquam eſſe. Hæc definitio addita propterea eſt, quia dici poſſet digitum, vel pedem in ſubiecto eſſe, ideſt in corpore: hoc igitur excluſit cauta definitione, dicendo id eſſe in ſubiecto, quod eius pars non ſit in quo eſt: digitum autem, vel pedem partem eſſe corporis conſtat: dehinc à calumniantibus dici poſſet, aquam vel vinum in quodam cado quaſi in ſubiecto eſſe; Sed id oriri docta definitione non ſinit, addens id eſſe in ſubiecto quod ſine ſubiecto eſſe non poſſit: vinum

autem vel aquam ſine cado,in quo fuerint, poſſe & alibi eſſe, non poteſt dubitari. Interea hoc loco debemus aduertere qua arte definitio diſponatur. Primum enim hanc per immenſum tendi oportet, incipientem à genere: dehinc paulatim per partes currendo peruenire debet ad id, in quo ſolum eſt,id quod definitur. Vt ij qui ſigna formant, primum immenſum ſubdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo, & abſcindendo ſuperflua, ad formandos vultus,& membra perueniunt. Sic definitio à genere incipiens depulſa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonſtrandæ rei cubile tendit accedere. Sed ad propoſitum reuertamur: tractatus enim erat,de ijs quæ ſunt, quemad-

madmodum ſignificentur, de quibus quoniam iam multa dicta ſunt, illud regulariter nobis tenendum eſt, omnia κατ εκαστα, vel εναριτμα, vel ατομα, vel αισθητα, id eſt hunc hominem, vel hunc equum, vel hanc arborem de ſubiecto ſignificari non poſſe. Sin vero hæc eadem de accidentibus fuerint, id eſt hic color, hæc diſciplina, in ſubiecto eſſe poſſe. Quemadmodum enim ſuperius demonſtratum eſt, omne accidens ſine ſubiecto eſſe non poteſt. Docti igitur ſumus quo pacto vel ſubiectum, vel in ſubiecto poſſumus agnoſcere.

Dehinc nos Ariſtoteles docet, & illa quæ de ſubiecto ſignificantur qua ratione cognoſcamus. In his autem ſpeciale illud eſt, quod eadem in *Cap. vii. Quid genus, quid ſpecies.*

ipſo ſubiecto inueniuntur, quæ ſunt in eo, quod de ſubiecto ſignificatur: vt enim animal de ſubiecto ſignificatur, homine, vel equo, ſic & homo de ſubiecto aliquo homine ſignificetur, neceſſe eſt: Cicero autem & homo eſt,& animal. Quæcunque igitur prædicari de animali poſſunt, eadem & de homine,& Cicerone prædicantur. Quapropter ea, quæ in eo quod de ſubiecto ſignificatur, inueniuntur,& in eo quod ſubiectum eſt, neceſſe eſt inueniri: vt ſi dicas, animal eſt,quod cibum capiat, quod mortale ſit, quod ſenſu moueatur: animal autem de ſubiecto ſignificatur homine, eadem tamen & de homine dici, neceſſe eſt,quæ de animali dicta ſunt. Deinde quæ de homine dicta fuerint, eadem & de Socra-

crate. Certum autem eſt Socratem ſubiectum eſſe homini, hominem autem animali. Quicquid igitur in ijs quæ de ſubiecto ſignificantur, dictum fuerit, idem & de ijs quæ ſubiecta dicimus prædicabitur. Regulariter autem illa de ſubiecto ſignificantur, quæ per ſeipſa cognoſci non poſſunt, vt animal intelligi non poteſt niſi de ſubiecto homine, ſic homo aduerti non poteſt, niſi de ſubiecto aliquo homine dignoſcatur. Nunc quoniam de categoriarum omnium generibus, & ſpeciebus, & differentia locuturus eſt, inſpiciendum prius videtur, quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia: Genus igitur eſt quod ſecundum multa & differentia quid ſit, ſpecie oſtenditur atque ſignificatur, vt eſt vſia. Omne qui-

quidem vſiam dicimus,ſed hoc commune nomen ſpecie ſeparatur, cum dicimus animal vel lapidem, Ita ſit vt vno quaſi coniuncta vocabulo, ſpecie ſeparentur. Differentia vero eſt quæ ſecundum multa & differentia, non quid ſit, ſed quale ſit ſpecie prædicatur, vt eſt animal greſſiuum, volatile, aquatile, bipes, quadrupes. Genus ergo & differentia ſpecie ſignificantur. Sed genus quid ſit, differentia autem qualis ſit ſpecie poſſunt agnoſci. Species autem eſt, quam quidam & formam vocant, quæ ſecundum multa, & differentia quid ſit numero prædicatur, atque cognoſcitur, vt eſt homo. Hoc nomen homines cunctos complectitur, & videtur id facere qnod ſpecies dum de aliquo homine

præ-

prædicatur, qui numerum in ſeipſo contineat, id eſt hic primus, ille ſecundus, iſte tertius. Vt tamen hæc tria vno exemplo monſtremus: Genus eſt, animal: differentia, bipes, quadrupes: ſpecies, homo, equus. Sed vt genus nullum eſt, quod non habeat differentiam, ſic nec differentiam intelligere debemus, quæ ſpecies non habebit, vt nigrum, & album non habent differentiam, propterea quod ex ſe ſpecies non emittunt. Quæ enim alia ſpecies inueniri poteſt albi vel nigri? Quoniam igitur quid ſit genus, quid differentia, quid ſpecies, ſeparatum eſt: ad Ariſtotelis iam dicta veniamus. Hoc enim docente cognouimus, eorum generum quæ inter ſe diuiſa ſunt, nec differentias eaſdem poſſe

eſſe,

eſſe, nec ſpecies. Alia enim & ſpecies & differentia eſt, dum quæritur quid ſit, alia dum quale ſit, alia dum quantum ſit: vt ſi velis animalis dicere differentiam, dicas volatile, bipes, greſſiuum: ſi velis ſpeciem, dicas hominem vel auem vel equum. Nunquid nam & de diſciplina eadem differentia, vel ſpecies dici poteſt, propterea quod genera diuerſa ſunt, animal & diſciplina? Animal enim categoria eſt vſiæ, diſciplina categoria qualitatis. Denique illa genera quæ alterna ſibi ſocietate ἐπάλληλα coniuncta ſunt, eaſdem differentias, & eaſdem ſpecies habent, vt eſt vſia, huius ſpecies eſt animal. Sed idem animal genus eſt cæteris, ideòque & ſpecies & genus dicitur. Quoniam hæc igitur duo gene-

ra

ra inuicem ſe tenent, quæ Ariſtoteles quoq; ἐπάλληλα nominauit, eaſdem differentias habent, vt ſi dicas, vſiam eſſe animal mortale, bipes, riſus capax: eadem & de animali potes dicere, animal eſt homo mortalis, bipes, riſus capax, eadem & de homine potes dicere. Certum eſt ergo, inuicem ſibi coniunctis generibus, eaſdem, & differentias, & ſpecies inueniri. In diuerſis autem generibus hoc prouenire non poſſe.

SCHOLIVM.

Poſtquam S. P. N. attulit prædictas explicationes nominum cum Philoſopho; vt deinceps oſtendat, quanam in prædicamentis locum habeant, deſcendit ad ea, quæ Ariſtoteles de incomplexis do-

docuit; diuiſit enim ea, quæ dicuntur in complexa, & incomplexa; oumiſſis verò complexis, quæ pro nunc ad rem noſtram non faciunt, ea, quæ S. P. N. capitibus Quinto ſexto, & ſeptimo luculenter ex Philoſopho explicauit breuiter ſic perſtringo.

Diuiſio eorum quæ ſunt.

Quadrimembrem hic S. P. ponit Philoſophicam diuiſionem eorum quæ ſunt. 1. Alia de ſubiecto aliquo dicuntur, in ſubiecto autem nullo ſunt; alia de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt; alia verò neque in ſubiecto ſunt, neq; de vllo ſubiecto dicuntur; alia denique in ſubiecto ſunt, de ſubiecto autem nullo dicuntur, Hæc quadrimembris partitio reſultat ex ijs quæ ſunt, quæq; diuiduntur in ſubſtantiam, & accidens, conſiderantur à Philoſopho vt quædam Vniuerſalia, vel vt ſingularia

ter-

terminantia prædicationem Vniuerſalem; ac propterea hoc loco, dici de ſubiecto, idem eſt ac prædicari eſſentialiter de inferioribus. Explicat verò Philoſophus quid intelligat per eſſe in ſubiecto illis verbis, in ſubiecto verò eſſe dico; quod cum in aliquo ſit non ſicut quædam pars, impoſſibile eſt eſſe ſine eo, in quo eſt; quibus verbis ſolum accidens definitur; quod ſecundum totam ſuam amplitudinem ſpectatum diſtinguitur ab eo, quod eſt per ſe ſubſiſtens, & habet entitatem actu adæquate à ſuo ſubiecto diſtinctam, in quo inexiſtit formaliter, illud perficiens accidentaliter vt actus illius, non tamen vt pars apta facere vnum per ſe cum illo; a quo eſt impoſſibile naturaliter ſeparari. Plura non addo hic, nam S. P. Auguſtinus ita ſe, & Ariſto-

telem

telem explicauit in his capitibus vt vlteriore expoſitione non indigeat.

His expeditis Philoſophus duas regulas omninò recipiendas ſubneſcit, quæ communiter regulæ ante prædicamentales dicuntur; Altera eſt pro prædicatis eſſentialibus, & eſt quando aliquid de altero prædicatur tanquam de ſubiecto; tunc quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto; vbi prædicari de ſubiecto intelligendum eſt, prædicari eſſentialiter, ſiuè vt genus vel ſpecies, ſiuè vt differentia, ita vt hæc regula locum in ijs prædicatis habeat, quæ per ſe eſſentialiter includuntur in eo, de quo prædicantur.

Duæ Regulæ Ante prædicamentales.

Altera regula eſt diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſas eſſe ſpecie differen-

ferentias; Subalternatorum verò generum nihil prohibere, eaſdem eſſe differentias: Non ſubalternata genera ea vocat, quæ in diuerſis prædicamentis collocantur; quæ verò ita ſe habent vt alterum genus ſub altero, vel vtrumq; ſub tertio contineatur, ea genera ſubalternatim poſita appellat.

Has duas regulas recepit S. P. N. nam capite 7. verſus finem ab illis verbis. Hoc enim docente cognouimus eorum generum, quæ inter ſe diuiſa ſunt, nec differentias eaſdem poſſe eſſe nec ſpecies &c. *eas vſque ad finem capitis egregiè, & dilucidè declarat.*

COROLLARIVM.

E*X his habet primo quid intelligat Philoſophus per ly eſſe*

in

in ſubiecto, & dici de ſubiecto, per quæ diſtinguit ſubſtantiam ab accidente, nam eſſe in ſubiecto, vult competere accidentibus; dici de ſubiecto, & non eſſe in ſubiecto, conuenire prædicatis Vniuerſalibus ſubſtantiæ; non eſſe vero, nec dici de ſubiecto, indiuiduis eiuſdem ſubſtantiæ.

2. Habes duas regulas anteprædicamentales, quarum vna eſt pro prædicatis eſſentialibus; quod quando aliquid de altero prædicatur tanquam de ſubiecto, quidquid prædicatur de prædicato prędicatur de ſubiecto. Altera eſt duorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſas eſſe ſpecie differentias.

De

DE PRÆDICAMENTIS *IN COMMVNI.*

CAPVT QVINTVM.

TEXTVS.

RVrſus Ariſtoteles ad ea quæ dicuntur, reuertitur, quanquam ſuperius dixerimus alterum ſine altero tractari non poſſe. Nam & qui dicit aliquid, de eo dicit quod eſt: & id quod eſt, non poteſt ab altero intelligi, niſi dicatur. Eorum ergo quæ nulla ſui copulatione dicuntur, quodcunque ſingulare dictum fuerit, aut vſiam ſignificat, aut quantitatem, aut qualitatem, vt ad aliquid, aut iacere, aut facere, aut pati, aut vbi, *Ca. viii. De prædicamētis in generali.*

aut

aut quando, aut habere. Hæ ſunt categoriæ decem, quarum prima vſia eſt, ſcilicet quæ nouem cæteras ſuſtinet. Reliquæ verò nouem, συμβεβηκοτα, id eſt accidentia ſunt. Ex quibus nouem, ſunt alia in ipſa vſia, alia extra vſiam, alia intra & extra. Qualitas, quantitas, & iacere in ipſa vſia ſunt: mox enim vt vſiã vel hominem vel equum dixerimus, aduertamus neceſſe eſt bipedalem, quadrupedalem, aut album, aut nigrum, aut ſtantem aut iacentem. Hæc in ipſa vſia ſunt, & ſine hac ipſa eſſe non poſſunt: alia ſunt extra vſiam, vbi, quando, habere: & locus ad vſiam non pertinet, & tempus, & veſtiri, & armari, ſed ab vſia ſeparata ſunt. Alia ſunt communia, id eſt, & intra, & extra vſiam: ad aliquid, & face-

re,

re, & pati: ad aliquid, vt magis, & minus: vtraq; enim dici non poſſunt, niſi coniuncto altero quo magis ſit vel minus. Propterea ergo vnum in ſe habet, aliud extra ſe. Item facere, extra eſt, & intra, vt cædere quiſque non poteſt dici, niſi alterum cædat: vel legere, niſi ipſe legens aliud ſit, aliud quod legit. Ita ergo & in vſia hæc eſt, & extra vſiam. Pati ſimiliter, cædi enim vel vri nullus poteſt, niſi ab altero patiatur. Propterea hæc quoque & in vſia eſt, & extra vſiam. Hæc igitur cum ſingularia ſunt, nihil affirmant: copulata vero faciunt ex ſe aliquem ſermonem, vel προσακτικὸν vel ευκτικον, vel ερωτηματικον, vel κλητικον: vt hæc quoque Latino ore monſtremus, vel imperatiuum, vel optatiuum, vel in-

terrogatiuum. vel vocatiuum. Hæc quoque ſermonis quaſi quatuor genera ſuſpenſa ſunt atque ſimplicia interim, ideòq; ſemiplena. Neq; enim iam intelligitur vel quid imperatiuum ſit, vel quid optatiuum, vel quid interrogatiuum, vel quid vocatiuum, niſi acceſſerit genus ἀποφαντικόν, id eſt pronunciatiuum, quod habeat in ſe quandam confirmandi ſententiam, quæ aliquid aut addat, aut demat: quod Ariſtoteles καταφασιν & ἀποφασιν dixit, vt eſt, cælum hoc volubile eſt, cælum hoc non eſt volubile. Ipſum denique pronunciatum, quod diximus apophaticon, aut falſum eſt aut verum. Quamobrem omiſſis illis quatuor quæ magis ad grammaticos vel oratores pertinent, huius apophatici, quod ad

ad philoſophos pertinet, Ariſtoteles habuit mentionem.

SCHOLIVM.

Explicat hoc capite S.P. ſufficientiam diuiſionis Prædicamentorum: hæc diuiſio fertur primum factam fuiſſe ab Achita Tarentino celebri antiquorum Philoſopho; quam diuiſionem poſtea Ariſtoteles in Liceum intulit; eumque poſteà poſteriores Peripatetici ſequti ſunt, ea vero ſunt quæ ſequuntur 1 Subſtantia 2 Quantitas 3 Qualitas 4 Relatio 5 Quando 6 Actio 7 Paſſio 8 Vbi 9 Situs 10 Habere. Hæc diſpoſitio communiter cenſetur pingui, vt dicitur, minerua facta; illam enim ſi diligenter inſpiciamus, multa occurrent, quæ & Tarentinus, & Ariſtoteles confirmare nollent.

Sufficientia Diuiſionis Prædicamentorum.

K 2 *Pri-*

Primò enim videtur quod Quantitas, & qualitas ſub vno prædicamento Accidentis abſoluti comprehendi potuiſſent; 2. ſi cauſa efficiens ratione ſuæ actionis conſtituit ſuum prædicamentum; quare non conſtituit etiam cauſa finalis aut formalis 3. ſi extrinſica denominatio veſtiti ſufficit ad conſtituendum vnum prædicamentum; cur non etiam denominationes viſi, amati, cogniti, & aliæ huiuſmodi. 4. plura ex poſterioribus prædicamentis potuiſſent comprehendi vnico prędicamento; cuius ſummum genus eſſet vel Relatio, vel Denominatio; Sicut etiam Actio, & paſſio potuiſſent comprehendi vno nomine, & genere cauſalitatis; nam actio eſt cauſalitas efficientis, ſicut Paſſio, ſubiecti recipientis.

Quapropter fruſtra mihi videntur

dentur in his enodandis aliquos elaborare, cum enim iſta ex hominum inſtituto, & placito pendeant non ſunt pluris facienda quam res ipſa poſtulet. Primi enim Philoſophi his diſpoſitionibus ſolum intendebant; vt ſciſcitantibus de rerum naturis reſpondere poſſent, & velut ad oculum demonſtrare quodnam genus, quæ ſpecies, quæ differentia, & alia huiuſmodi. Cum enim primum ſubiectum alicuius Quæſtionis ſoleat eſſe. Prima ſeu ſingularis ſubſtantia v. g. Petrus; de qua quæri ſolet quis ſit 2 quam magnus 3 qualis ſit 4 habeat ne filios 5 quid agat 6 quid paſſus ſit 7 vbi ſit 8 iacens ne, an ſedens. 9 quot annos natus 10 quommodo indutus; totidem Categorias veteres illi noſtri inſtituere non inquirentes diligentius

vtrum hæc omnia eſſent prima genera ita inter ſe diſtincta, vt in nullo conuenirent &c. alias plures rationes quæ ad hanc reuocari poſſũt breuitatis gratia ommitto.

Dicendum igitur numerum, & diſtributionem decem Categoriarum vt commodum eſſe retinendum, maximè ſi attendatur finis, propter quem illum induxerunt; hoc nititur Auctoritati totius Scholæ, & fini, qui primò mouit philoſophos vt eas inſtituerent.

Quæri hic etiam ſolet an omnes Categoriæ diſtinguantur realiter inter ſe? Verum hæc queſtio continet, & ſupponit multa Metaphyſicalia, ideò ne mittam falcem in Meſſem alienam eam; ad ſuum locum remitto; ſupponendo ex ibi dicendis alias eſſe diſtinctas realiter, vt ſubſtantia, & Quantitas, alias verò ſola ratione,

Diſtinctio prędicamentorum remittitur ad Metaphyſicã.

ne, vt Actio, & Paſſio, & in ſententia S.P.N. Relatio a ſuis fundamentis.

Petes hic cur iſta Prædicamenta appellentur ſumma, & prima genera. Ratio dubitandi eſt, quia duobus modis poſſet intelligi ea eſſe ſumma, & prima genera Categorica primo diuerſa. Primo quaſi nihil habeant reale commune, ita vt realiter omnia inter ſe ſint primo diuerſa, & re, & ratione, & in hoc ſenſu non poſſunt dici primo diuerſa; eò quod vt iam dictum eſt Actio, & paſſio in eadem entitate idemtificantur; & in plurimorum ſententia Relatio cum illis quæ habet pro fundamentis. *Cur dicantur prædicamenta Prima, & ſumma genera.*

Secundo poteſt ſummi eſſe primò diuerſa, eo quod nihil habeant commune communitate conuenientiæ, aut conceptus; quemad-

modum differentia vltima Petri nihil habet commune cum differentia vltima Pauli, & hoc etiam falſum eſt, nam nouem prædicamenta conueniunt in ratione accidentis ſaltem analogicè, immo aliqua ex illis conueniunt vniuocè in ratione accidentis abſoluti, vt Quantitas, & qualitas.

Quapropter arbitror dicta eſſe hæc genera primo diuerſa; quia ad hæc vt ad prima capita reuocari ſolent ſingulæ res, vt cognoſcantur earum naturæ, differentiæ, proprietates, & diſtinctiones; Nam licet ſupra hæc genera poſſet dari alia diuiſio entis propinquior; poſſet enim diuidi immediatè in ſubſtantiam, & accidens, & rurſum accidens in abſolutum, & relatiuum, tamen vberior illa diſtinctio commodior viſa eſt propter rationem ſupradictam

dictam: Quæſtionum, quæ fieri ſolent.

Quod etiam videtur indicaſſe S.P.N. cum in præſenti abſolutis ijs, quæ ſunt communia omnibus prædicamentis, & eorum diſtinctione explicata incæpit caput de ſubſtantia illis verbis. Expoſitis igitur omnibus, quæ diſputaturis neceſſaria videbantur.

Quæritur vltimo quænam conditiones requirantur, ad hoc vt aliquid in ſerie prædicamentali collocetur. ℞. *ex communi conſenſu Philoſophorum requiri multa; primo vt ſit ens reale, incomplexum, & vnum per ſe, ideſt vnius eſſentiæ; alioquin directum in hac ſerie, ſeu linea locum non obtinebit; à qua etiam prædicata æquiuoca, & analoga excluduntur; Oportet enim illud quod directè, & per ſe ponitur in recta li-*

 nea

nea vel prædicari vniuocè, & in quid de pluribus, vel certe eſſe id, de quo alia vniuocè, & in quid enuncientur; alias non poſſent inſeruire definitionibus, diuiſionibus, & syllogiſmis vt ſuo loco clarius fiet.

2. Eſt, vt ſit ens finitum, & limitatum, quod ita intelligendum ſentio, vt non quodcumque infinitum excludatur a linea prædicamentali, ſed illud ſolum, quod eſt in omni genere infinitum; Vnde ſi daretur infinita qualitas, vel infinita quantitas eam in rectam lineam prædicamentalem reponere non eſſet abſurdum. Propterea exiſtimo Philoſophos voluiſſe tantum ixplicare quod ſumma, & Diuina Maieſtas erat reponenda ſupra omne Ens creatum; non vero confundenda cum prædicatis ſuarum creaturarum, vt recte notauis

tauit S.P.N. lib. 4. ſuarum Confeſſionum cap. 16. vbi reprehendit ſuum errorem, quo reponebat Diuinam Maieſtatem in ſerie prædicamentali. In quo errore video eſſe plures Modernos.

Tertia condicio eſt, quod nullum ens reponatur in recta linea prædicamentali, quod non ſit perfectũ, & completũ per ens completum venit illud, quod natura ſua non eſt ordinatum ad conſtitutionem alicuius entis per ſe; vel quod prædicatur de eo, quod non venit in compoſitionem alterius entis per ſe in quid, & admodum per ſe ſtantis. Sicut igitur a recta linea, partes tam Phyſicæ vt Materia, & forma: quam partes Metaphyſicæ vt differentiæ, omnium conſenſu remouentur; ita rectiſſimè genus generaliſſimum, ſubalterna genera, & ſpecies etiã

infimæ, ac indiuidua admittuntur tamquam baſes, cum nullum ex ijs, quæ vniuocè, & in quid de indiuiduis prædicantur, linea illa repudiet.

Verum cum ſupra dictum ſit, Ens prædicamentale vnum per ſe eſſe debere, occurrit difficultas, an Concreta accidentialia, quæ ſunt vnum per accidens, ſint reponenda in ſerie prædicamentali; In qua difficultate communiter Doctores reſoluunt; quod ſi prædicamenta accidentium ſumantur ſecundum quod denominatiuè de ſubſtantia enunciantur, ſub hac ratione accidentia in concreto, eſſe diſponenda; eo quod ſe habeant vt vnum per ſe; ſi verò conſiderentur ſecundum, quod remouentur à ſubſtantia, & diuerſum ab ea prædicamētum conſtituunt, hac ratione in ſeriem prædica-

men-

mentalem ſola recipiuntur abſtracta; eo quod tunc non habeant modum vnius per ſe cum illa; Et in hoc ſenſu accipitur hoc, quod ens prædicamentale debeat eſſe vnum per ſe.

COROLLARIVM.

Colligitur ergo ex dictis primò hanc diuiſionem Prædicamentorum non eſſe aurificis ſtatera expendendam, eo quod exactius fieri potuiſſet, eſſe tamen retinendam vt commodam, vtilem, & magis vſitatam.

2. Non omnia Prædicamenta admittere realem diſtinctionem inter ſe.

3. Dicta eſſe Prima genera, & primò inter ſe diuerſa, eò quod ad ea vt ad prima capita, reuocari ſolent ſingulæ res, vt dignoſcatur

earum

earum eſſentiæ, & proprietates, quod indicauit etiam S. P. N. in hoc capite; cum ait. Eorum quæ nulla ſui copulatione dicuntur, quodcnmque ſingulare dictum fuerit, aut Vſian ſignificat, aut Quantitatem, aut Qualitatem &c. hoc enim aſſignat ipſe pro ſufficientia diuiſionis.

4. *Ad hoc vt aliquid in ſerie Prædicamentorum colloectur requiri, vt ſit ens reale, incomplexum, vnum per ſe, & vel prædicetur vniuocè, & ſi in recta linea prædicetur in quid, vel ſit id, de quo alia vniuocè; Quod non ſit Ens infinitum in omni genere tandem Accidentia ſi denominatiue de ſubſtantia dicantur, etiam in Concreto diſponi poſſe; vt vero ab ea ſeparata ſpeciale conſtituunt prædicamentum, in abſtracto eſſe diſponenda.*

Ommitto

Ommitto explicare illam pulcherrimam Doctrinam, quam habet S. P. hoc loco de nouem Prædicamentalis accidẽtium nempe; alia ſunt in ipſa vſia, alia extra vſiam alia, & intra, & extra. Qualitas, Quantitas, & iacere in ipſa vſia ſunt, & ſine hac ipſa eſſe non poſſunt. Alia ſunt extra vſiam, vbi, quando, habere, & locus. Alia ſunt cõmunia ideſt, & intra, & extra vſian: ad aliquid, & facere, & pati. *Hæc enim eſt feraciſſima Radix plurimarum difficultatum, ſpectantium ad Philoſophiam Naturalem; vt quicumque eruditus agnoſcet, ideo hanc fuſe explicandam ad dictum locum remitto.*

Vocabula Greca quæ paſſim in hoc opere intercurrunt, ita dilucidè explicantur a S. P. vt non indigeant vlteriori expoſitione.

De

DE VSIA
SIVE SVBSTANTIA
CAPVT SEXTVM.
TEXTVS.

Cap. ix. de Vſia ſiue ſubſtantia.

EXpoſitis igitur omnibus quæ diſputaturis neceſſaria videbantur, ſingulas categorias oportuit definiri. Sed vſia quoniam ſecundum artem definiri non poterat, quæ præcipit, vt definitio quo poſſit tendi latius, à genere ſumat exordium, ipſa autem vſia genus non habet, cum omnia ipſa ſuſtineat, per partes eam voluit definire, vt quid ſit, non ſolum eius definitione, verum partium quoq; cognitione noſcatur. Eſt igitur vſia propriè, & principaliter

dicta, quæ neq; in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto ſignificatur, vt eſt hic homo, vel hic equus. Secundæ dicuntur vſiæ, genus & ſpecies, id eſt animal & homo. Has ergo ſecundas ſubſtantias nominari dicit, propterea quod illa ſit potior, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto prædicatur. Secundæ autem ſubſtantiæ idcirco dictæ ſunt genus, & ſpecies, quod ſolæ indicent primam. Vt ſi quis nolit vel neſciat dicere Socratem, dicat animal vel hominem, id eſt genus vel ſpeciem, his vero dictis quid ſit Socrates agnoſcitur. Aliud autem ſi dicat, vel currit, vel ambulat, nihil poſſit agnoſci. Manifeſtum eſt autem ea, quæ de ſubiecto ſignificantur, cum ijs, quæ ſubiectum ſunt, & nomen, & rationem nominis

habere

habere communem, vt homo,& de ſubiecto aliquo ſignificatur homine, ſed non ſolum nomen, verumetiam rationem eandem in ſubiecto inuenies, in eo quod de ſubiecto ſignificatur poteris inuenire. Ipſarum deinde ſecundarum vſiarum potior eſt ſpecies genere: magis ènim proxima eſt ſpecies primæ vſiæ quàm genus. Si enim quis velit oſtẽdere, quid ſit prima vſia, facilius monſtrabit ſi dixerit ſpeciem, quàm ſi dixerit genus. Vt ſi quis Socratem volens dicere omiſſo eius nomine, magis eum ſignificet ſi hominem dixèrit, quàm ſi animal. Animal enim,& equum, & aquilam poſſumus agnoſcere. Deinde vt primæ ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt omnibus,& his omnia ſuſtinentur, ita etiam ſpecies generi, at-

que

que ideò magis vſia iſta, quàm cætera. Videndum eſt etiam, ne quam ſpeciem ſolam putamus, eadem ſit & genus: vt ſi quis animal dixerit, dixit & genus]. Deinde ſi dicat hominem, equum, piſcem, auem, pronunciemus omnia ſolas ſpecies eſſe. Cum enim ſint homo, & equus, ſpecies manifeſtæ ſunt, piſcis autem & auis, genera, & ſpecies. Non enim vna forma eſt auium, & piſcium, propterea ergo, & ſpecies, & genera nominantur. Illæ autem quæ ſolum ſpecies ſunt, ſicuti eſt homo, equus, aquila, taurus, equa, virtute vſiæ ſunt. Vt enim homo vſia eſt, ſic & equus, & aquila, & taurus in ſuo genere. Decurſis igitur partibus, per quas vſia definita eſt, & alio modo voluit eam definire, ſi oſtenderet ea, quæ neceſſe
eſt

eſt in ea naturaliter inueniri. Ea enim quæ inſunt cuique, aut in ſolo, & in omni, aut in ſolo, & non in omni, aut in omni, & non in ſolo, aut nec in ſolo nec in omni. Hæc Græci vocant, εν μονω κι εν παντι εν μονω και εκ εν παντι, εν παντι και εκ εν μονω και εκ εν μονω και εκ εν παντι. Vt ſi hominem definire volens, dicat riſus capacem eſſe, hoc & in ſolo eſt, & in omni. Solus nanque homo ridet, & cunctis ridere naturale eſt. Secundo, in ſolo & non in omni, vt ſi hominem definiens, capacem diſciplinæ dicat eſſe, hoc in ſolo quidem homine inueniri poteſt, non tamen in omni: neque enim omnes diſciplinas aliquas didicerunt. Tertio, in omni & non in ſolo, vt ſi quis hominem defi-

niens,

niens, dicat id hominem eſſe quod ambulat, & quod cibum capit: hoc in omni quidem eſt homine, non tamen in ſolo: nam & pecudes cibum capiunt, & feræ currunt. Quarto: nec in ſolo, nec in omni, vt ſi quis in hominis definitione id eſſe hominem dicat, quod album eſt, nec in ſolo, nec in omni eſt. Neque enim aut homo ſolus candidus inuenitur, & non bos aut equus, aut omnis homo albus eſt. Duo ergo ſunt, quæ ad inueſtigandum aliquam viam monſtrant, & duo, quæ certum aliquid ſignificare non poſſunt. Id quod eſt, nec in ſolo, nec in omni, nihil ex hoc poſſunt agnoſcere, ſiquidem generale eſt. Alterum in omni, non in ſolo, non habet differentiam, propterea que ſimiliter reſpuendum eſt.

eſt. Duo ſunt reliqua, quæ certis ſignis id, in quo fuerint, potuerunt demonſtrare, id eſt in ſolo, & in omni. Dubitari enim non poteſt, quin cum inueneris, pronuncies quid ſit id, in quo ineſſe cognoſcitur. Alterum eſt in ſolo, non in omni, non quidem virtutis eiuſdem, veruntamen quod ad definiendam rem neceſſariò quærendum ſit, ſi primum non potuerit inueniri. Nunc igitur vt deſignet vſiam, ab omni, non ſolo argumentari incipit, cum demonſtrat eſſe ſecundas vſias, quas idcirco ſecundas dicit eſſe, quia id in his inueniri poterit, quod in primis. Denique dicit commune hoc eſſe cuilibet vſiæ, vt in ſubiecto non ſit. Cum igitur nec genus, nec ſpecies in ſubiecto inueniuntur, manifeſtum eſt

eſt hæc ſecundas vſias debere nominari. Deinde hinc quoq; oſtendit genus, & ſpeciem ſecundas vſias eſſe, quod omnia quæ ſunt in ſubiecto, cum ijs, quę ſibi ſubiecta ſunt interdum ſolum nomen, non tamen & rationem poſſunt habere communem. Genus autem & ſpecies cum ſubiectis, id eſt cum aliquo homine certam, & rationis habent, & nominis ſocietatem. Monſtratis ergo ſecundis vſijs, id eſt genere, & ſpecie, differentia ſola reſtabat, quæ conſideranti diligentius, quaſi accidens eſſe videtur. Siquidem bipes vel mortale, vel rationale cum animal dicitur, non quid ſit, ſed quale ſit potius demonſtratur, ideòque videtur vim tenere qualitatis. Verùm quando à genere prima oritur differentia,
&

& ſic ſequitur ſpecies, in accidentibus non debet numerari. Atque ideo Ariſtoteles eam ſignificatione quidem mixtam dicit, virtute autem inter vſias habendam decreuit: eadẽ enim in hac inueniri pronunciat, quæ & in cæteris ſubſtantijs reperiuntur: id eſt cum ſubiecto poſſe, & nomen & rationem habere conſimilem. Cum enim greſſiuum hominem dicimus, in ſubiecto idem, & vocabulum, & eius rationem eandem poſſumus inuenire. Socrates enim & homo eſt, & greſſiuus. Similiter proſequitur cætera argumentando variata, demonſtrãs quædam ineſſe vſiæ, quæ ſola, & omnis habeat, quædam quæ ſola & non omnis, quædam quę omnis & non ſola, quædam nec ſola nec omnis. Quæ quoniam
in

in Ariſtotele ipſo manifeſta ſunt, ſuperfluum viſum eſt aperire: maximè cum hic ſermo non transferre omnia quæ à philoſopho ſunt ſcripta, decreuerit, ſed ea planius enarrare, quæ rudibus videbantur obſcura.

SCHOLIVM.

Docet hic *S..P.N. ſubſtantiam* ſecundum artem definiri non poſſe, quæ præcipit vt definitio a genere ſumat exordium; ipſa autem vſia genus non habet, cum omnia ipſa ſuſtineat, *per quæ verba ſatis clarè indicatur, Ens non poſſe eſſe genus, nec habere vniuocationem in ordinem ad ſubſtantiam, & accidens; hac enim data, ſiuè poſteà eſſet genus, ſiue non, iam poſſet*

per illud tamquam per genus deſiniri; quapropter ex Ethimologia nominis; & ex partibus eius recte inquirit quidnam, & quotuplex illa ſit. Dicta eſt ergo vſia ſiue ſubſtantia, eo quod ipſa omnia ſuſtineat, velut alij loquuntur, à ſubſtando, ſeù per ſe ſubſiſtendo, eò quod ſit quaſi baſis, & fundamentum, quod cæteris omnibus ſubeſt; & cui omnia accidentia innixa ſuſtentantur: propterea primum ſibi inter omnia prædicamenta vindicat locum. Fuit diuiſa a Philoſopho, & a S. P. N. hic in primam, & ſecundam ſubſtantiam. Hæc diuiſio multum diuiſit Auctores, & in diuerſas adduxit ſententias in aſſignando diuiſo huius diuiſionis. Alij enim contendunt eſſe ſummum genus, quod tamen communiter reijcitur, eò quod iam diuiſum eſſet alterum

Quid & quotuplex ſubſtantia.

terum

terum membrum ſuæ diuiſionis, quod eſt contra regulas bonæ diuiſionis; ipſum enim ſummum genus adæquate comprehenditur inter ſecundas ſubſtantias. Alij volunt, eſſe quamdam rationem communem tam primæ, quam ſecundæ ſubſtantiæ; Verum cum eo ipſo quod eſt ratio communis pluribus, induat rationem ſecundæ ſubſtantiæ, quæ adhuc eſt altera pars diuidens, non poteſt eſſe ipſum diuiſum. Quapropter rectius arbitror philoſophari eos, qui dicunt, non fieri hic diuiſionem propriè dictam alicuius totius in ſuas partes; ſed enumerationem illorum, quæ directè ponuntur in hoc prædicamento ſubſtantiæ ſecundum duplicem ſtatum, quem in illo habent vel ſingularitatis, vel vniuerſalitatis; quod indicat S. P. illis verbis vt quid ſit non ſolum

L 2 defi-

definitione verum partiũ quoque cognitione noſcatur. *Vel, ſi mauis, dic eſſe diuiſionẽ eiuſdẽ conceptus obiectiui in varios ſtatus quos habet; primum quidem in prima ſubſtantia a parte rei, ſecundum verò; vt conſtituitur formaliter prædicabilis, per actus noſtri Intellectus, & ſubeſt illis; & hoc videtur indicare explicatio, quam vterque affert de prima, & de ſecunda ſubſtantia, cum dicunt, Primam ſubſtantiam eſſe, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur; ſecundam verò eſſe, quæ in ſubiecto quidem non eſt, de ſubiecto vero dicitur, quod non accidit niſi per prædicabilitatem hoc poſito.*

Docuere Philoſophi Primam ſubſtantiam eſſe eam, quæ propriè, & principaliter, & maxime ſubſtantia eſſe dicitur, poſſe deſcribi,

cribi, vt dictum eſt, Quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto eſt; dixi poſſe deſcribi, quia iam dictum eſt definiri non poſſe. Vnde illa particula S. Patris, voluit eam per partes definire, *intelligenda eſt deſcriptiuè non vero quidditatiuè; cum immediatè ante docuerit, non poſſe definiri, eo quod ſubſtantia genus nō habeat ſupra ſe per illā excluſionem totalem ſubiecti intellige tam ſubiectum informationis quàm prædicationis; ex quo patet, primam ſubſtantiam, quæ collocatur in prædicamento vt baſis ſecundarum, debere eſſe ſubſtantiam completam; nam quædam ſubſtantia incompleta ideſt forma ſubſtātial: in ſubiecto eſt, quod actuat, Secundas ſubſtantias docent eſſe ſpecies, & genera in quibus primæ inſunt: Quæ inexiſ-* *Deſcriptio ſubſtantiæ.*

tentia non eſt intelligenda de actuali continentia, ita ut ſecundæ ſubſtantia primas in ſe actu contineat, nam ſic primæ potius continent ſecundas; ſed de continentia poteſtatiua, quatenus ſecundæ de primis, vt de proprijs inferioribus enunciantur, & ad earum conſtitutionem determinantur, & contrahuntur.

Docent præterea, ex primis ſubſtantijs, nullam eſſe magis ſubſtantiam, & idem dicendum eſſe, ſi conferantur ſpecies infimæ cum infimis, vt indicat S. P. illis verbis. Illæ autem quæ ſolum ſunt ſpecies æqua virtute vſiæ ſunt. *Vnde ſicut ſi fiat collatio primarum cum ſecundis, primæ ſunt magis ſubſtantiæ quam ſecundæ, quia pluribus ſubſtant, ſic ſi ſecundæ comparentur inter ſe, inferiores ſpecies erunt dicendæ magis*

An & quomodo vna ſubſtantia ſit vel non ſit magis ſubſtantia altera.

gis ſubſtantia, quam ſuperiores, quia magis ad primas accedunt, & ipſæ pluribus ſubſtant; quod clarè docet S. P. cum ait. Deinde vt primæ ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt omnibus, & his omnia ſuſtinentur, ita etiam ſpecies generi, atque ideò magis vſia iſta quam cætera.

Aſſignat deinde S. P. alium modum, quo voluit Philoſophus explicare ſubſtantiæ rationem; adhibendo illam quadrimembrem diuiſionem, qua vſus eſt Porphirius ad inueſtingandam rationē quarti Prædicabilis, quod eſt Propriū; quam ibi explicauimus; Vnde ex eo quod tam primæ quam ſecundæ ſubſtantiæ, & his ſolis, & omnibus conuenit non eſſe in ſubiecto, colligit cum Philoſopho, eſſe de ratione ſubſtantiæ, non eſſe in ſubiecto. Oſtendit deinde qualiter *Alia explicatio ſubſtantiæ.*

differentia ſubſtantiæ, licet prædicetur in quale, non tamen ſit accidens, eo quod cum ſubiecto idest cum primis ſubſtantijs nomen, & rationem habeat communem, ideſt non eſſe in ſubiecto; Vnde illam aſſignat regulam quod. Quando a genere prima oritur differentia, & ſic ſequitur ſpecies; in accidentibus non debet numerari. Atque ideo Ariſtoteles eam ſignificatione quidem mixtam dixit (*prædicatur enim in quale quid*) virtute autem inter vſias habendam decreuit.

Vltimo recipit proprietates ſubſtantiæ a Philoſopho enumeratas, quas breuiter recenſet, Quarum Prima eſt in ſubiecto non eſſe, Proprietates ſubſtantiæ. *Hanc quidam dicunt omni quidem ſubſtantiæ ideſt tam primæ, quam ſecundæ competere, non vero ſoli; eo quod differentia etiam*

per

per Philoſophum in ſubiecto non ſit, vtpote quæ ſit ſubiecti pars. Verum ex immediate ante dictis corruit hæc difficultas; nam cum differentia ſubſtantialis, de qua hic eſt ſermo reducatur tam a S. P. quam à Philoſopho ad ſecundas ſubſtantias, manet competere omni, & ſoli ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto.

Secunda eſt prædicari ſecundum nomen, & rationem, quod eſt prædicari eſſentialiter, & vniuocè de aliquo prædicatione artificioſa, & directa. Hoc attributum non competit ſoli ſubſtantiæ, cum etiam accidentia de ſuis inferioribus eſſentialiter, & vniuoce dicantur; nec conuenit omni ſubſtantiæ, nam prima non prædicatur.

Tertia eſt primam ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid, ſiue vt

explicant, quidpiam per ſe omnino exiſtens; quod ſecundæ ſubſtantiæ vt ſic non competit, quam Philoſophus dicit ſignificare quale quid.

Quarta proprietas eſt ſubſtantiam non habere contrarium, quod intelligendum eſt de contrarietate propriè, & ſtrictè ſumpta, contrarietate enim lato modo accepta etiam vna ſubſtantia alteri contrariatur, Quo ſenſu in phyſicis dicitur, Prima principia eſſe prima contraria. Hæc tamen proprietas licet omni, non tamen ſoli competit ſubſtantiæ; vt videbimus in aliјs prædicamentis.

Quinta proprietas eſt ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus; quod vt non inueniatur repugnans ei, quod docuit ſupra idem Ariſtoteles, videlicet vnam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam altera,

altera, ſic explicant, vt hic loquatur de ſubſtantia ſecundum ſe ſpectata; ibi autem ſecundum eius affectionem ſubſtandi.

Sexta, & vltima ſubſtantiæ proprietas; quam maxime propriam eſſe vult, eſt poſſe ſuſcipere contraria ſucceſſiuè, remanente tamen, & in ſuo eſſe perſeuerante ſubſtantia.

COROLLARIVM.

Colligitur ergo ex dictis primo ſententiam S. P. eſſe quod ſubſtantia nequit ſecundum artem definiri; eo quod non habeat ſupra ſe genus. 2. dictam eſſe ſubſtantiam a ſubſtando. 3. tam à Philoſopho quam à S. P. fuiſſe diſtinctam in primam, & ſecundam non tamen diuiſione propria dicta, ſed potius enumeratione

variorum ſtatuum, quos habet. 4 rectè primam ſubſtantiam principaliorem ab illis fuiſſe iudicatam, & deſcriptam, ſeu explicatam, quæ neque in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur 5 ſecundas ſubſtantias eſſe genera, & ſpecies in quibus primæ inſunt, non actuali ſed poteſtatiua continentia. 6 Inter primas ſubſtantias non dari quod aliqua ſit magis ſubſtantia, quam altera; & ſimiliter ſi fiat comparatio inter ſpecies infimas; ſed facta collatione infimarum cum ſupremis, illas eſſe magis ſubſtantias. 7. Differentias huius prædicamenti ad ſecundas ſubſtantias eſſe reuocandas. 8. Sex proprietates communiter aſſignari à Peripateticis huic prædicamento, Prima eſt non eſſe in ſubiecto; Secunda eſt prædicari eſſentialiter, & vniuoce prædicatione

tione artificioſa, & directa, quod ſecundis ſubſtantijs, & generibus ac ſpeciebus aliorum prædicta- rum eſt commune. Tertia eſt quod prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid, ſue quidpiam per ſe omninò exiſtens. Quarta eſt non habere contrarium propriè dictum. Quinta eſt non ſuſcipere magis, & minus ſecundum ſe ſpectatam ſexta quæ maximè propria ſubſtantiæ vocatur, quod eadem manens poſſit ſuſcipere contraria ſaltem ſucceſſiuè.

De

CAPVT SEPTIMVM.

TEXTVS.

Cap. x. De quãtitate.

DEſcripta igitur vſia » quoniam definiri non potuit propter eas cauſas,quas ſuperius memoraui,accidentium definitionem neceſſarius ordo poſcebat. Quorum primum eſt, quantum, nec ſine cauſa: nam cum aliquid viderimus, id neceſſe eſt quantum ſit æſtimare. Quantum vero ſit », inueniri non poteſt, niſi fuerit adhibita menſura collectum. Si ergo omiſſa latitudine ſolam quis longitudinem voluerit emetiri, longitudo ſine latitudine menſuræ ſubiecta γραμμη dicitur. Non quòd ſit longitudo aliqua, quæ careat latitudi-

ne,

ne, ſed quod ſolam quis metiens longitudinem γραμμη metiri dicitur. Emenſa verò cum longitudine latitudo, dicitur ἐπιφάνεια. Si autem, & altitudo fuerit menſuræ ſociata, corpus cuncta perficiunt: Quod tamen non ita accipimus, quemadmodum ſolemus accipere naturale, ne ad vſiam reuerti videamur. Deinde metimur, & locum, in quo aliquid conſtitutum eſt, tempus quoque menſuræ ſubijcitur: nam cum mouetur aliquid, ipſo motu neceſſe eſt, & temporis habere menſuram, cum dicimus primo, vel ſecundo, vel tertio anno peruenit, vel menſe, vel die, vel hora, vel momento. Hoc modo igitur quantum ſit quidque colligitur. Ipſius autem quanti aliud eſt cohærens, aliud ſeparatum. Cohærens.

hærens eſt gramme, epiphania, corpus, locus, & tempus. In his enim ſingularum partium terminos non poteſt habere menſura: Simul namq; vt grammes medio punctum figens, quaſi certum menſuræ terminum dederis vtrarumque partium, quę diuiſa gramme factæ ſunt, fit terminus ille communis, vt incertum ſit, cui parti affixus terminus videatur: adeo pars vtraque ſibi cohæret, atque coniuncta eſt. Epiphania quoque ſimili de cauſa connexa dicitur, & cohærens. Denique ſi quis hanc diuidere voluerit, in eius medio grammen imponat neceſſe eſt: cum gramme hæc, quæ epiphaniam diuidit, ex hac duas partes fecerit, ipſarum duarum partium ipſa gramme terminus incipit eſſe communis: ſic enim

ſibi connexa eſt, vt non appareat, cui terminus videatur infixus. Similiter corpus ſi quis ſecare voluerit, diuidendi corporis terminus gramme vel epiphania ſit neceſſe eſt: ipſa enim præciſio, quam gramme facit cum epiphania, neceſſe eſt in corpus deſcendat: atque ideo incertum eſt, ſiue gramme ſiue epiphania; cui parti terminum dederint, cum diuiſo corpore in vtraque parte epiphaniam neceſſe eſt inueniri. Ideòque corpus cohærens eſt, in quo faciendarum duarum partium communis eſt terminus. Temporis quoque ſimilis ratio eſt, cui diuidendo, ſi velimus terminum dare, dicamus, modo. Modo autem inter præteritum, & futurum tempus ita confuſum eſt, vt incertum ſit, quo debeat ſeparari.

parari. Locus autem quomodo corpus quodcunque circundat, & corporis partibus occupatur, ità communi termino partitur, quemadmodum partitur corpus: ac propterea eum neceſſe eſt cohærentem vt cætera nominari. Separata verò ſunt, numerus, & oratio. Quis enim non aduertat proprijs terminis vnum ſeparatum eſſe à duobus, duos à tribus? Et in oratione ſingulæ ſyllabæ ſeparatæ ſunt: natura enim, & numero ſegregantur, cum alteram breuem, alteram longam, & vnam vel duas dicimus. Nimirum apparet hæc, quæ diximus, & ad quantum pertinere, & ſeparata oportere nominari. Horum quantorum eſt, & alia differentia: nam ex his alia ſunt, quorum partes poſitionem habent, ex

qua

qua poſſit agnoſci quæ pars cuique iungatur: alia verò ſunt quorum partes poſitionem habere non poſſunt. Poſitionem autem dico, cũ videmus cuiuſque rei dexteram, læuam, ſuperiora, inferiora, antè, poſt, longè, iuxta. Sunt ergo quorum partes ſibi manifeſta poſitione iunguntur hæc, gramme, epiphania, corpus, locus. Siue enim in gramme, ſiue in epiphania, ſiue in quolibet horum poſitis terminis partes feceris, quanquam ſibi cohærentes videantur, atque coniunctæ, tamen aduerti corporaliter licet, quæ pars, vbi ſit, cui vicina ſit, cuique iungatur. Sunt verò quorum partes poſitionem non habent hæc, tempus, numerus, oratio. Vnum enim cum dicimus, ipſum numerum ſolum dicen-

centes,non aliquid corporaliter numerantes, non videmus vel eius dextram vel ſiniſtrã: quippe cum in verbo ſit tantum in ſono, & in nullo ſit corpore, poſitionem ſuarum partium non poteſt demonſtrare, niſi fortè ordinem dixerimus, quod vnũ ſequuntur duo: poſitio autem in his duntaxat non poteſt inueniri. Similiter, & in tempore, atque ſermone, maximè cum hæc mox videantur labi, cum dixeris, & tempus currit, & ſermo, cum nondum dictus fuerit non eſt, & cum dictus fuerit non apparet. Manifeſtum eſt igitur, hæc tria poſitionem diuerſarum partium non habere. Propriè igitur hæc ſola, quæ dicta ſunt quanta nominantur: ſi qua verò præter hæc inueniri potuerint, debent pro accidentibus poni.

Sunt

Sunt autem quædam, quæ accidentibus ipſis accidunt, vt ſi dicamus, multum album: propterea multum album dicitur, non quod ipſum album ſit immenſum, ſed quod epiphania, in qua album eſt, multa cernatur. Manifeſtum eſt igitur cum multum album dicimus, ex epiphaniæ quantitate album quod illi accidit æſtimari. Similiter cum longos actus dicimus, nō quod actus immenſi ſint, longi dicuntur, ſed ex temporis menſura, quo continentur actus, actuum quantitas æſtimatur. Illud tamen ſpeciale debemus agnoſcere, quanto contrarium nihil eſſe. Epiphaniæ enim, ſiue grammæ, ſiue duobus cubitis, ſiue tribus contrarium eſt nihil. Niſi fortè errore quodam multum, & exiguum putemus eſſe contraria,

traria, non aduertes hæc in eorum numerum, quæ ad aliquid dicuntur debere transferri. Nihil enim multum, vel exiguum dicitur, niſi alteri fuerit comparatum. Cum enim dicimus montem breuem, grandiorem eſſe alterum, cui comparatus eſt, indicamus. Vel cum dicimus grande milij granum, comparatione ſui generis, in quo breuius aliquid inuenitur, illud eſſe grandius mõſtramus. Ac propterea manifeſtum eſt, multum, & exiguum, grande, & breue, cum aliquo comparata ſui vocabulum reperire. Nec in hoc ſolo errat, qui putat multum, & exiguum quanto debere coniungi, verum etiam ſi exiſtimet eſſe contraria, quod fieri penitus non poteſt. Nam ſi hæc quodam errore decepti contra-

ria

ria dicimus, fiet vt in vna re, vno atq; eodem tempore contraria videantur incidere. Vna enim res, & maior à minore, & breuis à maiore vno, atque eodem tempore poterit nominari: quod fieri nec rerum natura patitur, nec ratio ipſa permittit. Ac propterea eorum repellenda ſententia eſt, qui hæc credunt eſſe contraria. Non magis in quanto contrarietas, quàm in circulo videri poteſt. Veteres enim ſupra & infra propter cæli terræquè diſtantiam contraria ſibi eſſe dixerunt, vndequaque verſum aſſerentes terram ſubter eſſe, cælum ſuper. Contemplantibus enim nobis naturam rerum, terra, quæ videtur in medio, vbique ſubtus eſt: nam & antipodes noſtri, qui nobis dicuntur figere aduerſa veſti-

gia,

gia, cælum ſuper ſe habent. Claret igitur ſemper terram in inferioribus conſtitutam. Denique illa quoque à phyſicis iungitur ratio, quòd propterea ex diuerſitate locorum terra cælo contraria eſt, id eſt illud ſemper ſurſum, hæc deorſum, quod omnia, quæ pondere grauia ſunt, naturaliter feruntur ad terram. Ad cælum verò leuari neceſſe eſt, quæ videntur eſſe leuiora. Hinc igitur cælum, terramque contraria ſibi eſſe dixerũt, quòd hanc deorſum, illud verò ſuperius naturalis neceſſitas collocauit. Ex hac igitur ratione videtur contrariorum omnium definitio conſtituta. Dicuntur enim illa eſſe contraria, quæ cum ſint ex vno, eodemque genere, multo tamen à ſe ſpacio ſeparantur. Sed hæc, qui aſſerunt,

runt, habent aduertere ad aliquid dictis potius debere coniungi. Siquidem ſupra dici non poteſt, niſi & infra fuerit deſignatum. Quod ſi calumniari quibuſdam libet, ſupra & infra in categoria magis, quæ vbi dicitur videri poteſt: cum enim ſupra, & infra dicimus, vbi aliquid geratur, agnoſcitur. Sed hæc, vt diximus, garrientium ſunt: nos vero in quanto admitti contrarium credere non debemus. Aduertere interea, licet huius occaſione tractatus, aliud eſſe ſuper, & ſubter naturale: aliud vero, quod circa nos. Naturale enim non poteſt immutari, noſtrum autem migratione hominum commutatur: vt ſi quis, cum in inferioribus fuerit, ad ſuperiora conſcendat, aut è ſuperioribus velit ad infe-

riora deſcendere, omnia illi, quæ antè fuerant, commutantur, cum deſcendenti inferiora, quæ fuerant, ſuperiora cernantur. Illud quoque quanto ineſt, in omni quidem, non tamen in ſolo, vt non recipiat magis, & minus, quod Græcè dictum eſt μαλλον και ηττον Bipedale enim cum dicimus, non poſſumus aliud pibedale magis, vel minus dicere. Simili enim modo bipedale ſecundum eſt, quemadmodum, & primum. Quod ſi aliud alio amplius fuerit, iam non bipedalis, ſed alterius menſuræ ſuſcipit nomen. Nec numerus magis aut minus ſuſtinet, ſiquidem tres magis, aut minus tribus nominare dementia eſt. Et tempus non poteſt eſſe tempore magis, aut minus. Claret gitur his expoſitis magis, & mi-
nus

nus in quanto inueniri non poſſe. Proprium verò quanti, & quod in omni, & in ſolo inuenitur, illud eſt, vt omnia eius paria aut imparia dicantur. Vt numerus par, & impar, non æqualis numerus, ſi par eſt, aut ſi impar, non inæqualis dicatur. Similiterq; eius omnia non æqualia, aut inæqualia, ſed paria aut imparia nuncupantur. Cætera verò, quę ad quantum non pertinent, ſimilia ſibi potius, quàm æqualia nominamus: vt album albo ſimile, aut non ſimile dicatur. Hoc enim verbum ſpecialiter ijs, quæ in quanto ſunt, videtur infixum.

SCHOLIVM.

Poſt ſubſtantiam immediatè agit S. P. cum Philoſopho de

Quantitate ſequendo, ordinem, & Naturæ, & Doctrinæ fundatum in eo, quod Quantitas cæteris omnibus accidentibus præintelligitur in ſubſtantia; Vbi eſt aduertenda primo illa particula Deſcripta vſia, quoniam definiri non potuit, *quæ ſatis indicat explicationes ſupra traditas, & quando dicit parte eam voluit definire, & ſimilia, eſſe intelligenda deſcriptiue ſecundo eſt aduertendum, quod de accidentium prædicamentis non negat, immo aſtruit poſſe definiri, cum dicit hic* Accidentium definitionem neceſſarius ordo poſtulat; *his poſitis tradit modum cognoſcendi ipſam Quantitatem dicendo* Quantum verò ſit inuenire non poteſt, niſi fuerit adhibita menſura. *ex quibus pate, tipſum non conſtituere eſſentiam Quantitatis in*

An accidentia poſſint definiri.

men-

menſuras, cum velit ipſam inueniri per menſuram, & per conſequens, ipſam menſuram eſſe quid poſterius, & medium ſolūmodo ad inueniendam ipſam Quantitatem quo dato.

Dico primo rationem formalem Quantitatis rectè fuiſſe ab Ariſtotele explicatam 5. Metaph. c. 13. illa definitione; Quātum eſt, quod eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt, quorum vtrumq; vel vnum quodque, vnum quid, & hoc aliquid aptum eſt eſſe. Quod eſt idem ac dicere, quantum eſt illud, quod eſt diuiſibile in partes eiuſdem rationis. Hoc quod eſt eſſe diuiſibile, non importat formaliter relationem ad diuidentem, vel quid tale, vt aliqui exiſtimant; ſed eſt idem ac dicere id, quod poteſt eſſe multa; dicitur in ea, quæ inſunt, eo quod illa multa, & ſunt vnum an- *De ratione formali Quantitatis.*

te diuiſionem, & ſunt quid intrinſecè illius vnius; dicitur quorum vtrumque, vel vnumquodq;, quia illa multa duo, aut plura eſſe poſſunt: dicitur aptum eſt eſſe vnum quid, & hoc aliquid, quia illa multa poſſunt eſſe per ſe, ideſt ſeparata à toto, & vnum numero, & eiuſdem rationis, cuius erat totum. Per ly multa potentia, excluditur diſtinctio actualis partium à parte rei ante diuiſionem: dicunt aliqui excludi etiam vnitatem, quæ eſt principium numeri, non autem eſt numerus, hæc explicatio ſupponit numerum eſſe veram, & phyſicam ſpeciem quantitatis (de quo alibi) per ly hoc aliquid, ſilicet vnum eiuſdem rationis cum toto, excluditur Materia, & forma, quę eſto in compoſito ſint multa potentia, ſeparata tamen non ſunt eiuſdem rationis cum to-

to

to compoſito. Hæc multa, quæ in quantitate potentia ſunt, poſſunt actu fieri multa, vel realiter per realem ſeparationem; vel intentionaliter per intellectum, & aſſignationem, quod eſt fieri multa non realiter, ſed ſolum per actum noſtræ cognitionis. de his plura in Metaph. hanc eſſe mentem S. P. patet ex eo, quod approbat Doctrinam Philoſophi de Quantitate, & ponit lineam, & ſuperficiem non diſtingui nec inter ſe nec a corpore à primo rei actu, & complete.

Dico ſecundo rectè fuiſſe diuiſam Quantitatem à Philoſopho in quantitatem continuam, & diſcretam, quod amplectitur S. P. cum ait ipſius autem quanti, aliud eſt cohærens, aliud ſeparatum, *per ly cohærens intelligitur continuũ. Definitur verò communiter quãtitas continua, Cuius partes termino* *Diuiſio Quantitatis.*

mino aliquo communi terminantur. Diſcreta vero dicitur illa, cuius partes non terminantur termino communi, ſed proprio. quod explicat etiam hic S. P. applicando doctrinæ exempla egregiè.

Subdiuiſio Quantitatis. *Dico tertio ſubdiuiſam fuiſſe à Philoſopho, & S. P. Quantitatem diſcretam in duas ſpecies, nempè numerum, & orationem, eo quod earum partes nullo communi termino connectantur; Quantitatem verò continuam fuiſſe partitam, in lineam, ſuperficiem, Corpus, locum, & tempus. Ex quibus aliquæ potius ſecundum communem vſum loquendi, quam ſecundum rigorẽ Philoſophicum ad captum, & commoditatem tyronum in Logica pro conſuetis prædicationibus, quam pro veritate phyſica inter ſpecies Quantitatis numerantur. Loquendo enim de quantita-*

te

te diſcreta; Cum numerus vt eſt à parte rei, non ſit vnum aliquod ens per ſe; ſed ſimpliciter ſint plura entia, ſeu plures quantitates, quæ vnitatem aliquam habent per extrinſecam denominationem ab intellectu quatenus ab ipſo ordinabilia, ſeu numerabilia ſunt, non videtur habere veram rationem ſpeciei Quantitatis; ſic neq; oratio quatenus dicit diuerſas ſyllabas, quæ ratione diuerſarum morularum temporis dicantur, vel longe, vel breues, pendet enim hæc diuerſitas ab inſtituto, & beneplacito hominum; non verò conuenit eis ex natura rei.

Loquendo verò de quantitate continua, Locus non eſt propriè ſpecies quantitatis diſtincta à reliquis, ſiuè ſumatur locus pro ſpatio, quod à corpore quanto occupatur; ſiuè pro vbi intrinſeco; in

ſententia illorum, qui illud admittunt, ſiuè pro ſuperficie ſumpta vt menſura corporis continentis, vel vt terminus extrinſecus locati. Non enim habet diſtinctam extenſionem à ſuperficiè &c. Quam eamdem propriè quantitatis rationem nō participare tempus, vt quid diſtinctum à motu, pro certo habeo. De motu hoc idem cenſeo, quod non habeat extenſionem diſtinctam à ſubiecto, & terminis ſed de his ſuo loco.

Hanc fuiſſe ſententiam S. P., colligo ex eo, quòd rationem quantitatis deſumit hic ſecundum rationem menſuræ; ita vt quæ aliquo modo diuerſificantur in menſuris diuerſam rationem Quantitatis apud vulgus ſortiri videantur, quod explicaſſe ſecundum conſuetum modum loquendi inſinuat cum dicit. Tempus quoq; men-

ſuræ

ſuræ ſubiectum, cum dicimus primo ſecundo vel tertio anno *ſic de oratione ait* eum alteram breuem, & alteram longam, & vnam vel duas dicimus. *ex quibus patet ſecundum communem modum loquendi hæc explicaſſe.*

De linea, ſuperficie, & corpore dicam vbi examinabuntur rerum naturæ.

Dico quarto, rectè pro maiori explicatione huius prædicamenti fuiſſe prædictæ diuiſioni annexã aliam diuiſionem in quantitatem conſtantem ex partibus habentibus poſitionem ad inuicem, & ex partibus non habentibus poſitionem ad inuicem, quam diuiſionem amplectitur etiam S. P. cum ait. Horum quantorum alia differentia, nam ex his alia, quorum partes poſitionem habent, alia habere non poſſunt. *Ad hoc vera*

Alia Diuiſio Quantitatis.

ro, vt partes dicantur habere poſitionem; requiritur ordo partium, continuatio, & coexiſtentia, vt in linea, ſuperficiè, corpore, & loco, quibus ſolis conuenit habere partes ad ſe inuicem poſitionem habentes, quod idem licet alio modo explicat S. P. cum ait, Poſitionem dico dexteram, læuam, ſuperiora, inferiora, ante, poſt, longè, iuxta. Sunt ergo quorum partes ibi manifeſta poſitione iunguntur, hæc gramme, Epiphania, Corpus, locus, ſunt verò quorum partes poſitionem non habent, hæc tempus, numerus, oratio. *h. 1. loquendo verò accommodatè ad vſum noſtrum dicimus, eam, quæ habet partes habentis poſitionem ad inuicem, eſſe Quantitatem permanentem; eam verò, in cuius partibus non eſt poſitio, eſſe quantitatem ſucceſſiuã.*

Dico

Dico quinto rectè ad finem ſibi propoſitum fuiſſe à Philoſopho enumeratas tres Quantitatis proprietates, ſeù attributa, quæ etiam S.P. hoc loco recipit. *Proprietates Quantitatis.*

Primum non habere contrarium, quod veram ac propriè dictam rationem contrarietatis participet.

Secundum eſt, non ſuſcipere magis, & minus ideſt non intendi, ac remitti.

Tertium eſt, quod & maximè proprium Quantitatis dicitur, vtpotè quod omni ſoli, ac ſemper conueniat, vt ſit id ratione cuius alicui conuenit eſſe æquale, vel inæquale. Et licet aliæ plures proprietates aſſignari potuiſſent, nihilominus hæ ſatis ſunt pro Logico negotio.

CO-

COROLLARIVM.

MAnet ergo ex dictis primo rectè fuiſſe, & à S. P., & à Philoſopho diſtinctam Quantitatem in continuam, & diſcretam.

Secundo fuiſſe ſubdiuiſam continuam in Gramme ideſt Lineam, Epiphaniam, ideſt ſuperficiem, Corpus, locum, & tempus. Diſcretam verò in numerum, & orationem, tanquam in ſpecies potius ſecundum famoſitatem, quam ſecundum rigorem Philoſophicum.

Tertio fuiſſe rectè etiam datam aliam diuiſionem de Quantitate permanente, & de Quantitate ſucceſſiua.

Quarto rectè ad intentum tres illi aſſignari proprietates. Prima non habere verè contrarium, Secunda

cunda non intendi aut remitti. Tertia propiſſima, quod ratione eius res dicuntur æquales vel inæquales.

DE AD ALIQVID

CAPVT OCTAVVM.

TEXTVS.

CAtegoriarum tertia eſt quæ Latinè ad aliquid, Græcè πρός τι cenſetur. Et quidem hanc tertiam non ordo, ſed tractatus neceſſitas fecit: nam poſt quantum, quale ſequebatur. Verùm quoniam in fine quanti, quædam eiuſdem generis ad aliquid videbantur poſſe transferri, hanc categoriam, quæ quarta fuerat, neceſſario *Cap. xi. Ad aliquid.*

ter-

tertiam voluit ordinare, vt diſcuſſis atq; monſtratis omnibus, quæ cuique conuenirent, frequens oita confuſio ſolueretur. Incipit autem non à definitionibus ſuis Ariſtoteles, ſed ab eorum terminis, qui ante ſe ad aliquid perperam definire voluerunt. Ita tamen hæc debemus audire, quaſi tractatui neceſſaria; Aſtutè enim & dat illis auxilium philoſophus, & medelam malè poſitis terminis quærit, poſtea ſuæ prolatione ſententiæ omnia, quæ impropriè definita ſunt repulſurus, περὶ τοῦ πρός τι. Ad aliquid ergo categoriam vocamus eam, quæ id, quod eſt dicitur ex altero, ſine cuius ſocietate eſſe nõ poſſit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit: vt duplum ſimpli dicitur duplum,

maius

maius minoris dicitur maius, ſimile ſimili dicitur ſimile. Claret igitur ad aliquid non ſua vi, ſed alterius coniunctione conſiſtere. Eodem modo accipienda ſunt cætera, quæ eiuſdem categoriæ eſſe noſcuntur, vt eſt habitus, affectio, diſciplina, poſitio, ſenſus. Hæc Ariſtoteles, ἕξιν διάθεσιν, ἐπιστήμην, θέσιν, αἴσθησιν, nominauit. Et hæc nanq; pendent ex altero. Siquidem habitus alicuius rei habitus dicitur, & affectio alicuius ad aliquid affectio, & ſcientia, & poſitio, & ſenſus ſimili ratione noſcuntur. Non nos autem perturbet, quod quædam huius categoriæ eſſe narrantur, quæ & qualitati videntur eſſe coniuncta. Habitus enim, & affectio, & ſcientia, & cætera, quæ cum

his dicta ſunt, qualitati videntur maximè conuenire. Sed differentiam debemus, aduertere, qua hæ duæ categoriæ, id eſt qualitas, & ad aliquid, ſiue πηοσ τι, κι ποιοτησ, à ſe inuicem ſeparantur. Quoties enim ſcientia cuiuslibet rei, quæ ſit ſcibilis, ſcientia dicitur, & ſenſus rei eius, quæ ſit ſenſibilis, ſenſus dicitur, tunc ad aliquid debemus accipere: at cum ſcientia aut diſciplina non rei cuiuslibet, ſed hominis dicitur, qualitatem debemus agnoſcere. Hæc eſt interim differentia, licet ſi propriè hanc categoriam, quæ ad aliquid dicitur, volumus definire, vt à cæteris ſeparetur, in omnes enim videtur incurrere, alio modo eam definire debemus, ne ſemper parum conſiderantibus error oriatur: Tunc

ergo

ergo, & verè, & propriè ad aliquid dicitur, cum ſub vno ortu atque occaſu, & id quod iungitur, & id cui iungitur, inuenitur: vtputa ſeruus, & Dominus, vtrunque vel ſimul eſt, vel ſimul non eſt. Etenim cum Dominum dixeris, neceſſario exiſtet, & ſeruus: cum verò Dominum tuleris, nec ſeruus apparet. Similiter duplum, & ſimplum, alterutrum ſe vel perimunt vel oſtendunt: apparente enim duplo, naſcitur ſimplum, duplo pereunte, nec ſimplum poterit permanere. Similiterque ſi ſimplum non ſit, nec duplum eſt: at ſi ſimplum fuerit, & duplum neceſſario apparebit. Specialiter tamen ac regulariter, vt hæc categoria manifeſtius dignoſcatur, hæc via eſt, qua debemus aduertere, non

rectè

rectè dici ad aliquid, niſi cum καθέκαστον πρὸς καθέκαστον ἀναφέρεται, hoc eſt ſingulare refertur. † Similiter cum dicimus duplum, ſine dubio non generaliter, ſed ſpecialiter hoc duplum dicimus, & huius ſimpli duplum dicimus. Ac propterea tunc verè ad aliquid categoria eſt, quoties, verbi gratia, Socratem Chryſippo dicimus eſſe vultu conſimilem. Cæterùm quo pacto, vel quis, vel cui ſit ſimilis, demonſtrabimus, niſi & quis ſimilis ſit, & cui ſit ſimilis perſonaliter indicemus? Sed ſunt quidam qui huic definitioni velint mouere ſuperfluam quæſtionē, aſſerentes inueniri poſſe ad aliquid dictum quod antè ſit, & poſtea naſcatur, quod de ipſo debeat nuncupari, vt etiam videantur, hæc duo nec ortu nec

occaſu

ſibi eſſe coniuncta: ac dant exẽpla ſcibilis, & ſcientiæ, aſſerentes antè ſcibile fuiſſe, & poſt eius ſcientiam conſecutam. Verbi gratia antè geometricos γραμμη, vel circulus fuit, ſed eorum ſcientia poſtea à ſapientibus comprehenſa eſt: proptereaquè antè fuiſſe ſcibile in quo poſſit ſcientia reperiri. Hoc argumento igitur monſtrant multa eſſe huius categoriæ, quibus non & ortus, & occaſus videatur eſſe communis. Et ſenſibilis enim ſenſuſque exemplum ſimili ratione conſtare contendunt: ſiquidem ſenſibilia ante fuerint. Elementa enim quibus omne corpus conſtat, antè fuerunt quàm corpus ex his aliquod naſceretur, in quo ſenſus exiſteret. His igitur argumentis oſtendunt definitionem cate-

tego-

tegoriæ quæ ad aliquid dicitur, non rectè eſſe defixam. Hæc ſolent parum diligenter naturam rerum intuentes aſtruere. Omnia enim quæ ſunt, aut naturali potentia dicuntur eſſe, aut operatione faciendi, quas Græci δυναμιν και ενεργειαν vocant. Quas ſi quis ſeparare voluerit, nec vlla ſocietate confundere, intelliget ad aliquid dictum non poſſe eſſe ſine altero cuius eſſe dicitur. Scibili enim γραμμη ſiue circulo in ipſo ortu naturæ ſciētia ſociata eſt. Simul namque vt ſcibile eſſe cœpit, habuit ſcientiam ſui, ſed necdum ενεργεια, id eſt operatione monſtrata eſt. Non ergo tunc cœpit eſſe ſcientia eius, quando cœpit operari, ſed cum ipſo ſcibili orta eſt, & operatio poſtea eſt conſecuta. Diſcernere enim nos

opor-

oportet operationis exordium: tunc enim poſſumus aduertere ſcientiam cum ſcibili eſſe procreatam; operationem verò eius apparuiſſe poſteà indagatione prudentium: Quibus depulſis, optima definitio eſt ad aliquid relatorum, ſemper ea ſimul vel extingui vel naſci. Illud ſanè debemus memoria continere, non omnia ad aliquid dicta hiſdem caſibus referri ad ea quibus iunguntur, ſed alia genitiuo caſui, alia datiuo, pleraque ablatiuo copulari. Et genitiuo quidem, vt ſeruus Domini, duplum ſimpli. Datiuo ſimile ſimili, par pari. Ablatiuo verò, ſenſibile ſenſu ſenſibile, ſcibile ſcientia ſcibile, & cætera huiuſmodi, quæ varijs caſibus alterius ſocietate nectuntur. Ineſt autem huic categoriæ,

riæ, & ſoli, & omni, vt inter coniuncta duo, quæ ex ſe pendeant, fit alterna conuerſio; quæ Græcè dicitur ἀντιστροφή. Vt duplum ſimpli dicitur, & ſimplum dupli, & ſeruus Domini, & Dominus ſerui. Apparet ergo hæc copulata vicaria in ſemet replicatione conuerti, ſi tamen ſcienter, & prudenter iſta fiat conuerſio. Nam ſi imperite hæc vocabula conuertantur, oritur magna confuſio: vt ſi quis imperite dixerit, auis pennam, ſtulta conuerſio eſt, non enim penna omnis auis eſt. Siquidem ſunt quædam pennæ, quæ non ſunt auium, vt cicadarum, muſcarum, cæterorumque animalium, quæ ſimiliter natura formauit. Quod ſi quis pennam pennati pennam dixerit, quaſi conuerſio recta eſt. Hoc loco libitum

bitum eſt, quaſdam tenebras, quæ emergere ex categoriarum ſimilitudine adſolent aperire. Siquidem cum dicimus pennam pennati, & caput capitati, videmur vſię partes in accidentibus ponere. Penna enim ſine dubio pars vſiæ eſt, vel caput vel manus, quæ ſi ad aliquid referantur, inter vſias, & ad aliquid videbitur nulla eſſe diſcretio. Vt igitur amoueatur vniuerſa confuſio, aduertere nos oportet, quo pacto, & verè, & propriè ad aliquid definitum ſit. Ita enim eius definitio ſe habet, vt dicatur ad aliquid, cuius id quod eſt, pendet ex altero, cuique neceſſe ſit ſingulariter, id eſt κατεκαστον vicaria in ſemet mutatione conuerti. Hoc quis conſiderato reperiet, nec pennati pennam, nec capitati

caput rectè poſſe ad aliquid nominari: non enim vt pennati pennam dicimus, ſic poſſumus dicere pennæ pennatum, vel capitis capitatum: id nanque qui dixerit, irridebitur. Eſſe enim pennato, non ex penna deſcendit: neque penna ex pennato conſtat. Similiterque capitatum non conſtat ex capite, neq; caput ex capitato videtur conſiſtere. At quod verè ad aliquid dicitur, conuerti per vices poteſt, vt ſuperius diximus, dominus ſerui dominus, & ſeruus domini ſeruus; & rurſus ſubtracto ſeruo, dominus non eſt, remoto domino nec ſeruus apparet. Pennatum verò eſſe poterit etiam penna pereunte, & rurſum penna pereunte pennato poteſt eſſe. Conſiderata ergo definitione huius categoriç, poterit

terit etiam confuſionis ex ſimilitudine exortæ diſcretio reperiri. Eodem pacto poſſumus hanc categoriam, & ab oppoſitorum ſimilitudine ſeparare. Nã & oppoſita, quæ ἀντικείμενα Ariſtoteles vocat, quandam huius categoriæ ſimilitudinem reddunt: ſiquidem calidum, & frigidum videntur ſibi oppoſitionis ſocietate coniuncta, ſed calidum non frigidi calidum, ſed frigido oppoſitum dicimus: & iuſtum non iniuſti iuſtum, ſed iniuſto contrarium nominamus. Ariſtoteles quidem, vt in principio huius categoriæ diximus, multa exempla proponit, quæ ad hanc non ſub certa forma pertinere videantur, volens de conſequentibus reprehendere vitia cæterorum, qui hanc ſecus definire voluerunt. Deni-

que,& virtutem malitiæ,& ſciẽtiæ ignorãtiam quaſi ad aliquid poſuit, eaque dixit poſſe recipere contrarium, non quod ita res poſtulet, ſed vt indocte diſſerentium vitia poſſet oſtendere. Hæc namque, vt ſuperius explicauimus, oppoſita potius quàm ad aliquid dicta iudicanda ſunt. Mihi verò, vt & ipſi Ariſtoteli placet, magis, & minus hæc categoria non omnis quidem nec ſola videtur poſſe ſuſcipere. Simile enim cuilibet, & magis ſimile, & minus ſimile poſſumus dicere. Sed hoc non in omnibus, vt dixi, quæ ſunt ad aliquid poterit inueniri. Namque nec magis pater, nec minus pater poteſt dici, nec minus duplum, aut magis duplum. Non nos autem fallat, vt putemus ad aliquid eſſe quoties,

verbi

verbi gratia, dicimus, cuius equus vel cuius lignum, vel cuius fundus: hæc enim dominum, vel poſſidentis perſonam monſtrantia non ad aliquid dicta cenſenda ſunt. De qua categoria quantum potuimus, explanauimus: licet tanta huic cum cæteris videatur eſſe permixtio, vt ipſe quoque Ariſtoteles huius diſcretionem haud facilè repererit, cuius etiam longa ac diuturna non ſit indecens retractatio.

SCHOLIVM.

Oſtendit hic S. P., fuiſſe poſitam hanc Categoriam hoc tertio loco propter neceſſitatem tractatus, nam ordine naturæ, poſt quantum ſequebatur quale, vt potè, quod eſt alterum prædicamen-

Cur hic poſita Relatio. *tum accidentis abſoluti. Verum quia in ſuperiori capite quædam erant propoſita, quæ exigebant notitiam Relationum; vt ea, quæ de Quantitate, cuius partes habent poſitionem ad inuicem &c., & quod ſecundum eam res dicantur vel æquales, vel inæquales; propterea hic de Relatione agit vt melius prædicta intelligantur, quo immediatior eſſe Doctrina, ſine qua illa intelligi non poſſunt his poſitis.*

Dico primo, quod acutiſſime à S. P. N., hic fuit obſeruatum, quod Philoſophus. Aſſertè dat auxilium illis, (*ideſt Philoſophis antiquis*) & medelam malè poſitis terminis quærit, poſteà ſuæ prolatione ſententiæ omnia, quæ impropriè definita ſunt, repulſurus. *Nam Definitio Relatiuorum, quæ tempore Ariſtotelis in*

Difinitio Relationis antiqua reiecta.

omnium

omnium ore verſabatur, & celebrabatur in Academijs, erat huiuſmodi; Ad aliquid talia dicuntur quæcumque hæc ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet alter ad alterum. *de qua definitione Philoſophus ſentit, quod non ſit admittenda; quippe quæ vel conueniat alijs à definito, vel ſaltem ijs tantum, quæ ſecundum dici relatiua appellantur; qua repudiata exactiorem ipſe aſſignat hoc modo.* Ad aliquid ea omnia ſunt quibus hoc ipſum *eſt eſſe, ad aliud quodammodo ſe habere. Hanc definitionem his alijs verbis, & meo iudicio clarioribus exponit S.P.* Ad aliquid Categoriam vocamus eam, quæ, id quod eſt, dicitur ex altero, ſine cuius ſocietate eſſe non poſſit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione

deſcendit: vt duplum ſimplicis maius minoris, ſimile ſimili dicitur ſimile. *Hoc enim eſt idem quod communiter circumfertur in Scholis, ideſt Relatio eſt id, quo vnum formaliter refertur, vel ordinatur ad aliud.*

Diuiſio Relationis.

Dico ſecundo, quod cum communiter Relatio diuidatur in relationem realem, & rationis; hic ſolum nobis agendam eſt de relationibus realibus; iuxta ea, quæ diximus ſupra in Antepradicamentis nempè de entibus realibus in his Categorijs nobis tractandum eſſe; Nam per analogiam ad hanc ſuo loco poſteà explicabitur Relatio Rationis.

Relatio non dicit for-

Dico tertio, quod eſto relatio neceſſariò in ſuo conceptu quidditatiuo importet extrinſecum, non eſt tamen relatio formaliter fundamentum, & terminus ſecundum

dum ſe, ita vt dicat formaliter, hæc duo intrinſecè, & ex illis tamquam ex partibus componatur, & indiuiſibiliter conſtet; quemadmodum binarius conſurgit ex duplici vnitate: ſed relatio formaliter conſiſtit in quadam habitudine, qua fundamentum refertur ad terminum; quod eſt clarum ex definitione S. P. maximè ex illis verbis, cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit, *importat enim hæc vis, & coniunctio illam habitudinem, quæ explicatur rectè, cum dicitur, eſt id quod formaliter vnum ordinatur ad aliud.* *maliter intrinſecè fundamentum, & terminum.*

Dico quarto, de diſtinctione huius relationis à ſuo proximo fundamento eſſe magnum diſſidium inter Auctores: nam alij contendunt eam diſtingui ſecundum id, quod dicit in recto diſtin- *De diſtinctione Relat.*

ſioni: a ſuo fundamento.

ctione reali, hoc eſt tamquam res a re, alij modali, vt modi a re, cuius eſt modus; Alij deniq; formali, quæ ſit diſtinctio actualis, media inter diſtinctionem realem, & rationis cum fundamento in re: de his ſententijs modo non fero iudicium; meum enim intenſum hic eſt ſolum explicare textum S.P., non verò diſputare propoſitis, & ſolutionis argumentis hoc enim alibi fiet. Propterea ſententia quam cenſeo eſſe S.P.N., & Philoſophi hæc eſt. Quod licet relatio ſi ſumatur ſecundum, id quod dicit in recto, & in obliquo, realiter diſtinguatur à fundamento, ratione ſcilicet termini à fundamento realiter diſtincti; ſumpta tamen ſecundum illud, quod dicit præciſè in recto, ſiue ſecundum, id quod eſt intrinſecum fundamento, virtualiter tantum,

tum, ſeu ratione ratiocinata, ab eo diſtinguitur; Quare licet relatio formaliter ſit denominatio intrinſeca, & intelligatur ad ablationē extrinſecā (quod neceſſariò requirit vt dicatur talis à fundamento recedere, & ad poſitionem aduenire; non tamen aduenit, aut recedit, ſecundum aliquid quomodocumque à nihilo contradiſtinctum; ſed ſolum ſecundum virtualem diſtinctionem conceptus obiectiui; quæ vt deſinat in re, in qua eſſe dicitur, ſatis eſt, ſi auferatur fundamentum diſtinguendi conceptum illum obiectiuum, ſeu rationem formalem ab eo, in quo eſſe dicitur, quod fundamentum aufertur præciſè ad ablationem termini; Hinc eſt quod Philoſophus dicit, ad relationem non dari motum per ſe, & conſequenter eam poſſe aduenire, & recedere

nulla facta mutatione intrinſeca in eo, quod dicitur de nouo referri, & ſolum eatenus poſſe dici mutari æquiualenter; quatenus ità ſe habet fundamentum, ac ſi in eo facta eſſet aliqua variatio intrinſeca; quamuis nihil intrinſecè poſitum vel ablatum ſit. Hæc ſunt quæ docet S. P. N. quando dicit. Ad aliquid Categoriam vocamus, eam, quæ id quod eſt dicitur ex altero, ſine cuius ſocietate eſſe non poſſit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit. *(& infra cum ait)* Tunc ergò verè, & propriè ad aliquid dicitur cum ſub vno ortu atq; occaſu, & id quod iungitur, & id, cui iungitur inuenitur, vt puta ſeruus, & Dominus, vtrumque vel ſimul eſt, vel ſimul non eſt. Etenim cum dominum dixeris, neceſſariò exiſ-

tet,

tet, & ſeruus: cum verò dominum tuleris nec ſeruus apparet, *& clarius poſteà hæc explicat infrà exemplo ſcibilis, & ſcientiæ, reſpondens ijs, qui contendebant dari ſcibile ante ſcientiam, & per conſequens relationem ſine termino, oſtendens cum ſcibili ſemper fuiſſe ſcientiam, licet quandoque non extiterit actualis operatio ipſius ſcientiæ; quæ omnia clara fient attentè perlegenti, & conſideranti ipſum textum.*

Dico quinto ex dictis poſſe ſolui Quæſtionem illam Doctorum, an in Deo dentur relationes reales ad creaturas; Nam ſicut poſito, quod relatio ſit aliquid diſtinctum à ſuo proximo fundamento diſtinctione aliqua actuali antecedente operationem Intellectus, omninò repugnat dari in Deo relationes reales ad creaturas; ita *An in Deo dentur Relationes reales ac Creaturas.*

poſito

poſito quod relatio virtualiter ſolum ſeu ratione ratiocinata diſtinguatur, nullum ſequitur inconueniens, ſi diceretur, Deum verè, ac propriè referri relatione reali ad creaturas, non ſolum ſecundum relationes, quæ illi ex æternitate conueniunt, ſed etiam ſecundum relationes temporales, quibus Deus de nouo ad creaturas refertur, abſque vlla ſui intrinſeca mutatione; hoc enim eſt totum illud abſurdum, quod intendunt vitare illi, qui formidant ponere in Deo relationes reales ad creaturas. An verò hæ relationes poſſint dici accidentales in Deo, licet aliqui non refugiant dicere, quod ſint accidentia metaphyſica; nihilominus expreſſa ſententia S. P. eſt, quæ licet non dicantur ſecundum ſubſtantiam, non tamen poſſi dici ſecundum accidens, quod explicat

lib.

lib. 5. de Trinitate cap. 4. his verbis. Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amiſſibile *(& infra)* Quamobrẽ nihil in eo ſecundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit, nec tamen omne, quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur; In rebus autem creatis, atque mutabilibus, quod non ſecundum ſubſtantiam dicitur, reſtat vt ſecundum accidens dicatur. Omnia enim accidunt eis, quæ vel amitti poſsũt, vel imminui, *&c.* *(infra)* In Deo autem nihil quidem ſecundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt, nec tamen omne, quod dicitur ſecundum ſubſtantiam dicitur. *Ex his habetur, quod loquendo de Deo, & Diuinis, non omnia dicuntur ſecundum ſubſtantiam; non tamen ſequitur,*

quod

Digitized by Google

quod ibi dicantur ſecundum accidens. has rationes, quæ non dicuntur ſecundum ſubſtantiam, nec tamen ſunt ſecundum accidens, attributales eſſe appellandas communiter cenſetur. In creaturis verò ea, quæ vel poſſunt ammitti vel imminui, ſi non ſunt ſubſtantia dicenda ſunt accidentia. Cum ergò in relatiuis poſſit ammitti alterum extremum reſtat vt relatio in creaturis dicatur ſecundum accidens. Vnde ſtudio appoſita eſt illa particula vel ammitti, vel imminui; ad hoc vt intelligamus, qualiter relatio in creaturis licet identificata cum fundamento dicatur ſecundum accidens, non verò in Deo. Nec valet dicere, quod etiam Deus ammittit alterum extremum quemadmodum creaturæ, eo quod res creatæ ad quas dicit habitudinem intereunt.

Nam

Nam reſponderi poteſt, Deum nihil propriè ammittere: Nam ea omnia, quæ deſinunt, quando vult, & quommodo vult, poteſt reuocare. Vocat enim ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt. Non ſic creaturæ, quæ ſubiacent directioni, & diſpoſitioni cauſarum ſuperiorum.

Dico ſexto inter varias, quæ circumferuntur Relationum diuiſiones; (nam alia dicitur mutuæ, & non mutuæ; alia diſquiparantiæ, & æquiparãtiæ; alia ſuperioritatis, & inferioritatis &c.) Duas eſſe celebriores. Prima eſt in Relationes tranſcendentales, & prædicamentales. Hanc diuiſionem (quidquid de modis, quibus à diuerſis exponitur) ego arbitror coincidere cum diſtinctione relationum in relationes ſecundum eſſe, & relationes ſecundum

Aliæ Diuiſiones Relationis.

dũ eſſe,& relationes ſecundũ dici itaut relationes tranſcendentales ſint relationes ſecũdum dici tantum;relationes verò prædicamentales ſint omnes relationes ſecundum eſſe creaturarum ſaltem. Moueor ex eo, quod dixi ſupra in antepradicamentis, nempè omnes relationes creaturarum vniuocè conuenire, & ex eo quod cenſeo nullam entitatem creatam ſaltem ſimplicem eſſentialiter ad aliam referri.

Altera diuiſio traditur à Philoſopho, vel ex diuerſa ratione fundandi, vel à poſteriori in ordine ad noſtros conceptus. In qua diuiſione. Primum diuiſionis membrum eſt eorum, quæ dicuntur ſecundum vnitatem, & numerum: per vnitatem intellige conuenientiam fundamenti cũ termino, per numerum diſconuenien-

nientiam, qua ratione referuntur ea, quæ vel in ſubſtantia conueniunt, vt in eadem natura hominis, vel equi, & tunc dicitur. Relatio idemtitatis, vel in Quantitate, & tunc dicitur. Relatio æqualitatis vt duo bipalmaria; vel in qualitate, & tunc dicitur relatio ſimilitudinis, vt duo cærulea. Secundum membrum huius diuiſionis eſt eorum, quæ fundantur in potentia agendi, & patiendi vel actionibus earum, vt ſunt paternitas, & filiatio, quæ fundatur in potentia generatiua, vel in ipſa generatione (iuxta diuerſitatem ſententiarum) Tertium membrum eſt eorum, quæ dicuntur ad alia, quia alia dicuntur ad ipſa, quæ ab ipſo Philoſopho dictæ fuerunt relationes menſurabilis ad menſuram. Hæc diuiſio, & tamquam rectè allata, &

tam-

tamquam data à Philoſopho 5. Metaph. cap. 15. ſemper retenta fuit in Scholis, & retinenda videtur, vt comprehendens omnes relationes tam reales quam rationis, ac etiam ſecundum dici. Hæc fundamenta relationum, & has diuiſiones non obſcurè tangit S. P. in hoc capite, quando dicit. Hæc interim differentia licet ſi propriè hanc Categoriam, quæ ad aliquid dicitur volumus definire vt à cæteris ſeparetur, in omnes enim videtur incurrere. *vbi clarè inſinuat alias Categorias talem habere coniunctionem cum iſta, vt neceſsè ſit aliqua regula infallibilis pro diuerſificanda hac ab alijs, quæ ſunt fundamenta, ſeu proximæ rationes fundandi, vt hic explicatum eſt per partes. Differentia, quam aſſignat, hæc eſt.* Tunc verè, & propriè

ad

ad aliquid dicitur, cum ſub vno ortu atque occaſu, & id quod iungitur, & id cui iungitur inuenitur, vt ſeruus, & Dominus. *itaque altero pereunte, alter non remanet amplius in eſſe talis relatiui, eſto in eo nulla fiat mutatio intrinſeca. Hic etiam obiter aduertendæ ſunt aliæ duæ regulæ, quas tradit S. P. hic pro his relationibus, quarum prima eſt*, ſpecialiter tamen, & regulariter, vt hæc Categoria manifeſtius dignoſcatur, hæc via eſt, qua debemus aduertere, non rectè dici ad aliquid, niſi cum ſingulare, ad ſingulare refertur, vt ſingulare alicui ſingulari ſimile. *requiritur ergo coexiſtentia duorum extremorum ſingulariter exiſtentium, quod non requiritur in abſolutis. Secunda regula eſt illa.* Ineſt autem huic Categoriæ

goriæ, & ſoli, & omni, vt inter coniuncta duo, quæ ex ſe pendeant, ſit alterna conuerſio, vt ſeruus Domini, Dominus ſerui. Apparet ergo, hæc copulata vicaria inſemet replicatione conuerti. Si tamen ſcienter, & prudenter iſta fiat conuerſio *ex his patet, omnem relationem per S. P. N., quæ datur inter duo extrema, ſemper eſſe mutuam, hoc enim apertè indicant illa verba* huic Categoriæ, & ſoli, & omni *per quæ verba excludūtur relationes, quæ à quibuſdam dicuntur non mutuæ, cum omnes debeant vicaria replicatione cōuerti, quod ego ſemper ſenſi etiam antequam vidiſſem hunc apertiſſimum Textum S. P.*

Dico ſeptimo fundamentum proximum relationis, cum quo identitatem habere relatio neceſ-

ſario

ſario debet, debere eſſe reale, eo quod nullam aliam realitatem habeat relatio realis, quam realitatem fundamenti. Hoc fundamentum proximum relationis poteſt eſſe accidens Phyſicum, non tamen ſemper eſt neceſſarium pro fundamento tale accidens diſtinctum à ſubſtantia realiter; ſed ipſamet ſubſtantia poteſt eſſe immediatum fundamentum relationis, idemtitatis, & diuerſitatis. De Accidente Metaphyſico, quale eſt relatio, affirmant aliqui, alij negant qui proceſſum in infinitum ſequi timent. Sed hic media via incedere poſſumus, vt dicamus, quod vna relatio poteſt eſſe fundamentum alterius, cum eodem modo ſint ſimiles duæ paternitates, quam duæ ſubſtantiæ eiuſdem ſpeciei; ita tamen vt hic poſtea ſiſtendum ſit, cum quæcumque *De fundamento relationis.*

que

que alia relatio, quæ concipiatur aduenire, ſit ſolum per intellectus reflexionem concipientis iterum, atque iterum eãdem ſimilitudinem inter illas relationes tamquam realiter replicatas à parte rei, cum ſint ſolum replicatæ per intellectum, pluries concipientem eandem rationem, & illæ rationes ſint ſe ipſis formaliter ſimiles, non verò per aliquid ſuperadditum. De Relationibus fundatis in actione, & paſſione; cuiuſmodi eſt relatio Paternitatis, & cuiuſuis cauſæ ad effectum, quæ remanet tranſacta productio ne (vnuſquiſq; philoſophetur ſecundum ſua principia) mihi arridet ſententia, quæ ſtatuit huiuſmodi relationes fundari immediatè in ipſa ſubſtantia cauſæ, non verò in potentia generatiua, etiam dato, quod potentia ſit actu diſtincta à ſub-

ſubſtantia; ipſa enim ſubſtantia eſt principale agens; ſed de his alias; hæc fundamenta Relationis implicitè inſinuat S. P. cum ait Hæc interim differentia, licet ſi propriè hanc Categoriam, quæ ad aliquid dicitur, volumus definire, vt à cæteris ſeparetur, in omnes enim videtur incurrere *vbi clarè patet, quod ſentit in quacumque Categoria eſſe inuenire relationem; aut vt formale conſtitutiuum, illius, aut vt fundamentum vt ſunt entia abſoluta, iuxta explicationem ſupra allatam.*

Dico octauo terminum relationis formaliter eſſe id, ad quod eſt relatio, ſiuè extrinſecum illud comparatione cuius res dicitur ad aliud. Neceſſe eſt igitur in relatione reali terminum eſſe diſtinctum diſtinctione actuali à fundamen- De termino Relationis.

damento. An verò relationes reales expoſcant neceſſariò terminum vt exiſtant; hoc opus hic labor eſt; Mihi diſtinctione opus eſſe videtur; ita vt aliud ſit, relationem eſſe ſecundum totum id quod dicit in recto, & in obliquo; ſiue ratione fundamenti, cum quo identificatur in mea ſententia, & ratione termini qui ſolet ſignificari in obliquo; Et quidem ad hoc vt ſit ſecundum id quod importat ex ſe in fundamento non exigitur exiſtentia termini, ad hoc verò vt denominet, neceſſario requiritur exiſtentia termini; Et hoc eſt quod ait S. P. Ineſt huic Categoriæ, & ſoli, & omni, vt inter coniuncta duo, quæ ex ſe pendent ſit alterna conuerſio, *& niſi exiſtat terminus non poteſt eſſe iſta alterna conuerſio, & ſic non poteſt denominare relatū.*

Dico

Dico nono relationes illas, quæ ſunt inter ipſas relationes, vt inter duas Paternitates, inter duas æqualitates, & alias huiuſmodi terminari formaliter ad relatiuū; ratio eſt clara, quia relatio eſt id, quod primo reſpicitur ab huiuſmodi relationibus; In alijs vero relationibus poſſe æque commode ſuſtineri vtramque ſententiam; Nam in noſtra ſententia, quæ ponit omnes relationes eſſe mutuas, poſſit dici, quod eadem forma relatiua eſt id, quo fundamentum illius terminat relationem ad ſe, & id quo refertur ad aliud, ſub diuerſa tamen ratione, terminat enim quatenus eſt id, quo aliquid aliud habet ad ſe vt ſic, licet ſit ipſum relatiuum, non ſe habet tunc formaliter vt relatio, refert autem quatenus eſt id, quo aliquid eſt ad aliud, & ſic ſe habet

Quomo Relationes reſpiciant Relatiua, & abſoluta.

O 2 *for-*

formaliter vt relatio. In aliorum verò ſententia maximè eorum qui ponunt non omnes relationes eſſe mutuas, & eorum qui dicunt relationem conſurgere tamquam entitatem vel realem, vel modalem; cum in illis non mutuis ſit ponendum terminari ad abſolutum, & in iſtis, quod eſto per impoſſibile non conſurgeret relatio in termino, adhuc abſolutum terminaret, & per conſequens id, quod primo reſpicitur eſſe abſolutum, non verò relatiuum, ad id terminari relationem ex natura ſua primo, & per ſe dicendum erit. De hac doctrina nō habeo expreſſum textum S. P. Auguſtini ea forte de cauſa, quod & in hac parte iudicauit vtramq; ſententiam æque commodè poſſe ſubſtineri. Nam ille textus. In eſt Categoriæ, & ſoli, & omni, vt inter coniun-

niuncta duo, quæ ex ſe pendeãt ſit alterna conuerſio, vt ſeruus Domini, Dominus ſerui, *& ille alter*. Apparet ergo, hæc copulata vicaria in ſe met replicatione conuerti, *æque commodè poſſunt explicari de vna, ac de altera ſententia, vt conſideranti patebit.*

Dico decimo terminum præcisè eſto dicatur communiter, & verè ſpecificare relationem, non eſſe tamen de intrinſeca ratione conſtitutiua relationis præcisè, ſed ſolum extrinſecè ac terminatiuè, qua ratione ingreditur neceſſariò eſſentialem conceptum relationis. Ratio eſt clara; quia cum relatio ſit id, quo vnum formaliter refertur ad aliud, ſi terminus ingrederetur quidditat: cõceptum relationis, iam eſſet id, quod refereretur, non verò, ad quod refertur, & *Quomodo Terminus ingrediatur vel non ingrediatur Conceptum Relationis.*

ſic eſſet fundamentum non terminus. Vnde & quærendus eſſet alius terminus, de quo etiam rediret eadem difficultas; Et ideò ne detur proceſſus in infinitum, ſtandum eſt in primo qui extrinſecè terminet. Dixi terminum præciſè, & relationis præciſè; quia ſi ſumatur relatio non præciſè, ſed vt mutua iam terminus ingredietur intrinſecum conceptum quidditatiuum talis relationis mutuæ, eo quod ad hanc requiratur vt ille, qui eſt terminus, ſit ſimul fundamentum relationis ad id, à quo reſpicitur, & ſic ſaltem de materiali erit de quidditatiuo conceptu relationis mutuæ.

An ad multiplicationem

Dico vndecimo in noſtra ſententia, quæ idemtificat relationem cum abſoluto, rectè poni, quod ad multiplicationem terminorum, ſi tamen termini ſint adæquati, non

non verò inadæquati; multiplicẽtur relationes; ceſſante enim vno termino non verò altero ceſſat illa relatio non verò iſta. Ad dignoſcendum verò terminum adæquatum ab inadæquatis, hæc ſolet tradi regula. Quotieſcumque Relatiuum non poteſt vnum reſpicere, quin alia reſpiciat, ſignum eſt illud non eſſe terminum adæquatum; & illa plura vnica relatione reſpici. Quotieſcumque verò relatiuum reſpicit vnum; quidquid ſit de alijs illud iam eſt terminus adæquatus. termi-norum multi-plicen-tur Re-latio-nes.

Dico duodecimo rectè fuiſſe aſſignata à Philoſophis attributa huic Categoriæ, & à S. P. N. vel appoſita vel explicata. Eorum primum eſt Relatiua habere contrarium, quod de vera contrarietate communiter Peripatetici intelligi volunt diſtinguuntur; verò De Pro-prieta-tibus Relati-uorum.

hic à S. P. relatiua ab oppoſitis cum ait. Eodem pacto poſſumus hanc Categoriam ab oppoſitorum ſimilitudine ſeparare, nam & oppoſita quamdam huius Categoriæ ſimilitudinem reddunt. *Secundum eſt Relationes ſuſcipere magis, & minus, ſeu intendi, & remitti non quidem per ſe ſed ſolum ad intenſionem, & remiſſionem termini, aut fundamenti. Tertium eſt vt ad conuertentiam dicantur; ſi tamen conuenienter ſiat aſſignatio, vt monet etiam S. P. N., ad quam aſſignationem rectè faciendam hæc ſolet tradi regula; ſi ab eo, ad quod formaliter, & per ſe alterum correlatiuorum terminatur, circumſcribantur, & cognitione omnia alia remoueantur, & tamen ratio permaneat, ratione cuius, cum illo ad aliud eſt tunc, & vnicuique*

re

re vera reciprocabitur conuertentia, & ratio illa, quæ remanet, erit ratio ad quam formaliter, & per ſe relatio dicetur terminari. Quartum eſt relatiua eſſe ſimul Natura, quod exigit duas conditiones; altera eſt vt altero eorum, quæ natura ſimul dicuntur in rerum natura exiſtente, neceſſe eſt, & alterum exiſtere; Altera eſt, vt vnum non ſit cauſa alterius. Quintum, & vltimum eſt eſſe ſimul cognitione, ſi enim vnum relatiuorum definite cognoſcitur, neceſſe eſt, & alterum definite cognoſci: hæc ſunt pauca ex multis, quæ de hac Categoria ex S. P. N., & ex Philoſopho breuiter vt mei inſtituti ratio poſtulat indicando potius quam diſputando hauſi; nam, & ipſe S. P. Auguſtinus ſic terminat iſtam tractationem. De qua Cathegoria quan-

rum potuimus explanauimus, licet tanta huic cum cæteris videatur eſſe permixtio; vt ipſe quoque Ariſtoteles huius diſcretionem haud facilè repererit; Cuius etiam longa, ac diuturna non ſit indecens retractatio.

COROLLARIVM.

EST igitur de mente S.P.N. hic primo hunc locum fuiſſe rectè ob neceſſitatem aſſignatum huic tractatui de Relatione, quam repudiata antiquorum definitione ipſe Philoſophus rectius definiuit. 2. hic de relationibus realibus agi Categoriæ enim de entibus realibus tractant perſe 3. non componi ex fundamento, & termino tamquam partibus, 4. diſtingui a ſuo fundamento diſtin-

ctione

*ctione ſolum virtuali, ſeu vt di-
cunt ratione ratiocinata 5. rela-
tiones dici de Deo non ſecundum
ſubſtantiam, nec ſecundum acci-
dens, ſed ſecundum rationes at-
tributales; eo quod Deus nihil
ammittere poſſit vel in eo, immi-
nui. In creaturis verò quidquid
dicitur, vel ſecundum ſubſtan-
tiam, vel ſecundum accidens dici
6. rectè diuidi primo in tranſcen-
dentales, & prædicamentales; ita
vt tranſcendentales coincidant
cum iis, quę appellantur ſecundum
dici. Reales verò cum prædica-
mentalibus, ſecundo in eas, quæ
fundantur vel in vnitate, & nu-
mero, ideſt diuerſitate; vel in Ac-
tione, & Paſſione; vel in menſu-
ra, & menſurabili. 7 fundamen-
tum proximum relationis debere
eſſe reale, & hoc poſſe eſſe vel ac-
cidens vel ſubſtantiam. 8 Termi-*

num relationis eſſe extrinſecum illud, ad quod eſt relatio, quæ vt denominet requirit illius exiſtentiam. 9 *Relationes quaſdam eſſe ad relatiuum formaliter, alias verò poſſe eſſe ad abſolutum*. 10 *Terminum præcisè non eſſe de intrinſeca ratione conſtitutiua relationis præcisè, bene tamen de intrinſeca ratione relationis mutuæ*. 11 *ad multiplicationem terminorum adæquatorum multiplicari relationes*. 12 *Rectè fuiſſe aſſignatas quinq; proprietates huic Categoriæ, quarum prima eſt habere contrarium, ſecunda intendi, & remitti ad intenſionem, & remiſſionem vel fundamenti vel termini* 13 *quod dicantur ad conuertentiam ſi conuenienter fiat aſſignatio*. 14 *quod ſint ſimul natura*. 15 *quod ſint ſimul cognitione*.

De

DE QVALITATE

CAPVT NONVM.

TEXTVS.

NVnc de qualitate tractemus, ſecundum quã ea, quæ ſunt, qualia nuncupantur. Multi autem quærunt quid ſit qualitas, & quid quale, quorum facilis ſeparatio eſt. Qualitatem namque dicimus dulcedinem, auſteritatem, albedinem, nigredinem. Quale verò intelligitur, quoties album aliquid, vel dulce, vel auſterum, vel nigrum dicimus. Licet Ariſtoteles indifferenter pro qualitate, quale poſuerit, & qualitatem pro quali, proptereaque etiam nos eundem ſecuti ſimilia ſenſerimus. *Cap. xii De qualitate.*

Hanc

Hanc autem categoriam propterea cæteris difficiliorem volunt, quia facilius quàm cæteræ in omnes videtur incurrere: vt puta in vſia inuenitur, cum dicimus, homo grammaticus. In quanto, alba vel nigra epiphania. In ad aliquid, prudens pater, optimus filius. In facere, dure ſaltat. In pati, fert fortiter vulnera. In loco, obſcurus locus. In tempore, calidus menſis, aut frigidus. In iacere, pronus aut ſupinus iacet. In habēre, decenter armatus. Erit igitur non paruæ prudentiæ, qualitatem cum cæteris penè confuſam mentis viuacitate ſecernere. Huius ſunt ſpecies numero quatuor, quas Ariſtoteles pro generibus poſuit, ſcilicet propterea, quia, & ipſæ ſingulæ habent ſpecies ſuas. Id verò

cum

cum acciderit, ſubalterna nominantur, quæ Græci υπαλληλα vocauerunt. Ergò primum genus eſt habitus, & affectio: ſecundum, potentia naturalis: tertium, paſſiuæ qualitates ſiue paſſiones: quartum, formæ ac figuræ. Hæc Ariſtoteles εξιν και διαθεσιν dixit, φυσικιν δυναμιν, παθητικασ ποιοτητασ και πατη, σχηματα και μορφιασ. Habitus, affectio eſt animi longo tempore perſeuerans: vt eſt virtus, & diſciplina, quæ perſeueratione ſui, & perpetuitate temporis æſtimantur, niſi fortè eas languor corporis aliquis, & caſu iniecta debilitas amputauerit. Affectio verò eſt mutabilis mẽtis impulſio, vel cupiditas leuis, quæ breui tempore deleatur. Habitus ergo, & affectio videri poteſt. Ab hac nanque incipit,

&ſi

& ſi ipſa permanſerit, habitus naſcitur: affectio autem habitus videri non poteſt. Si enim ad habitum peruenerit, vocabulum proprium non tenebit. Hoc loco non eſt incongruum, quod ſæpe quæſitum eſt, breui tractatu diſſoluere ac docere, quid virtutem diſciplinamque diſcernat. Hoc profectò, quod diſciplina in ea parte animæ, quæ rationalis dicitur, tantummodo verſatur: virtus verò omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam ſuo imperio gubernat ac regit: vt & iracundiam domet, & cupiditates animo amoueat, quod diſciplina facere haud quaquam valet. Potentia naturalis eſt, quoties quis videtur, vel poſſe vel non poſſe aliquid per naturam facere: vt verbi gratia, plerunque

viſis

viſis corporibus puerorum, & contemplatis artubus pronunciamus aliquid de futuro, eoſq; dicimus, vel pugillatores forè, vel curſores, non quod iam hac arte vel ſtudio teneantur, ſed quod videantur poſitione corporis, hæc facilius impleturi. Similiter ſalubres vel imbecilles dicimus, qui, aut facilè, aut non facilè recipiant ægritudinem. Eodem modo nanque, & in his potentia naturalis aduertitur, quæ eos facit vel languoribus crebrius ſubiacere, vel retinere perennem ſoſpitatem. Durum quoque, & molle cum dicitur, oſtendit potentiam naturalem. Durum ſiquidem eſt, quod firmitate naturæ corruptionem ſui non facilè admittat. Molle vero, in quo eſt natura laxior, nec ad contraria repellenda

lenda ſufficiens. Tertium genus qualitatis,ſiue ſpecies, paſſiuæ qualitates, & paſſiones, quæ ſunt huiuſmodi, auſteritas, calidatio, & frigidatio: ſic enim θερμότητα & ψυχρότητα placet dicere, & albedo, & nigredo:quæ non idcircò paſſiuæ qualitates dicuntur, quòd patiantur aliquid, ſed quòd faciunt paſſionem. Mel nanque vt dulce ſit, non à dulcedine aliquid paſſum eſt, ſed dulcem guſtantibus efficit paſſionem. Paſſiuæ autem qualitates rectius dicuntur, albedo, & nigredo, & horum media, id eſt rubor, & pallor: hæc enim non niſi animæ vel corporis paſſione naſcuntur. Vt enim nigreſcat aliquis, corporis paſſio eſt,vt palleſcat vel rubeſcat, animæ, quæ cum turpitudinis verecundiam ferrè nequi-

quiuerit, quaſi ad obtentum ſui, ſanguinis copiam in exteriores corporis fundit, eoque fit vt pudore nimio rubeſcamus. Pallor quoque ſimili animæ paſſione conſiſtit, cum perculſa metu nimio ad cordis vlteriora confugit, eamque ſanguis inſequitur, adeò vt deſertum ſanguine quod eſt in conſpectu corpus albeſcat. Hæc animæ paſſio ita à philoſophis vera eſſe firmatur, vt etiam ſi pallor, vel rubor in corpore iugiter perſeueret, ſimili paſſione aſſerant eueniſſe. Hæ igitur qualitates ſi in corpore perſeuerent, quia ſecundum eas quales dicimur, ipſæ quoque qualitates paſſiuæ cenſentur. Sin verò ad breue tempus extiterint, ita vt citò diſcedant, paſſiones eas potius nominamus. Non

enim quis ſi ad tempus iratus eſt, aut erubuit, aut incaluit, aut refriguit, mox ad ſtatum naturæ iterum rediturus, rubicundus, vel iracundus, vel calidus, vel frigidus appellari poteſt, ſi ad tempus aliquid paſſus eſt. Erit ergo inter paſſiuas qualitates, & paſſiones iſta diſcretio, quòd paſſiones ad tẽpus exortę facilè commutantur, paſſiuæ verò qualitates ſecundum quas quales dicimur, perpetuò perſeuerant. Quartam nunc qualitatis ſpeciem tractemus, in qua ſunt formæ, & figuræ: & figuræ inanimalibus, formæ animalibus tribuuntur. Figuras enim tunc deſignamus, cum vel trigonum vel tetragonum vel conum, vel cylindrum vel ſphæram dicimus. Formas autem cum formoſos aſſerimus ali-

quos

quos vel deformes. In eodem qualitatis genere ſunt, curuitas, & rectitudo. Audemus enim ευθυτητα και καμπιλοτητα hoc pacto conuertere. Ab ijs nanque rectum vel curuum quippiam dicitur: læuitudo quoque, & aſperitas, & raritas ac denſitas, è quibus rarum, denſum, læue, & aſperum deſignamus, qualitatum quidem numero ſociantur, ſed habent alteram interpretationem ſui. Siquidem denſum coarctationem nimiam coniunctarum partium videtur oſtendere: rarum contra, in quo interuallis frequentibus laxior partium videtur eſſe coniunctio: quin etiam leue illud propriè videtur oſtendere, in quo poſitio partium ita aptè pariliterque digeſta eſt, vt nulla earum menſuræ alterius emineret.

ret. Contra aſperum diſcrepantia coniunctarum partium facit: aſperitatem nanque non gignit niſi inæqualitas partium, vt ſit longior vna, altera inferior. Ac propterea hæc quidam volunt categoriæ alteri ſociare, quæ apud Græcos κεῖσθαι, apud nos iacere, ſiue vt † Augurius, quem ego inter doctiſſimos habeo, voluit, ſitus dicitur. Claret enim vnumquodque earum partium, quæ corpus efficiunt, poſitione conſtare: veruntamen cum leue vel aſperum vel denſum vel rarum dicimus, qualia demonſtramus, eaque omnia, quæ de his ſuperius explicata ſunt, ad interpretationem non vocabuli, ſed naturæ videntur potiùs pertinere: qua de cauſa cogit ratio, vt hæc quoque inter qualia numeremus.

mus. Ab his igitur quas enu-
merauimus qualitatibus παρωνυμωσ qualia nominantur, vt le-
ue à leuitate, à denſitate den-
ſum, cæteraque his ſimilia. Sed
plerunque accidit, licet raro, vt
qualia non παρωνυμωσ à ſua qua-
litate deſcendant, vt à virtute
non poteſt dici virtuoſus, ſed
moderatus, & induſtrius. Nec
in Græco quidem απο τησ αρετησ, αρετοσ dicitur, ſed σπȣδαιος. Vn-
dè apparet qualia, etiam ne-
glecta plerumque paronymo-
rum deriuatione conſtare. Hæc
hactenus: nunc qualitatis huius,
propter quam diuerſas ſpecies
explanauimus, conſequentias,
& proprium videamus. Et pri-
mum quidem contrarietatem
recipere qualitates, nulla dubi-
tatio eſt. Quis enim dubitat ſa-
luti contrarium eſſe languorem

iuſti-

iuſtitiæ iniuſtitiam, calorem frigori, malo bonum, non erudito literis eruditum? Sed hoc non in omni qualitate reperies: nam pallido, vel fuſco, vel quadrato, vel trigono, nihil poteſt eſſe contrarium. Non ergo erit incommodum regulam quandam dare, qua quæ qualitates contrarietatem non recipiant, poſſit aduerti. Erit igitur notum doctis, eas qualitates, quæ contrarijs mediæ ſunt, & eas quæ ex formis figuriſque naſcuntur, contrarietatem penitus recuſare. Contrarijs autem medias dixi, vt eſt fuſcum, & pallidum: hæc enim duo de albedine nigredineque naſcuntur, ac ſunt his media, ipſa verò albedo, & nigredo ſibi ſunt contraria, fuſco autem pallidoque contrarium nihil eſt. Claret

ergo

ergo contrariorum media, contraria non habere: quinetiam qualitas, quæ ex forma vel figura conſiſtit, contrarietatis ignara eſt. Quid enim quadrato vel trigono, quid circulo, vel cono vel cylindro contrarium quis opponat? Regulariter ergo teneamus contrarietatis receptricem, qualitatem, nec omnem poſſe eſſe, nec ſolam. Nec illud eſt omittendum, vt ſciamus in contrarijs qualitatum, ſub eadem categoria eſſe alterum ſub qua aliud inuenitur: vt iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt: iuſtitia igitur, & iniuſtitia, qualitas eſt. Item qualitas eſt albedo, quare nigredinem quoque eſſe qualitatem neceſſe eſt. Quo fit, vt regulariter contrariç qualitates categoria ſemper eadem vinciantur. Quærentes interea

quid ſit proprium qualitatis, quoniam contrarietatem ſuſcipere, nec ſolius eſt, nec totius, aliud perſcrutemur. Video enim magis, & minus, hoc eſt μᾶλλον κὶ ἧττον, in ſe recipere qualitatem. Nanque magis album, vel magis nigrum, vel magis muſicum, vel minus muſicum poſſumus dicere. Verum id quoque nec in omni qualitate, nec in ſola poterit inueniri. Quis enim prudentiam prudentia prudentiorem poterit dicere, vel albedinem clariorem albedine, vel doctrinam doctrina doctiorem, vel trigono magis trigonum, vel quadrato magis quadratum? Si enim trigonum fuerit, magis eſſe, quàm trigonum non poteſt. Aut ſi magis, aut minus fuerit, iam trigonum nnn erit. Separare tamen placet ac diſcer-

ſcernere eas qualitates, quę magis, & minus recipiunt, ab ijs, quæ hunc gradum comparationis recuſent. Sit ergo hæc regula, qualitates ipſas magis, & minus non poſſe ſuſcipere. Ea verò quæ ex his fiunt, comparata vel magis recipere poſſe, vel minus: vt eloquentiam magis eloquentiam ſeu minus nullus dicere poteſt: cum verò qui eloquens dicitur, magis vel minus cæteris eloquentem poſſumus dicere. Claret ergo magis, & minus in qualibus inueniri poſſe, nunquam poſſe in qualitates incidere. Figuræ quoque, vt ſuperius explicatum eſt, non admittunt magis, & minus: ſiquidem circulo, ſi aliquid addas vel minuas, circuli iam vocabulum non tenebit, & in alterius figuræ nomen migrabit. Mani-

feſtè igitur deſignatum eſt, quæ qualitates huiuſmodi gradus comparationis accipiunt,& quę ab his videntur eſſe alienæ. Reliquum eſt, vt qualitatis proprium, quod apud Græcos eſt ἴδιον, inueſtigemus:nanque vſia habet hoc proprium, vt ſingularis atque vna numero contraria in ſe ſuſcipiat: ſuſcipiat autem dixi, non habeat contraria. Meminiſſe autem nos oportet, quod vſiæ, cum de ea tractaremus, nihil eſſe diximus contrarium.Ergo vt eius eſt proprium ſuſcipere contraria, id eſt, ſanitatem modo, modo ægritudinem:quanti verò,id eſt του ποσου vt par imparve dicatur: του δὲ πρός τι ad aliquid,vt ſint αντιστροφα hoc eſt, vt in ſe conuertantur, ac ſint ſibi natura coniuncta: ita & qualitatis hoc proprium eſt,

vt

vt cuncta qualia ſimilia aut diſſimilia nominentur; & dulce enim dulci, & albo album, & ſtulto ſtultum, & leni lene, & calido calidum, ſimilia vel diſſimilia propriè nuncupantur. Aliter enim ſi dicta fuerint, nuncupationem propriam non habebunt. Ne autem nonnulli in legendo turbentur, quod, & affectio, & habitus, & diſciplina, quæ in ad aliquid dictis, id eſt, ἐν τοῖς πρός τι, poſitæ, eidem qualitati quoque connexæ ſunt, hanc diſcretionem damus, vt tunc categoriæ ad aliquid ſocientur quando ſunt genera, cum verò ſpecies, qualitati: vt-puta ſi diſciplinam dixeris, quæ eſt genus cæterarum, ad aliquid referenda eſt, diſciplina enim diſciplinabilis vel diſcibilis rei diſciplina dicitur: quod ſi mu-

cam dixeris, muſica diſciplinæ ſpecies eſt, non genus, qualitati nectenda eſt: neq; enim muſici muſicam poſſumus dicere, ſed muſici diſciplinam. Similiter, & affectio,& habitus ſecundum genera,& ſpecies, nunc ad aliquid, nunc qualitati nectuntur. Siquidem ſi affectum vel habitum, hoc eſt διάθεσιν, & ἕξιν, generis dixeris, id eſt diſciplinæ, ad aliquid referuntur: ſin autem affectum ſiue habitum ſpeciei eſſe dixeris, id eſt muſicæ vel grammaticæ, qualitates debemus agnoſcere. Quãuis ipſe quoq; Ariſtoteles magnus ingenio huic penè permixtioni conceſſerit, ac dixerit, poſſe contingere, vt quod qualitatis fuerit, idem referatur ad aliquid, nec eſſe importunum, ſi

vna res duarum categoriarum vocabulo concludatur.

SCHOLIVM.

AGgreditur S.P. explicationem Categoriæ Qualitatis ab illa declaratione, quam de ea tradidit Philoſophus quãdo dixit. Qualitatem dico, ſecundum quam quales, quidam eſſe, dicuntur; quam his alijs verbis vertit S.P. Nunc de qualitate ſecundum quam ea, quæ ſunt, qualia nuncupantur. *Hanc eſſe aptam deſcriptionem vtpotè traditam per quid notius, nempè per concretum quale, plures Philoſophi ſuſtinent. Verum cum poſtea deſcripſerit quale per qualitatem dicendo,* Qualia ſunt, quæ ſecundum has *(ideſt qualitates)* denominatiuè dicuntur vel quomodolibet ali- Explicatio Qualitatis.

 ter

ter ab his : *difficile eſt, ſaluare quommodo vitioſum circulum nō committat. Propterea fortè S. P. ait.* Ariſtoteles indifferenter pro qualitate quale poſuit, & qualitatem pro quali. *Cum enim vt in antepradicamentis dictum eſt. Categoriæ poſſint ordinari, & in concreto, & in abſtracto; indifferenter voluit ponere vnum pro altero; non verò definire, aut deſcribere vnum per alterum, ſed ſolum indicare, quod in hoc prædicamento, ſicut & in alijs poſſit poni vnum loco alterius; quo poſito.*

Dico primo ſemper fuiſſe viſum difficilè Doctoribus, aptam aſſignare definitionem Qualitati, difficultas in eo eſt, quod difficilè eſt ſeparare eam ab alijs, quam etiam difficultatem inſinuauit S. P. dicens. Hanc autem Cathe-

Definitio goriam propterea cæteris difficilio-

ciliorem volunt, quod facilius quam cæteræ in omnes videtur incurrere. *Inter cæteras tamen autem definitiones aut deſcriptiones aptior mihi videtur illa D. Th. 5. Metaphyſicæ nempè, eſt accidens abſolutum conſequens formam. Nam licet Quantitas ſit, & ipſa Accidens abſolutum, nihilominus eſt ex ſe conſequens materiam, ita vt plures veteres, & non ignobiles Philoſophi arbitrati ſint, dari in materia dimenſiones interminatas, & ei coæuas. At verò forma, eſt illa pro qua vel introducenda, vel manutenenda in materia datæ ſunt qualitates, vel vt diſpoſitiones, vel vt proprietates.* *Qualitatis.*

Dico ſecundò à Philoſopho fuiſſe aſſignatas Qualitati Quattuor ſpecies. Prima eſt habitus, & diſpoſitio, ſeu vt loquitur S. P. Habitus. *Species Qualitatis.*

tus,& Affectio.*Habitus communiter definitur Qualitas difficilè mobilis à ſubiecto. Diſpoſitio verò licet quandoque ſumatur,vt eſt commune quid habitui, & diſpoſitioni, hic tamen accipitur pro ea qualitate, quæ ita afficit ſubiectum, vt ab ea ſit facilè mobilis, & hinc eſt, quod dicatur ipſius habitus inchoatio,& ab eo ſit diſtincta, vt quid inchoatum a perfecto. Et hoc explicat S.P.quando ait.* Habitus affectio eſt animi longo tempore perſeuerans, Affectio vero eſt mutabilis mẽtis impulſio,vel cupiditas leuis, quæ breui tempore deleatur. Habitus ergo, & affectio videri poteſt, ab hac namque incipit, & ſi ipſa permanſerit habitus naſcitur. Affectio autem habitus videri non poteſt; ſi enim ad habitum peruenerit vocabu-

lum

lum proprium non tenebit, *per quæ patet, non eſſe duas ſpecies, ſed vnam, & eamdem ſub diuerſo ſtatu, vel inchoationis, vel perſeuerantiæ, & perfectionis.*

Secunda ſpecies eſt, quæ dicitur naturalis potentia, vel impotentia nomine potentiæ venit hic qualitas connaturalis; per ſe primo inſtituta ad agendum, ſiue neceſſariò, ſiuè liberè: nomine verò naturalis impotentiæ, venit etiam poſitiua, & connaturalis qualitas per ſe primo inſtituta ad agendum, imbecillis tamen, & quæ facile inhiberi poteſt, ne ſuum actum exerceat, quapropter cum hæ differant ſecūdum perfectionem, & minus perfectum, ſeù debilem ſtatum, vnico nomine comprehenduntur à S. P.; dum ait. Secundum (*ideſt genus ſubalternum, rectè enim has ſpecies, & appel-*

lat ſpecies, & genera ſubalterna) Potentia naturalis, (*& infra*) Potentia naturalis eſt quoties, quis videtur vel poſſe, vel non poſſe aliquid per naturam facere. *vbi per ly non poſſe facere, intelligendum eſt, egrè poſſe operari, & faciliter impediri.*

Tertia ſpecies eſt paſſibilis qualitas, & paſſio, ſumitur hic paſſio pro qualitate, vel apta inferrè paſſionem ſenſibus, vel aliqua paſſione innaſci; hæc qualitas ſi diù permanet, & quaſi per modum habitus difficilè à ſubiecto remoueatur, vt natiuus calor paſſibilis qualitas dicitur; ſi verò breui tranſeat, vt rubor ex verecundia, vel pallor ex metu contractus, paſſio dicitur. Hanc ſpeciem ſeù genus ſubalternum ſic explicat S. P. Tertium genus qualitatis, ſiuè ſpecies; paſſiuæ qualitates, & paſſio-

paſſiones ſunt; quæ non idcircò paſſiuæ qualitates dicuntur, quod patiantur aliquid, ſed quod faciunt paſſionem. Erit ergo inter paſſiuas qualitates, & paſſiones iſta diſcretio, quod paſſiones ad tempus exortæ facilè commutantur, paſſiuæ verò qualitates, ſecundum quas quales dicimur, perpetuo perſeuerant. *In omnibus ergò conuenit S. P. cum communi explicatione, excepto quod id, quod communiter dicitur patibilis qualitas, ipſe paſſiuas qualitates appellat.*

Vltima ſpecies qualitatis eſt forma, & figura. Solet dubitari hic, quid Ariſtoteles intelligat per formam, & figuram. Communiter ſumunt hic commentatores tam figuram, quam formam pro termino quantitatis, qui ſi in re naturali quanta ſpectetur dici-

tur

tur forma; Si autem ſpectetur in quantitate ſecundum ſe appellatur figura; & in numerum ſpecierum qualitatis ſecundum denominationem, & prædicationem ponitur, eo quod videatur ſimilem denominationem tribuere ſubiecto, ac tribuant aliæ qualitates, hanc ſpeciem ſic explicat S. P. Quartam nunc qualitatis ſpeciem tetractemus, in qua ſunt formæ, & figuræ; ſed figuræ inanimalibus formæ animalibus tribuuntur. *Sentit ergo S. P. figuram quibuſcunque inanimalibus competere, formas verò ſolis animalibus. Res eſt ad placitum, & quæſtio de voce.*

Dico tertio; hanc diuiſionem qualitatis quoad tres primas ſpecies, aut genera ſubalterna poſſe quidem ſuſtineri, & in rigore Logico, & phyſico, quoad quartam

verò

verò ſpeciem ſolum Logicè, ideſt ſecundum prædicationem habent enim forma, & figura denominarè admodum, quo aliæ veræ qualitates denominant, verum non ſunt qualitates phyſicæ, nam cum reſultent ex quantitate, & termino; ſunt enim termini ipſius quãtitatis, ſufficienter conſtituuntur ex ipſa, quantitate, & negatione vlterioris tendentiæ abſque alio poſitiuo ſupperadditò.

An omnes illæ quatuor ſpecies ſint in rigore, & Phiſicæ Qualitates.

Dico quarto non omnes qualitates neceſſariò diſtingui à ſubſtantia diſtinctione antecedente operationem intellectus. Nam plures potentiæ idemtificantur ſuo ſubiecto; Regula cognoſcendi, quando non debeat poni qualitas eſſe aliquid entitatiuè à ſubſtantia diſtinctum, hæc ſolet aſsignare, quandocumq; prædicata ſignificantia quale poſſunt ſucceſſiuè

Diſtio Qualitatis à ſubſtãtia.

ceſſiuè
veri-

verificari de eadem re propter ſolum localem motum, non eſt neceſſe, quod talia prædicata ſignificent res diſtinctas à ſubſtantia, vel accidentibus entitatiuè à ſubſtantia diſtinctis. Verùm fortè, hæc regula ſufficiet pro ſolis formis, & figuris, quæ iam vt dictum eſt propter aliam rationem petitam ex natura rei, conſtat non eſſe qualitates poſitiuas ex natura rei diſtinctas realiter à ſubiectis. Melior regula erit examinare rationes, & argumenta, propter quæ ponuntur, vel diſtinctæ, vel idemtificatæ. Vnde rectè hic dixit S. P. Erit igitur non paruæ prudentiæ qualitatem cum cæteris pene confuſam mentis viuacitate ſecernere, *vbi videtur, indicare eſſe aliquas qualitates, quæ ſolum per intellectus viuacitatem poſſunt diſtingui, de quibus.*

hus ſuis locis agetur.

Dico quinto à Philoſopho aſſignatas, & à S.P. Auguſtino receptas fuiſſe tres qualitatis proprietates. Earum prima eſt habere contrarium, quod intelligendum eſt de vera ac formali contrarietate, quæ contrarietas ſolet definiri, oppoſitio qua aliqua ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto viciſſim ſe expellunt; aliqui addunt niſi alterum eorum inſit a natura; ſed mihi videtur ſuperfluè additum, nam, & frigiditas ineſt aquæ à natura, & tamen calor eam expellit. Hanc proprietatem volunt conuenire qualitati, tam in concreto, quam in abſtracto, quod ſi rectè explicetur verum eſt. Proprietates Qualitatis.

Secunda eſt, ſuſcipere magis, & minus; quæ proprietas videtur competere qualitati ſolum in concreto,

creto,

creto, quatenus concretum qualitatis quandoque prædicatur de aliquo, cum hoc aduerbio magis, quandoque cum hoc aduerbio minus.

Tertia eſt, quod ſicut ratione quantitatis plura dicuntur inter ſe æqualia, ita ratione qualitatis dicantur inter ſe plura ſimilia, vel diſſimilia, non quidem, quia ipſa ſimilitudo, & diſſimilitudo formaliter ſub prædicamento contineatur; ſed ſolum fundamentum ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, ſicut etiam fundamentum æqualitatis ad prædicamentum Quantitatis pertinet; ita egregiè vt ſolet S. P. N. explicat in textu has proprietates, & qualiter prima non competat omni qualitati, & qualiter ſecunda ſolum in concreto verificetur, & qualiter tertia ſit maximè propria qualitatis; vt ſu-

ſuperuacaneum iudicem, adducere vlteriorem expoſitionem.

COROLLARIVM.

Manet ergo ex dictis primo de mente S. P. eſſe, quod in hoc prædicamento indifferenter ponatur quale pro qualitate, & vice verſa. Et poſſe difficile definiri. Definitionem verò S. Thom., quod ſit accidens abſolutum conſequens formam videri ſatis aptam. 3. Quattuor fuiſſe recte Philoſopho aſsignatas Qualitatis ſpecies. Quarum prima eſt habitus, & affectio. ſecunda potentia naturalis, tertia paſsiua qualitas, & Paſsio. quarta forma, & figura. 4. Non omnes eſſe verè, & poſitiuè qualitates, ſed aliquas ſecundum prædicationem vt ſunt forma, & figura. 5. Nec omnes

nes poſitiuas diſtingui realiter à ſuis ſubiectis. 6. Tres fuiſſe rectè aſsignatas proprietates. Prima eſt habere contrarium vera contrarietate. Secunda ſuſcipere magis, & minus. Tertia eſt propriïſſima, quod ſecundum eam res dicantur ſimiles vel diſsimiles.

DE ACTIONE, ET PASSIONE,

CAPVT DECIMVM.

TEXTVS.

Cap. xiii De facere, & pati. Dicta ſunt autem omnia, quæ ad quattuor categorias maximas atque difficiles pertinebant: nunc ordo commonet vt poſt qualitatem de facere, & pati tractatus habeatur.. Quæ duo videntur ex

ex qualitatis fontè deſcendere: id nanque, quod calidum facit, calidum ſit neceſſe eſt. Calidum verò quale eſſe cognoſcimus. Similiter, quod calidum fit, paſsione ſui accipit qualitatem. Et qui docet, cum docet doctor eſt, & diſcipulum facit: vterque autem ſiue doctor ſiue diſcipulus qualis eſt: & cætera his ſimilia conſiderata demonſtrant, rectè has duas categorias præpoſita qualitate tractari. Hæc duo autem facere, & pati multi dixerunt, non poſſe niſi ijs, quæ fuerint contraria prouenire. Id enim quod dulce eſt, dulce non facit, niſi id quod dulce non fuerit: nam ſi id quod patitur dulce fuerit per naturam ſui, alterius dulcedinem quo recipiat non habebit, neceſſe eſt ergo dulce non eſſe id

quod

quod patitur, vt dulcedinem recipiat alienam: ac propterea cũ quod facit dulce eſt, & quod patitur dulce non eſt, neceſſariò dicuntur videri contraria. Nonnulli diuerſa ſenſerunt, aſſerentes non poſſe hoc niſi in ſimilibus inueniri, & ſub eodem genere conſtitutis: nec poſſe aliquid pati vel facere, niſi ſimile faciat, aut à ſimili patiatur. Dulce enim, & amarum vel calidum, & frigidum licet contraria videantur, tamen cum ſub eodem ſenſu fuerint, ſimilia eſſe confirmant. Denique ab alienis penituſque diſcretis patiendi faciendive rationem dicunt non poſſe conſiſtere: vt verbi gratia: Quid enim faciet numerus in amaro, vel quid albedo pati poſſit à numero. Sed hæc ſit conflictio cæterorum: nobis

autem regula illa ſufficiat, vt ſciamus facere, & pati genere eſſe coniuncta, qualitate diſcreta. Erenim calidum, quod frigido præſtat calorem ſui, ſub eodem genere eſt, quo eſt frigidum, ſed diſcrepat qualitate quod calet: & doctus cum docet indoctum, ſub eodem genere eſt, ſed qualitate diſcernitur. Claret ergo facere, & pati genere eſſe ſimilia, contraria qualitate. Sed hæc duo, vt ſuperius diximus, adeo videntur qualitati nō modò ordine, ſed etiam ratione coniungi, vt eadem recipiant, quæ recipere diximus qualitatem. Namque, & contratietatem nō reſpuunt, quam qualitas recipit, & magis, & minus admittunt, quorum qualitatem tamen diximus receptricem. Harum verò categoria-
rum

rum proprium, quod eſt Græcè ἴδιον, quoniam ipſe quoq; Ariſtoteles omiſit, nec à nobis lector inquirat.

SCHOLIVM.

Explicaui hucuſque ea, quæ ad quattuor categorias maximas, atque difficiles, pertinebant, in his reliquis ſex, & Sancti Patris, & Philoſophi breuitatem immitando longiorem diſcuſſionem, Philoſophiæ naturali reſeruabo.

Dico igitur primo, quod actio eſt formaliter id, quo agens in actu ſecundo reduciter ad actum, quod eſt id quod alijs verbis à Peripateticis communiter dicitur, actio eſt agentis quatenus agens eſt actus, ſeu perfectio de formali in mea ſententia dicit relationem, quæ duplex poteſt conſiderari:

ri: altera, qua effectus in actu dicitur dependere actu à cauſa: altera, qua cauſa in actu dicitur referri ad effectum in actum; qua etiam dicitur cauſalitas agentis, & licet vtraque rectè poſſit dici actio, abſolutè tamen dicitur actio illa, quæ eſt in effectu ad cauſam efficientem actu, & ſic communiter dicitur actio eſſe in paſſo non eſt diſtincta realiter actu antecedenter ad operationem intellectus ab ipſo effectu, ſed eſt illa eadem res vt dependens ab agente; quæ dependentia eſt ratio formalis virtualiter diſtincta ab abſoluto in ordine ad connotatum, quod eſt potentia cauſæ ratione cuius poſitis debitis requiſitis poſtulat ipſa poſita ex vi ipſius poni effectum, ſi ſit cauſa neceſſaria neceſſario, & ad ablationem auferri. Ex his patet prædictam De Actione.

Q depen-

dependentiam, vt denominat intrinſecè ſpectare ad prædicamentum relationis: vt verò denominat extrinſecè ſpectare ad prædicamentum actionis.

De Paſſione Dico 2., quod paſſio eſt actus ſecundus patientis, quę ſolet à Peripateticis definiri patientis quatenus patiens eſt actus, ſeu perfectio, hæc etiam de formali dicit dependentiam formæ à ſubiecto, per quam dependentiam ſubiectum ab agente actuetur, quæ actuatio non eſt modus aliquis, aut formalitas, ſed ipſamet forma, quatenus actu recipitur in ſubiecto, quod actuat, à quo diſtinguitur ſicut forma, quæ in eo recipitur, ab actione verò ſolum virtualiter; non tamen omnis actio identificatur cum paſſione, ſed ea ſolum, quæ eſt in paſſo. Poteſt dari actio, & paſſio ſine motu, licet

motus

motus ſine actione, & paſſione eſſe non poſſit; vt dicit relationem dependentiæ vel receptionis in materia, ſpectat ad prædicamentum relationis; vt verò denominat ſubiectum pati, conſtituit hoc prædicamētum paſſionis. Diuiditur quemadmodum etiam actio in ſubſtantialem, & accidentalem; immanentem, & tranſeuntem; ſucceſſiuam, & inſtantaneam. Prædictæ actionis, & paſſionis formalitates fuerunt indicatæ à S. P. N. hic quando dixit, quæ duo *(ideſt facere, & pati)* videntur ex qualitatis fonte deſcendere: id namque quod calidum facit calidum ſit neceſſe eſt; ſimiliter, quod calidum fit, paſſione ſui accipit qualitatem. *Vbi in illa receptione, & communicatione caloris à calido videtur reponere rationem formalem actionis, & paſsionis.*

De proprietatibus harum Categoriarum nihil dico, nam & ipſe Sanctus Pater ait: harum verò Categoriarum proprium, quod eſt Græcè ἴδιον, quoniam ipſe quoque Ariſtoteles omiſit, nec à nobis Lector inquirat.

DE SITV

CAPVT VNDECIMVM,

TEXTVS.

Caput XIIII. De iacere, ſiue ſitu.

SEquitur vt de iacere dicamus, ſiue de ſitu, vt quidam putant: quæ categoria in ad aliquid relatis iam videtur eſſe tractata. Siquidem quod iacet, poſitum iacet: poſitum verò poſitionis eſt, & poſitio poſiti. Qua de cauſa, vt ipſe quoque Ariſtoteles, quem ſequimur, fecit, ad alia tranſeamus.

SCHOLIVM.

SItus formaliter dicit diſpoſitionem partium corporis in loco, & eſt denominatio tam à forma intrinſeca, quæ eſt diſpoſitio partium corporis ad inuicem, quam à forma extrinſeca, quæ eſt varia diſpoſitio partium loci, à quibus partes corporis denominantur eſſe ſurſum vel deorſum. Vnde importare etiam relationem eo modo quo de actione, & paſsione dictum eſt ſenſit S. Pater hic dicens: quæ Categoria in ad aliquid relatis iam videtur eſſe tractata. Situs.

DE VBI ET QVANDO

CAPVT DVODECIMVM,

TEXTVS.

Cap. xv. De vbi, & quando.

VBi, & quando videntur locus eſſe, & tempus, cum non ſint, ſed ſunt in loco, & tempore: vt, Romæ, in ſenatu, ante horam tertiam, poſt menſem Martium. Hæc, vt diximus, in loco ſunt, & in tempore, non locus, & tempus. Denique vt claras, & nullius tractatus indigas has categorias Ariſtoteles quoque tranſgreſſus eſt, quod nos etiam faciemus. De tempore enim, & loco inter ſummos philoſophos vetus, & magna quæſtio eſt, quibuſdam volentibus, hæc corporata eſſe,

alijs

alijs verò ſine corporibus æſtimari.

SCHOLIVM.

Vbi eſt tantum denominatio extrinſeca à loco, à quo extrinſece aliquid dicitur eſſe locatum, quod apertè indicat S. Pater hic cum dicit: vbi & quando videntur locus eſſe, & tempus cum non ſint, ſed ſunt in loco, & tempore. *Communiter diuiditur in definitiuum, & circumſcriptiuum: circumſcriptiuum ſubdiuitur in ſurſum, & deorſum tamquam in ſpecies, hæ tamen ſolum moraliter non verò eſentialiter differunt.* *Vbi*

Quando importat durationem cuiuslibet rei, creatæ quæ præter exiſtentiam cuiuſq; rei, connotat ſucceſsionem alicuius motus ex- *Quando*

trinſeci, cui coexiſtat, vel coexiſteret, ſi daretur, quod etiam indicauit Sanctus Pater ibi quando dixit quando non eſſe tempus ſed eſſe in tempore.

DE HABERE

CAPVT TERTIVMDECIMVM,

TEXTVS.

Cap. xvi De habere.

NOn vno modo habere; aliquid dicimur. Quantum enim tractando colligimus, ſub hoc verbo octo ſunt quaſi quædam ſpecies. Prima eſt, quoties animo habemus aliquid, vt iuſtitiam, caſtitatem, iniuſtitiam vel libidinem. Secunda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, vt albedinem, & nigredi-

gredinem, varietatem, vel cætera, quæ per qualitatem corpori inſidunt. Tertia, de quantitate deſcendit, quoties quatuor vel quinque pedum habere dicimur longitudinem. Quarta, cum non in toto corpore, ſed in parte corporis aliquid habere firmamur, vt in digito anulum, in pede calceos vel cothurnos. Quinta ſpecies eſt, cum non in corpore, ſed circa corpus habere aliquid dicimur, vt eſt veſtimentum atque indumenta omnia. Sexta, quoties ipſas partes corporis habere narramur, vt manus, pedes, caput, aut reliqua, quæ ſunt in compagine membrorum. Septimus verò locus eſt, quoties far, vel vinum vas aliquod habere dicitur. Octauus habendi gradus eſt, qui poſſeſſionem no-
 ſtram

ſtram vel dominium videtur oſtendere, cum æd.s, vel rus, quis habere dicitur, vel ſepulchra maiorum. Hi ſunt habendi modi, quos deſignato numero comprehendimus, extra quem ſi quis potuerit inuenire, deſidiæ noſtræ culpa non erit, cum philoſophus ipſe liberum dimiſerit arbitrium inquirentibus. Sanè illud verbum multi doctorum reſpuunt, atq; impropriè proferri confirmant, cum mulier habere maritum dicitur, vel vir vxorem, vel pater filium, vel filius genitorem, propterea, quòd aſſerunt nihil haberi poſſe, quod habentem habeat: ſed rectius dici autumant eſſe mulieri virum, vel vxorem viro eſſe, patrem filio eſſe, famulis dominum. Siquidem huius verbi vim in hoc eſſe contendunt,

vt

vt ſignificare non poſſit, & habere aliquem, & haberi.

SCHOLIVM.

Habere, vt hic ſumitur, non eſt accidens quoddam reſultans in corpore veſtito ex adiacentia veſtis, quod dicatur habitio intrinſecè afficiens veſtitum; ſed forma huius prædicamenti eſt veſtis extrinſeca, ſiuè ornatus adiacens corpori, quem modum habendi explicauit S. P. quinto loco quando dixit: quinta ſpecies eſt cum non in corpore ſed circa corpus habere aliquid dicimur, vt eſt veſtimentum, atque indumenta omnia, *hoc modo ſumptum habere, cenſetur communiter à Philoſophis, conſtituere hoc prædicamentum, & diſtingui à pluribus alijs modis habendi qui* Habere

exactè recenſentur à Sancto Patre in textu, & non ſpectant ad hanc Categoriam.

COROLARIVM.

EX dictis de his ſex poſtremis prædicamentis manet Primò, quod actio eſt id, quo agens in actu ſecundo reducitur ad actum; quod importat duplicem relationem, vnam in cauſa, alteram in effectu; Secundo quod paſſio eſt actus ſecundus patientis, qui dicit dependentiam, qua ſubiectum actuatur ab agẽte. Tertio; ſitum eſſe diſpoſitionem partium corporis in ordine ad locum. Quarto; vbi eſſe ſolum denominationem extrinſecam à loco, à quo extrinſecè aliquid dicitur eſſe locatum. Quinto quando eſſe durationem rei creatæ connotantem præter exiſten-

tentiam ſucceſſionem motus cui coexiſtat vel coextiterit vel coextiturus ſit. Sextò quod habere eſt eſſe veſtitum, ſiue ornatum, hæc patent, & habentur in textu S. P.

DE
POST PRÆDICAMENTIS.

CAPVT QVARTVM-DECIMVM,

TEXTVS.

TAndem quaſi magni æquoris freta tranſgreſſi, categoriarum numerum terminauimus, vt arbitror non inſuaſibiliter (vel inſuauiter) doctis, ſatis verò clarè volentibus diſcere: ſed quædam reſtant, quæ calcem libri huius nos tangere contradicunt. Nam & in categorijs *Caput xvii. De poſt prædicamentis.*

gorijs ſingulis de contrarietate tractatum eſt, cum quæ reciperet contrarium, & quæ reſpueret diceremus. Tamen quid ſit ipſum contrarium, nullus adhuc tractatus oſtendit:& adhuc quædam verba remanent, quorum vis ac proprietas debeat explicari. Qua de cauſa ad oppoſitorum tractatum neceſſarium tranſeamus.

Caput viii. De oppoſitis.

Oppoſitorum ſpecies quatuor ſunt:opponitur nanq;aliud alteri: primo,aut figura eius categoriæ,quæ ad aliquid dicitur: ſecundo,aut contrariorum modo: tertio, aut eorum quorum circa nos eſſe dicitur: vel habitus, vel priuatio, habitum ſanè hoc loco ex habendo debemus accipere, non, vt in ſuperioribus definiuimus, eſſe habitum affectionem animi quandam

ſem-

ſempiternam. Quarto modo, cum aut confirmamus aliquid, vel negamus: vt verbi cauſa, ab ijs quæ ad aliquid dicuntur, ponamus exemplum. Primum oppoſitum videtur duplum ſimplo, vel pater filio. Secundum verò contrariorum exemplum ſit, malum bono. Tertium eorum quoq;, quę per habitum, & priuationem dicuntur, ſicut cæcitas, & viſio. Quarto illorum etiam in quibus eſt negatio, & affirmatio: ſicut, currit, non currit. Diſcretio verò contrariorum, & eorum, quæ ad aliquid dicuntur, contemplantibus manifeſta eſt: ad aliquid enim dicta de ſibi oppoſitis nominantur: ſimplum nanque oppoſitum dupli eſt, & duplum oppoſitum ſimpli. Contraria verò id quod dicuntur ex ſe

habent,

habent, neq; alterius indigent. Quis enim malum boni dixerit, aut quis bonum mali? Hæc eſt ergo harum duarum ſpecierum quæ ex oppoſitis veniunt, dilucida, & clara diſcretio. Ipſa verò contraria in tres ſpecies diuiduntur: aut enim mediata ſunt, id eſt, habent aliquid inter ſe medium: aut ſine medio: aut vt in quibuſdam reperit ratio, habent quidem medium, ſed eius uocabulum non apparet, niſi vtriuſque oppoſiti negatione conſiſtat. Mediata ergo ſunt hæc, album, & nigrum, inter quæ quando naſci poteſt pallidum, vel fuſcum, mediata hæc oppoſita dicta ſunt. Quæ verò mediata ſunt, non neceſſe eſt vnum de duobus oppoſitis in corpore reperiri: ſi enim nigrũ non fuerit, poteſt eſſe fuſcum:

aut

aut ſi album defuerit, pallidum poterit inueniri. At verò ex his oppoſitis, quæ mediata non ſunt, vnum neceſſe eſt accidere de duobus, vt eſt ſalus, & ægritudo. Horum medium nihil eſt, propterea, quòd aut ſalutem neceſſe eſt, aut ęgritudinem humana corpora retinere. At illa quibus eſt quidem medium, ſed caret nomine, niſi huic oppoſitorum negatione formetur, ſunt hæc, iuſtus, & iniuſtus: eſt aliquid in medio, ſed non habet nomen, atque ideo vtriuſque oppoſiti negatio ei vocabulum creat, vt nec iuſtum, nec iniuſtum dicamus; id quod eſt medium. Nunc ea oppoſita, quæ per habitum priuationemque fiunt, diligentius retractemus: in his namque obſeruari oportet, vt ſint vtraque in eodem nego-

negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. In eodem negotio ſunt, cæcitas, & viſio, in videndo enim, & in non videndo conſiſtunt. Hæc & in eodem loco ſunt, vtrique nanq;, & cæcitati, & viſioni in oculis locus eſt. Maximè tamen in his opportunitas temporis quæritur: nemo enim rectè caluus dicitur, niſi in eo tempore quo capillos habere debuerit, non habebit: nec ſine dentibus, quem νωδὸν Græci vocant, infantem quiſquam poterit dicere eum, cui dentes adhuc ętas parua denegauit. Siquidem priuatio, quæ Græcè στερησισ dicitur, hanc vim tenet, vt oſtendat quemlibet habuiſſe aliquid per naturam, & non habere. Inter hæc meminiſſe nos conuenit, aliud eſſe viſionem, & cæcitatem,

aliud

aliud habere viſionem,& ea eſſe priuatum, ne ſi hæc eadem eſſe iudicemus, confundi ratio videatur. Quòd ſi quis hoc dubium putat,aut parum certum, quid quamq; rem ſequatur aduertat. Etenim ſi eſſet idem cæcus,& cæcitas, de vno vtraque dicerentur. Dicimus autem hominem cæcum, ſed homo dici cæcitas non poteſt. Claret igitur, aliud cæcum eſſe, aliud cæcitatem. Nec affirmatio, & negatio idem eſt,quòd ſunt ſub affirmatione negationeque cadentia. Affirmatio enim ſiue negatio,eſt verbum confirmans aliquid aut negans. Alia verò ſunt, quæ ſub his inueniuntur, vt eſt, Socrates diſſerit, Socrates non diſſerit: ſimiliter tamen omnia ſibi habentur oppoſita: aliquoties autem mala malis

oppo-

opponuntur, quoties contrariorum media bona ſunt, vt eſt indigentia, & redundantia, quæ Græci ενδειαν κι υπερβολην vocant. His enim duobus malis ſibi oppoſitis, mediocritas media reperitur. Hanc rationem Peripatetici ſecuti, virtutes medias eſſe dixerunt, vt plus iuſto πλεονεξιαν, minus iuſto μειονεξιαν dicerent: inter quæ mala, mediam iuſtitiam locauerunt. Similiter inter verſutiam, & hebetudinem, prudentiam poſuerunt: inter libidinem, inſenſibilitatemque, quam Græci αναισθησιαν vocant, temperantia conſtituta eſt: inter timiditatem, & audaciam fortitudo. Ita occultum quoddam genus oppoſitorum reperit perſcrutata ratio, vt interdum mala malis inueniantur eſſe contraria. Sed Ariſ-
toteles

ſteles harum quattuor ſpecie-
um, quæ ex oppoſitis veniunt,
roprietates, & differentias la-
us, & multis modis explica-
it: nos autem, & genus, & ſpe-
ies poſuiſſe ſufficiat, ne minu-
ioribus occupati, faſtidium ne-
eſſarijs afferamus.

SCHOLIVM.

*EXplicat hic S. P. cum Philo-
ſopho, qualiter ad captum
doctrinæ, quam tradiderunt in
prædicamentis, neceſſe eſt cogno-
ſcere oppoſitionem, Prioritatem,
ſimultatem, & ſpecies motus; quæ
licet ad prædicamenta directè
non pertineant, eorum tamen co-
gnitio ad illorum penetrationem
maximè conducit. Hæc omnia ve-
teres poſtprædicamenta appella-
runt ea fortè de cauſa, quod poſt
illo-*

illorum tractationem à Philoſopho immediatè annexa fuere; his poſitis, vt & S. P., & Philoſophi Doctrina accommodetur, vſui loquendi modernorum in Scholis pauca quædam ſubnectam.

Dico primo, oppoſitionem in communi ſumptam rectè deſcribi poſſe, quod ſit repugnantia inter dua extrema ſimplicia, quæ in eadem re ſingulari ſimul, & ſecundum eamdem partem, ac reſpectu eiuſdem eſſe non poſſunt, haru definitionem non habui expreſsè in Ariſtotele ſed deduxi ex ijs, quæ docet S. P. hic c. 18., quando loquens de priuatione, & habitu ait In his obſeruari oportet, vt ſint vtraque in eodem negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. 5. *quam ſpecialem oppoſitionem ampliando, ponendo repugnantiam loco generis, & cæteras*

parti-

particulas loco differentiæ, vt ex his dignoſcatur quid ſit oppoſitio, & quommodo diſtinguãtur oppoſita à non oppoſitis indicare curaui.

Dico ſecundo oppoſitionem in communi dupliciter ſpectari poſſe, vel latius, & ſic complectitur, quæcumque, quomodocumq; ſimul eſſe repugnant; vel preſſius, & ſic ad ſolas illas quattuor oppoſitorum ſpecies, quas hic S. P. explicat, nempè ad oppoſita Priuatiuè, Contrariè, Contradictoriè, & Relatiuè, ſe extendit. Differentia inter oppoſita preſſe, & oppoſita latè, hæc eſt, quod oppoſitum latè ſumptum eſt, quod ſub ſe diſparata omnia cohibet, atque indeterminatè, & abſque definita lege multis opponitur vt Leo v. g. opponitur omnibus alij rebus, quæ non ſunt Leo, oppoſitum verò preſſe dictum habet certam, & determi-

natam

natam repugnantiam, cum vno, cui tantum opponitur; Et propterea traditur, hæc quadrimembris diuiſio preſſe oppoſitorum, ſcilicet in Oppoſita Contrariè, Contradictoriè, priuatiuè, & relatiuè; quia vt explicat hic idem S. P. licet alijs verbis; vel oppoſitio eſt inter ens, & non ens: vel inter entia; Si primum vel eſt inter ens, & non ens ſimpliciter, & eſt contradictio; vel inter ens, & non ens in tali ſubiecto, ſeu ſecundum quid, & eſt oppoſitio priuatiua. Si ſecundum, vel eſt inter entia ſe mutuo expellentia, & eſt oppoſitio contraria, vel inter entia inuicem contrapoſita, & eſt oppoſitio relatiua; his poſitis deſcendendo ad particulares oppoſitiones.

Dico tertio oppoſita relatiuè eſſe ea, quæ hoc ipſo quod ſunt, aliorum ſunt, vel quomodolibet al-

ter

ter ad alterum. Oppoſita verò contrariè eſſe ea, quæ ſub eodem genere (ideſt proximo) maximè diſtant, & eidem ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellant; oportet autem aduertere vt notauit S.P. cap.9. de ad aliquid, quod relatiuorum, & oppoſitorum maximè contrariè eſt quædam affinitas, ita vt aliquando contingat vnum horum cum alio confundi ait enim ibi S. P. Eodem pacto poſſumus hanc Categoriam, & ab appoſitorum ſimilitudine ſeparare. Nam & oppoſita, quæ ἀντικείμενα Ariſtoteles vocat, quamdam huius Categoriæ ſimilitudinem reddunt. Siquidem calidum, & frigidum videntur tibi oppoſitionis ſocietate coniuncta. *Quapropter hæc regula ſeruanda, quod in eo diſtinguuntur relatiua à contrarijs,*

R *quia*

quod contraria, in eo quod ſunt contraria, nullo modo ad inuicem reciprocantur; Relatiua verò vice verſa in eo, in quo ſunt relatiua, adinuicem reciprocantur. Contraria communiter diuiduntur in ea, quæ ſunt immediata, & ea, quæ ſunt mediata; immediata ſunt, quando alterum eorum neceſsè eſt eſſe in ſubiecto, vt ſalus, & ægritudo. Mediata verò ſunt, quando medium quid datur inter duo extrema, & illud ſine extremis in ſubiecto eſſe poteſt, hæc mediata S. P. hic ponit eſſe in duplici differentia; alia ſunt mediata, quorum medium habet nomen proprium vt pallidum, aut fuſcum inter album, & nigrũ; alia, *ait S.P.*, quibus eſt quidem medium, ſed caret nomine, niſi huic oppoſitorum negatione formetur; ſunt hæc iuſtus, & iniuſtus, eſt aliquid

quid in medio; ſed non habet nomen, atque ideo vtriuſq; oppoſiti negatio ei vocabulum creat, vt nec iuſtum nec iniuſtum dicamus, id quod eſt medium, *quæ quidem differentia non eſt eſſentialis; ſed ſolum penes nomen optimè tamen obſeruata pro Logica vocali.*

Dico quarto; oppoſita priuatiuè ea eſſe, quorum vnum dicit negationem alterius in ſubiecto apto, quod & Philoſophus, & S.P. hic dicunt eſſe habitum, & priuationem circa idem. Priuatio communiter accipitur pro negatione in ſubiecto pro eo tempore, pro quo ſubiectum aptum eſt, habere formam, ſeu habitum; Quandoque ſtrictius, etiam & per ſe accipitur pro negatione formæ in ſubiecto apto nato eam habere ordine tamen irregreſſibili, in quo verum

eſt illud pronunciatum, à priuatione ad habitum non dari regreſſum, quod tamen habet multas limitationes à priuatione videlicet totali; niſi adſint eædem cauſæ; in ordine naturali &c.

Hic S. P. habet pulcherrimam obſeruationem tam pro concretis, & abſtractis, quam pro oppoſitis maximè priuatiuè, & contradictoriè, ait enim, Inter hæc meminiſſe nos conuenit, aliud eſſe viſionem, & cæcitatem, aliud habere viſionem, & ea eſſe priuatum; ne ſi hæc eadem eſſe iudicemus confundi ratio videatur. Quod quis hoc dubium putat, aut parum certum; quid quamque rem ſequatur aduertat. Etenim ſi eſſet idem cæcus, & cæcitas de vno vtraque dicerentur. Dicimus autem hominem cæcum, ſed homo dici cæcitas

citas non poteſt. Claret igitur aliud cæcum eſſe, aliud cæcitatem. Nec affirmatio, & negatio idem eſt, quod ſunt ſub affirmatione negationeque cadentia. Affirmatio enim, ſiue negatio eſt verbum confirmans aliquid, aut negans: Alia verò ſunt, quæ ſub his inueniuntur. *Conſequenter ad hanc doctrinam alias ſæpe dixi aliud eſſe, terminos eſſe contradicentes, & aliud eſſe, contradictorios; nam ad hoc vt ſint contradicentes, ſufficit vt ſint affirmatio, & negatio eiuſdem formæ: Vt verò ſint contradictorij requiritur vt ſint affirmatio, & negatio eiuſdem de eadem re pro eodem loco, & tempore, & omninò ſub eadem ratione, quod etiam obſeruat hic S. P. ab illis verbis.* Nunc ea oppoſita, quæ per habitum, priuationemq; fiunt &c.

vt legenti Textum patebit. Et ſic in Diuinis Generare reſpectum Patris, & non Generare reſpectum eſſentiæ non ſunt termini contradictorij eſto reſpectu eiuſdem rei cum non ſint ſecundum eamdem omnino rationem ſed de his alias.

Dico quinto oppoſita contradictoriè ea communiter dici, quæ tamquam affirmatio, & negatio apponuntur, quod explicat S. P. illis verbis. Quarto illorum in quibus eſt negatio, & affirmatio, ſicut currit, non currit. *ad quam oppoſitionem requiruntur conditiones ſupradictæ, vt ſcilicet ſint affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem ſecundum eamdem omninò rationem, ſecundum idem tempus, & eodem loco. Hæc oppoſita diſtinguuntur à relatiuis, ſicut & oppoſita priuatiuè, tum*

quia

quia non dicuntur ad conuertentiam, tum quia non ſunt extrema realia poſitiua, qualia ad veram, & realem oppoſitionem relatiuam neceſſario requiruntur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

DE PRIORI, ET SIMVL.

CAPVT QVINTVM DECIMVM.

TEXTVS.

QVinque modis aliud altero prius dicitur: quorum primus eſt, cum dicimus aliquẽ tempore ſeniorem. Secundus modus eſt, in quo aliquid naſcitur ex priore: ſed priore pereunte, ſecundum perit: ſecundo pereunte, prius incolume perſeuerat, vt eſt vnum naturaliter *Cap. xix. De priori.*

R 4 liter

liter prius duobus: ex eo enim naſcuntur duo,ſed ſine vno duo eſſe non poſſunt, ſine duobus ſtatus vnius manet: & duobus extantibus, eſſe vnum neceſſe eſt, vno verò apparente duo eſſe nulla neceſſitas cogit. Tertio modo ordo quidam prius alterum alteri facit, vt in diſciplinis,& artibus liberalib. inuenimus: nanque in Grammatica prius eſt ſingularum diſcere formas, & nomina literarum, dehinc ſyllabarum coniunctiones cognoſcere, tum verborum ſumere notionem. Poſtremus nobis eſt orationis vſus aſſumendus, propter quem cuncta eius quaſi præcurrentia membra cognoſcimus. Et in Rhetorica prioris locus ſimiliter collocatur: nam prius prœmium dicitur, dehinc narratio, poſt depulſio,

pulſio, tunc confirmatio, poſtremus epilogus ponitur. His igitur exemplis tertium prioris modum ſufficiat demõſtraſſe. Quartus verò modus eſt non multum probabilis, & ab ipſo Ariſtotele improbatus exponitur, vt cum fortuna meliores, vel clariores, priores vulgus adſolet dicere. Sed mea ſententia, vis huius prioris exploſa eſt. Hi ſunt quattuor eius, quod prius dicitur, modi: ſed occultior quidam quintus adiungitur, quoties ex duobus, quæ in ſe inuicem conuertuntur, illud eſt potius, quod eſſe alterum facit: vt exempli gratia: ſi eſt homo, rectè dicimus eum animal rationale, mortale, riſus capax. Et ſi vera eſt hominis iſta definitio, eſſe hominem verum eſt. Ita vtrunque in ſe conuertitur,

hoc eſt, & hominis veram eſſe definitionem, & definitionis hominem verum. Sed quoniam definitio vera eſſe non poterat, niſi prius natura hominis appareret, idcircò ex his duobus, quæ in ſemet conuerti diximus, homo prioris locum tenet, cuius extantia definitionis ſuæ exprimit veritatem.

Cap. xx. De ſimul. Sequitur vt proprietatem verbi quo ſimul eſſe quædam dicimus exprimamus. Ratio enim videtur exigere, vt poſt prioris tractatum de his diſputetur; quæ ſimul eſſe firmantur. Simul ergo dicuntur tribus modis: cum quælibet ſimul exiſtunt vno tempore, vel apparent; ita vt neutrum de duobus vel prius ſit, vel alterum conſequatur, ſed vtriuſque ortus videatur eſſe communis, ſicut calor, &

& ſplendor in ſole. Secundus locus eſt eorum, quæ naturaliter ſimul ſunt, nullum tamen eorum præſtat alteri: vt verbi gratia, ſi ſimplum, & duplum ponamus: neceſſe eſt ſimul eſſe naturaliter, ſed neque duplum facit vt ſimplum ſit, neque ſimplum efficit duplum. Hoc loco nos confundere non oportet, ne quoniam cum de adaliquid dictis tractaremus, id eſſe adaliquid diximus, quod penderet ex altero, videamur nunc contrà ſuperius definita tractare. Omnia nanque ad aliquid dicta, dici ex altero, non eſſe ex altero diſputauimus: nec vllus error eſt, ſi quis verborum noſtrorum pondera diligentius perſcrutetur. Tertius locus eſt, quoties ex eodem genere manantia ſimul videntur eſſe na-

tura , ſed ſpecie diſcernuntur : neque verò in eo quod dicuntur ad aliquid, ſibi præſtant aliquid, vt eſt animal, idem genus eſt , ſed ſpecies longè diſcreta . Nec verò aut aquatile quicquã pedeſtri tribuit,vt ſit, aut volatili pedeſtre , aut omnino aliud alteri,in eo quod eſt,vllam ſubſtantiam ſubminiſtrant , nullumque alteri aliud prius eſt, ſed ſimul omnia ab animali , id eſt ab vno genere orta naſcuntur .

SCHOLIVM.

Ecipit primo hic S. P. quinque modos , quibus à Philoſopho dictum eſt aliud altero prius 1 Prius ſcilicet tempore . 2 Prius exiſtendi conſequentia; ideſt cum ab exiſtentia vnius , infertur exiſtentia alterius , & non e contra;

tra 3 *Prius ordine, ordine cognitionis, ideſt quod ſecundum Methodum exigit prȩcognoſci ante alia* 4 *Prius dignitate.* 5 *Prius alio, cum quo reciprocatur exiſtendi conſequentia, eſt tamen alterius cauſa vt ſit.*

Recipit ſecundo tres modos, quibus aliquid dicitur eſſe ſimul cum alio, ideſt, 1 *ſimul tempore* 2 *ſimul natura nullum tamen eorum præſtat eſſe alteri vt duplum, & ſimplum, quæ ſunt, ſimul, ſed neutrum facit alterum eſſe* 3 *ſimul vocatur modo in Scholis diuiſione, vt ſunt ſpecies, quæ diuidunt genus qui modus deſcribitur à S. P.* Quoties ex eodem genere manantia ſimul videntur eſſe natura, ſed ſpecie diſcernuntur. *Hæc adeò ſunt clara in ipſo Textu, vt non indigeant pro modo vlteriori explicatione.*

De

DE MOTV

CAPVT SEXTVM DECIMVM.

TEXTVS.

Cap xxi De motu.

ONnis immutatio, quæ μεταβολη Græcè eſt, fit tribus modis: aut ex non ſubiecto in ſubiectum, vt eſt ortus vel natiuitas, quam Græci γενεσιν vocant: aut ex ſubiecto in non ſubiectum, vt eſt interitus vel corruptio, quam φθοραν Græci dixerunt: aut ex ſubiecto in ſubiectum, vt eſt motus, qui Græcè κινησισ dicitur. Sed & ipſe motus tres ſpecies habet, id eſt, incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis ſiue loci. Hæc à Græcis αυξησισ, μειωσισ, αλλοιωσισ, ſiue φορα dicta ſunt. Nanque com-

commutationem circa locum, φοραν dici voluerunt, quam nos quoque tranſgreſſionem maluimus dicere, ſecuti doctores. Verum hunc ordinem, quem nos in præſenti quaſi diſcrepantes ab eo libro qui categoriarum dicitur, diligenti examinatione digeſſimus, ipſe quoque Ariſtoteles in naturalium libris expoſuit: in categorijs autem ſecutus docendi compendium, ſpeciem pro genere, id eſt motum pro immutatione non dubitauit aſſumere: vt motui diceret quaſi generi ſex ſpecies eſſe ſubiectas, γενεσιν, φθοραν, αιξησιν, μειωσιν, αλλοιωσιν ποιοτητοσ, κτι τον τοπον μεταβολιν. Hæc nos Latino ſermone ortũ diximus, interitum, augmentum, imminutionem, commutationẽ qualitatis, tranſgreſſionem loci. Hæ

ſex

ſex ſpecies omni à ſe ratione diſcreræ ſunt: niſi fortè cuiquã parum doctè intelligenti, qualitatis commutatio, id eſt ἀλλοίωσις, etiam cæteris exiſtentibus fieri videatur, vt cum naſcitur aliquid, aut interit, aut creſcit, aut minuitur, tunc facta dicatur etiam commutatio. Sed id falſum ratio docet: nam quæ creſcunt aut minuuntur, quantitate immutantur, non commutantur qualitate. Commutatio enim propriè eſt qualitatis. Meminiſſe autem nos oportet, aliud eſſe immutationem, aliud commutationem. Nanq; immutatio genus eſt, commutatio ſpecies ſubiecta motui, quam immutationis ſpeciem diximus. Denique vt horum ſit manifeſta diſcretio, geometricum ponamus exemplum. Si tetra-

tetragonum maius, quod intra depictum eſt, currentibus per medium lineis in breuia tetragona partiaris, eiq; poſt vnum breue tetragonum detrahas, minuiſti tetragonum maius: atſi de tracti loco addas gnomonem, qui hemicycli ſpecie ponitur, plus tetragono maiori quã detraxeras reddidiſti: idque quantitatis eſt non qualitatis, & immutationi potius quàm commutationi tribuitur, eòque à ſe plurimum differunt. Fit autem differentia rerum omnium tribus modis: aut materia, aut opere, aut vtroque. Materia, ſi ſint annulli ſimiles duo, vnuſq; ſit aureus, alter argenteus: opere, ſi ex auro diſſimiles annuli fabricentur: vtroque, ſi annulus ſit aureus, & ſtylus argenteus. Claret igitur has immutationis

ſpe-

ſpecies nec materia ſibi, nec opere, nec vtroque coniungi: adeo autem ſeiunctę ſunt, vt earum nonnullæ etiam ſibi contraire videantur. Quis enim dubitet γενέσει φθοράν, id eſt ortui interitum eſſe contrarium, augmento imminutionem? Ipſa quoque commutatio ſiue qualitatis ſiue loci, licet non ex eodem ſpecierum numero, tamen habent, quod ſibi contrarium videatur. Nam commutatio qualitatis eſt, cum ex albo fit aliquid nigrum, vel album de nigro, quæ ſibi manifeſtè contraria ſunt. Loci quoque commutatio, quam tranſgreſſionem diximus, ſuperiorum, & inferiorum contrarietatem patitur, & propterea eam quoque habere contraria apparet.

SCHO-

SCHOLIVM.

Recipit etiam hic S. P. Species motus à Philoſopho aſſignatas, & eas explicat ponendo pro Genere Immutationem; illæ verò ſunt; Generatio 2 corruptio, 3 Augmentum, 4 Diminutio, 5 Alteratio, 6 Secundum locum mutatio. Quæ quia fuſius erunt examinandæ in Philoſophia naturali, cum Philoſopho vt obſeruat etiam S. P. N. hic, cum dicit. Verum hunc ordinem, quem nos in præſenti quaſi diſcrepantes ab eo libro, qui Categoriarum dicitur, diligenti examinatione digeſſimus, ipſe quoque Ariſtoteles in naturalium libris exponit: *ideo ab illarum diligenti examinatione hic ſuperſedeo. Eſt digna ponderatione illa obſeruatio*

circa

circa voces, nempè quod ad tollendam æquiuocationem, pro eo quod quandoque pro Genere ſolet poni motus, vel mutatio, & deinde quandoque etiam iſtæ voces aſſumuntur pro ſpecie; ad ſignificandum genus poteſt poni immutatio; ad ſignificandam verò mutationem circa qualitates poteſt poni commutatio. Verum modo poſſunt etiam iſta explicari, & tolli confuſio vel nominibus proprijs eorum ſupra aſſignatis, vel cum aliquo addito vt motus ad locum, motus ad quantitatem &c.

Non facit hic mentionem S. P. de modis habere, de quibus agit hic Philoſophus, eo quod iam ſupra eos recenſuerit, & explicauerit in cap. 16. de habere; ad conſtituendum quod nam habere categoriam illam componeret, ij autem, modi quos Philoſophis enumerat

nerat in hoc loco ſunt ſeptem. Primus, habere qualitatem. Secundus, habere quantitatem. Tertius eſt, habere quæ circumſtant corpus, vt veſtem. Quartus eſt habere aliquid non in toto corpore, ſed in aliqua parte eius vt annulum, vel Pileum. Quintus, eſt habere partem ipſam corporis vt caput, manum &c. Sextus, quando vnum corpus habet aliud tamquam continens; vt amphora dicitur habere vinum. Septimus habendi modus eſt, per modum poſſeſſionis, vt vir dicitur habere vxorem, & vxor virum, hunc tamen modum rectè improprijſſimū appellauit Philoſophus, hæc ita clarè, & dilucidè explanata ſunt & à S. P., & a Philoſopho locis prædictis vt vlteriori hic non egeant explicatione.

CON-

CONCLVSIO.

TEXTVS.

Caput xxii. Conclu-ſio Operis.

HÆc ſunt, fili chariſſime, quæ iugi labore aſsecuti, cum nobis Themiſtij noſtra memoria egregij philoſophi magiſterium non deeſset, ad vtilitatem tuam de Grçco in Latinum conuertimus, ſcilicet vt ex ijs quoque bonam frugem ſtudij à nobis profecti ſuſcipias, ſi te non diſſimilem noſtri, aliarum rerum, quæ lubricæ atq; inanes ſunt, cupiditas retentauerit. Nihil namq; omiſimus in hoc Libro, quod poſſet aut delectare iam doctos, aut indoctos manifeſtius erudire.

De hac Concl. ſatis in præludio ad has Categorias.

PRÆ-

PRÆLVDIVM.

Ad ea, quæ ſpectant ad ſecundam mentis Operationem.

Poſtquam Philoſophus ſimplicium terminorum genera, & proprietates in libro prædicamentorum explicuit, & ordinatim digeſſit, ad primam terminorum compoſitionem gradum fecit; ex qua compoſitione cum quandoq; reſultet Enunciatio; in qua vt in propria ſede manifeſtatur veritas, aut falſitas, formalis; factum eſt vt duorum librorum de interpretatione ſubiectum ipſam enunciationem conſtituat; quod & ipſa inſcriptio indicare videtur; quę eſt περι ερμεινειασ

quod

Subiectum huius partis Logicę eſt enũciatio.

quod verbum ſonat interpretationem, quam omnes enunciationem interpretantur; hac enim vtimur tamquam interprete internarum animæ notiorum. Dixi eſſe duos libros ſequens S. Seuerini Boetij diuiſionem, quam ſequuti ſunt ferè omne Latini interpretes. Græci enim vnicum agnoſcunt librum, quem in ſex partes diuidunt; vt videre eſt apud S. Th. initio ſui egregij tractatus; quem ſenex in hunc librum conſcripſit; Et certè merito celebrabat S. P. N. in lib. decem Categoriarum cap. p. Philoſophi diligentiam; qui diſſerendi de omnibus cupidus, ab illius partis capit examine, quam ſciret prætermiſſam à cunctis, & omnibus neceſſariam. Nam ſicut examen diligens de prædicamentis, ſic tractatus, exacti de enunciatione fuerunt

runt à Philòſophis prædeceſſoribus Ariſtotelis ommiſſa; quorum ignorantia in aſſequenda veritate quantum officere poſſit, nemo eſt qui ignoret. Horum librorum de Interpretatione Auctorem fuiſſe Ariſtotelem communi Philoſophorum calculo decretum fuit, neque enim propter leues coniecturas in controuerſiam hoc reuocandum eſt, cum & ipſa dicendi grauitas, & ſeuerum orationis genus Peripateticorum Principem prodant Auctorem.

Tria communiter occaſione huius Tractatus, & ordine Naturæ, & ordine doctrinæ expoſcente tractare ſolent interpretes. Primum eſt omne id, quod ſpectat ad enunciationem, vt eius pars nempè Nomen, & Verbum. Secundum eſt id quod ſpectat ad Naturam, & ſpecies enunciationis.

Tertium quod ſpectat ad eius proprietates. De his non habemus prolixam, neque ex Inſtituto Tractationem apud S.P.N., vt habemus de prædicamentis; fortaſſe ex eo capite, quod ea difficillima eſſent ad captum; hæc verò ſola voce explicari poſſent; Non ommiſit tamen quando, & vbi opus erat, hæc attingere; & maximè in libro de Principijs Dialecticæ plura tradidit, quæ ad hunc locum ſpectant, & huc referri poſſunt; à primo capite vſq; ad octauum excluſiuè, quod cum duobus ſequentibus ad eum locum videtur ſpectare; vbi cum Philoſopho agitur de Sophiſmatibus. illa igitur huc transfero integra, ſicut feci de Categorijs, eſto in illis ſint aliqua ad Rhetores ſpectantia; ne cogatur Lector adire primum tomum S. P. vndè iſta deſumpta ſunt;

ſunt; ea enim quæ ſunt alieni inſtituti ad vberiorem eruditionem, & ornatum inſeruient.

Verum, quia ſigna, ſeu notas Enunciationis Mentalis Philoſophus dicit eſſe voces, & ſcripta; antequam de ijsdem diſſerere aggrediar, prius Naturam ſigni in communi breuiter aperire operæ pretium erit, vt morem geramus communi Scholæ conſuetudini, quæ de ſignis hic agere conſueuit. depromendo igitur ea ipſa S. P. in libris de Doctrina Christiana tradidit circa ſigna ſit.

✠

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

TEXTVS.

Ex lib. p. de Do-ctr. Chr ibid. ex lib. 2.

OMnis doctrina vel rerum eſt, vel ſignorum; ſed res per ſigna diſcuntur, propriè autem res appellaui, quæ non ad ſignificandum aliquid adhibentur, vt lignum, lapis &c. ſunt autem Alia ſigna, quorum omnis vſus in ſignificando eſt. b De his

b *ex ca.* 1.

differens dico tibi: ne quis in eis attendat quod ſunt, ſed potius quod ſigna ſunt, ideſt quod ſignificant. Signum eſt enim res ſpeciem quam ingerit ſenſibus faciens ex ſe aliquid aliud in cogitationẽ venire: ſicut veſtigio viſo tranſiſſe animal cogitamus.

Signo-

Signorum igitur alia ſunt naturalia, & alia data: Naturalia ſunt quæ ſine voluntate, atque vllo appetitu ſignificandi præter ſe aliquid aliud ex ſe cognoſci faciunt, ſicuti eſt fumus ſignificans ignem; non enim volens ſignificare id facit, ſed rerum expertarum animaduerſione, & notatione cognoſcitur ignem ſubeſſe; ſed de hoc toto genere diſſerere non eſt propoſitum. Quoniam tamen incidit in partitionem noſtrã prçteriri omninò non potuit. c Data verò ſigna ſunt, quæ ſibi quæque viuentia inuicem dant ad demonſtrandum quantum poſſunt motus animi ſui, vel ſenſa, aut intellecta quæ libet. Nec vlla cauſa eſt nobis ſignificandi, ideſt ſigna dandi, niſi ad depromẽdũ, & traijciendum in alterius ani-

c *ibidem c. 2.*

mum id, quod in animo gerit is qui ſignum dat. Horum igitur ſignorum genus; quantum ad homines attinet conſiderare atque tractare ſtatuimus, quia & ſigna diuinitus data, quæ in ſcripturis ſacris continentur, per homines nobis indicata ſunt, qui ea conſcripſerunt, habent etiam inter ſe beſtiæ quædam ſigna, quibus producunt appetitum animi ſui; quam partem ab hoc opere tamquam non neceſſariam remouemus. d Signorum igitur, quibus inter ſe homines ſua ſenſa communicant, quædam pertinent ad oculorum ſenſum, pleraque ad aurium, pauciſſima ad cæteros ſenſus; ſed innumerabilis multitudo ſignorum. quibus ſuas cogitationes homines exerunt in verbis conſtituta eſt, nam ſi-

d *ibid.* c. 3.

gna

gna omnia potui verbis enunciare, verba verò illis ſignis nullo modo poſſum.

Sed quia verberato aere ſtatim tranſeunt, nec diutius manent, quæ ſonant inſtituta ſunt per litteras ſigna verborum, ita voces oculis oſtenduntur non per ſe ipſas, ſed per ſigna quædam ſua. Iſta ſigna non potuerunt communia eſſe omnibus gentibus peccato quodam diſſenſionis humanæ cum ad ſe quiſque principatum rapit. e *ibid. c. 4.*

SCHOLIVM.

Theorema illud S.P. Omnis doctrina vel eſt rerum, vel ſignorum, *apertè indicat quam neceſſario de ſignis agatur in Logica; Cum enim hæc doctrina facem præferat omnibus alijs*

ſcientijs, per conſequens, ſi omnis Doctrina eſt vel rerum, vel ſignorum; poſtquam egit de rebus in Categorÿs, de ſignis tractare debebat propterea.

Dico primo rectè a S. P. fuiſſe definitum ſignum inſtrumentale, quod ſit res, præter ſpeciem quā ingerit ſenſibus, faciens ex ſe aliquid aliud in cogitationem venire. *definiuit enim hic ſignum illud, quod magis vſitate ſignum nuncupatur, & quo frequentius vtuntur homines, nempè ſenſibile. Quod ſi velis ampliare definitionem, vt comprehendat ea omnia, quæ ſigni nuncupationem, & rationem ſortiuntur, poteſt ex prædicta elicere hāc aliam; quæ etiam cōmuniter circumfertur in Scholis, ſignum eſt, quod aliquid repræſentat potentiæ cognoſcenti; ſeu facit vt aliquid cognoſcatur; Quæ defini-*

Definitio ſigni ex S. P. N.

definitio, & ſignis naturalibus, & ad placitum, & ſignis formalibus, & inſtrumentalibus, & ſenſibilibus, & ſpiritualibus accommodari poteſt vt conſideranti patebit.

Dico ſecundo ex illis particulis, faciens ex ſe aliquid aliud in cogitationem venire, oriri difficultatem; an ſit aliqua res, quæ poſſit ſeipſam immediatè, ac per ſe ſignificare. Cui communiter ℞. negatiuè, nam ſignum de ſua ratione eſt mēdium quid inter rem, & potentiam cui ſignificat, & conſequenter ab vtroque differre debet, & ideō ly aliquid aliud neceſſario eſt accipiendum, vt importans diuerſitatem aliquam ſignificati à ſigno. Vndè eſto D. eſſentia per ſe immediatè, & ſine interuentu ſpeciei impreſſæ concurrat cum intellectu Bati ad ſui viſionem, non dicitur tamen ſi- *Nulla res ſignificat ſe ipſam immediatè.*

gnum ſui ipſius; & pariter Angelus, in ſententia eorum qui tenent eum cognoſcere ſeipſum immediatè per ſuam ſubſtantiam; non dicitur ſignum reſpectu ſui, & illius cognitionis.

Dico tertio inter multas ſignorum diuiſiones duas eſſe celebriores; Vnam qua partiuntur in naturalia, & ad placitum: cuius meminit etiam S. P. quando ait Signorum alia ſunt naturalia, & alia data. per ly data intelligens ſigna ad placitum. Alteram verò qua diuiduntur in formalia, & inſtrumentalia; huius mentionem expreſſum non inuenio apud S. P.; ea fortè de cauſa, quod arbitratus eſt hanc contineri in illa. Sunt verò ſigna naturalia ea, quæ apud omnes idem ſignificant; ſeu quæ ſuapte natura vim habent ſignificandi aliquid: ſigna verò data, ſeu

Diuiſio ſignorum.

ſeu vt vocant ex inſtituto, vel ad placitum, quæ ex hominum arbitria, & voluntate habent ſignificandi poteſtatem. Quas explicationes dat etiam S. P. illis verbis. Naturalia ſunt, quæ ſine voluntate, atque vllo appetittu ſignificandi præter ſe aliquid aliud ex ſe cognoſci faciunt ſicuti fumus &c. Data verò ſunt, quæ ſibi quæq; viuentia dant ad demonſtrandum quantum poſſunt animi ſui, vel ſenſa, vel intellecta. *Poſſet etiam dici quod S. P. per ſigna naturalia intellexit ea, quæ proueniunt ex rerum naturis nullo prauio appetitu, vel ſenſitiuo vel rationali ſignificandi per data verò intellexit ea, quæ proueniunt ex appetitu ſaltem ſenſitiuo ſignificandi. Signa formalia communiter definiuntur, quæ per ſuummet eſſe reddunt po-*

tentiam formaliter cognoſcentem; vt ſunt imagines, & ſpecies rerum, quæ potentijs impreſſæ, eo quod illas informant ſeipſis ducunt in rerum notitiam, & ideò formalia nuncupantur. Inſtrumentalia verò, quæ in re cognita efficiunt alterius rei cognitionem; ſeu quæ faciunt aliquid à ſe diſtinctum, ratione cuius reddunt potentiam cognoſcentem vt ſunt voces impoſitæ ad ſignificandum, quæ præter cognitionem ſui quam ingerunt, faciunt etiam venire in cognitionem rerum, ad quas ſignificandas ſunt impoſitæ.

Alia diuiſio ſignorum.

Alia ſignorum diuiſio circumfertur ex D. Th., qua ſigna diuiduntur in practica, & ſpeculatiua; illa S. D. efficacia appellat, eo quod non modo ſignificent rem; ſed etiam eam cauſent, hæc verò ſunt illa, quæ rem tantummodo indi-

indicant. Hic aliqui dubitant an cauſæ, quas inter ſigna practica referunt Thom., re vera rectè in numerum ſignorum reponantur. Negant aliqui, ſi ſermo ſit de cauſis phyſicis, & ad ſummum concedunt de cauſis moralibus; vel de iis, quæ aſſumuntur ab alio ad cauſandum, cum id ex natura ſua non exigunt. Verum non video, cur non etiam cauſis phyſicis id poſſit competere, & cur ignis applicatus faciens venire in cognitionem combuſtionis, non ſit appellandus ſignum, cum ei competant ea omnia, quæ ad rationem ſigni exigi ſupra dictum eſt. Solet etiam diuidi ſignum in rememoratiuum, quod eſt præteritorum, demonſtratiuum, quod eſt præſentium, & prognoſticum, quod eſt futurorum ſed de his vbi de Sacramentis.

Dico quarto, ſigna ad placitum conſtitui primo in ſuo eſſe per actum voluntatis illius, qui primo vſus eſt tali ſigno ad talem rem ſignificandam; qui actus licet phyſicè tranſeat, moraliter tamen remanet, nam præſtat eoſdem effectus, ac ſi phyſice permaneret. In actu verò ſecundo conſiſtere in eo quod actu per tale ſignum exprimatur, ac percipiatur talis res; Ad rationes igitur Actualis ſigni ad placitum, ſeu in actu exercito vt loquitur tria hæc requiruntur, ſine quibus nec eſſe, nec intelligi poteſt; ille qui intendit ſignificare; res ſignificata; & ille cui ſignificatur, quæ indicauit S. P. illis verbis D. Signorum igitur quibus homines inter ſe ſua ſenſa communicant &c.

Quid conſtituantur ſigna ad placitum.

Petes hic an ſignum ad placitum ſignificare poſſit rem alicui per-

perfectius quam ab imponente percipiatur ℞., quod ſi loquamur de ſigno ſecundum quod eſt formaliter ſignum, negatiua pars eſt verior, eo quod de ratione eius eſt, vt ſit tale quod ſignificet alteri illud, quod ab altero intenditur, & exprimitur, ſi vero ſpectemus ſignum materialiter, dicendum eſt ſignum poſſe cauſare perfectiorem cognitionem in potentia illius, cui ſignificatur, quã ſit in intellectu ſignificantis; nam profecto Philoſophus audita hac voce homo perfectiorem format conceptum de homine, quam eam proferens ignorans eſſentiam, & proprietates hominis. Nunc quia ea, quæ hucuſque dicta ſunt de ſignis in gratiam ſignificationis vocum dicta ſunt; ideò de earum ſignificatione aliquid dicendum eſt, ſed quia de hac materia cum plu-

Signum ad placitum formaliter nulli perfectius ſignificam quam imponenti.

pluribus alijs rebus ſpectantibus ad hunc locum de Enunciatione tractat S. P. in lib. Principiorum Dialecticæ, ideò prius audiendum eſt quid ipſe dicat de ijs, poſtmodum breuiter indicabo quid conſequatur ad eius intentum.

COROLLARIVM.

EX dictis habetur primo rectè fuiſſe definitum ſignum à S. P., quod ſit res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus faciens ex ſe aliquid aliud in cogitationem venire 2 Non poſſe propriè loquendo aliquid ſignificare ſeipſum 3 rectè fuiſſe diuiſa ſigna etiam à S. P. in naturalia, & ad placitum; ac etiam in formalia, & inſtrumentalia ab alijs in practica, & ſpeculatiua 4 Signa ad placitum conſtitui primo in ſuo eſſe

per

per actum voluntatis primo imponentis. 5 Signum ad placitum ſecundum quod eſt formaliter ſignũ non ſignificare perfectius alteri rem, quam imponenti.

DE PRINCIPIIS DIALECTICÆ

Seu de Verbis tam Simplicibus quam coniunctis.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

TEXTVS.

Dialectica eſt bene diſputandi ſcientia. Diſputamus autem verbis. Verba igitur aut ſimplicia ſunt, aut coniuncta. Simplicia ſunt, quæ vnum quiddam ſignificant: vt cum dicimus homo, equus, diſputat, currit. Nec mireris *Cap. 1. De ſimplicibus verbis.*

reris

reris quod diſputat, quamuis ex duobus compoſitum ſit, tamen inter ſimplicia numeratum eſt. Nam res definitione illuſtratur. Dictum eſt autem id eſſe ſimplex, quod vnum quiddam ſignificat. Itaque hoc includimus hac definitione, quod non includimus cum dicimus loquor: Quamuis enim vnum verbum ſit, non habet tamen ſimplicem ſignificationem, ſiquidem ſignificat etiam perſonam, quæ loquitur. Ideo iam obnoxium eſt veritati aut falſitati, nam & negari, & affirmari poteſt. Omnis itaque prima, & ſecunda perſona verbi quamuis ſingillatim contineatur, tamen inter coniuncta verba numerabitur, quæ ſimplicem non habent ſignificationem. Siquidem quiſquis dicat, ambulo, & ambula-

bulationem facit intelligi,& ſeipſum qui ambulat. Et quiſquis dicit, ambulas: ſimiliter, & rem quæ fit, & eum qui facit, ſignificat. At verò qui dicit, ambulat: nihil aliud quàm ipſam ſignificat ambulationem. Quamobrem tertia perſona verbi, ſemper inter ſimplicia numerabitur: & nondum aut affirmari aut negari poteſt, niſi talia verba ſint quibus, neceſſariò cohæret perſonę ſignificatio conſuetudine loquendi, vt cum dicimus, pluit aut ningit, etiam ſi non addatur quis pluat aut ningat,tamen quia intelligitur,non poteſt inter ſimplicia numerari.

Coniuncta verba ſunt, quæ ſibi connexa res plures ſignificant,vt cum dicimus,homo ambulat, aut homo feſtinans in montem ambulat, & ſi quid tale. *Cap. 11. Verba coniuncta.*

le. Sed coniunctorum verborum alia ſunt, quæ ſententiam comprehendunt, vt ea, quæ dicta ſunt: alia, quæ non comprehendunt, ſed expectant aliquid. Vt eadem ipſa, quæ diximus, ſi ſubtrahas verbum. quod poſitum eſt, ambulat, quamuis verba coniuncta ſunt, homo feſtinans in montem: tamen adhuc pendet oratio. Separatis igitur his verbis, quæ non impletam ſententiam comprehendũt, horum item duæ ſpecies ſunt. Aut enim ſic ſententia comprehenditur, vt verò aut falſo teneatur obnoxia, vt eſt, omnis homo ambulat: aut, omnis homo non ambulat: & ſi quid huiuſmodi. Aut ſic impletur ſententia, vt licet perficiat propoſitum animi, affirmari negarive non poſſit: vt cum imperamus, cum optamus,

tamus, cum execramur, & his ſimilia. Nam ſi quis dicat, perge ad villam, aut, dij illum perdant: non poteſt argui, quod mentiatur, aut credi quod verum dicat. Nihil enim affirmauit vel negauit: ergo nec tales ſententiæ in quæſtionem veniunt aut diſputatorem requirunt.

Sed illæ, quæ requiruntur, aut ſimplices ſunt, aut coniunctæ. Simplices ſunt, quæ ſine vlla copulatione ſententiæ alterius enunciantur: vt eſt illud quod dicimus, omnis homo ambulat. Coniunctæ ſunt de quarum copulatione iudicatur, vt eſt, ſi ambulat, mouetur. Sed cum de coniunctione ſententiarum iudicium fit, tamdiu eſt donec perueniatur ad ſummã. Summa autem eſt quæ conficitur *Cap. iii. Quę ſimplices ſententia, quæ coniunctæ.*

tur

tur ex confeſſis. Quod dico tale eſt, Qui dicit: Si ambulat, mouetur: probare vult aliquid, vt hoc conceſſo, verum eſſe reſtet illi dicere, quod ambulet. Et ſumma conſequitur, quæ iam negari non poteſt, id eſt, quod mouetur: quem item non poteſt concedi, id eſt, quod non ambulet. Rurſus ſi hoc modo velit dicere, homo iſte ambulat: ſimplex ſententia eſt. Quam ſi conceſſero, & aliam, quæ aliquid expectat ad completionem ſententię ſententiam comprehendit, adiunxerit, aliam, quiſquis autem ambulat, mouetur. Et hanc etiam ſi conceſſero, ex hac iunctione ſententiarum, quamuis ſingillatim enunciatarum, & conceſſarum, illa ſumma ſequitur, quæ iam neceſſario concedatur, id eſt,

igitur

igitur homo iſte mouetur.

His igitur breuiter conſtitutis, ſingulas partes conſideremus. Nam ſunt primæ duæ, vna de ijs, quæ ſimpliciter dicuntur, vbi eſt quaſi materia dialecticæ, altera de ijs, quæ coniuncta dicuntur, vbi iam quaſi opus apparet. Quæ de ſimplicibus vocatur de loquendo. Illa verò quæ de coniunctis eſt, in tres partes diuiditur. Separata enim coniunctione verborum, quæ non implet ſententiam, illa quæ ſic implet ſententiam, vt nondum faciat quæſtionem vel diſputatorem requirat: vocatur de eloquendo. Illa verò, quæ ſic implet ſenſum, vt de ſententijs ſimplicibus radicetur: vocatur de proloquendo. Illa, quæ ſic comprehendit ſententiam, vt de ipſa etiam copulatione iudicetur *Cap. iv. Coniunctas ſententias ſubdiuidit.*

cetur

cetur donec perueniatur ad ſummam: vocatur de proloquiorum ſumma. Has ergo ſingulas partes diligentius explicemus.

Cap. 7. Quomodo de rebus, verbis, dicibilibus, dictionibus, tractetur in logica.

Verbum eſt vniuſcuiuſq; rei ſignum quod ab audiente poſſit intelligi, à loquente prolatum. Res eſt quicquid intelligitur vel ſentitur vel latet. [Sciuntur enim corporalia, intelliguntur ſpiritalia: latet verò ipſe Deus & informis materia. Deus eſt quod neque corpus eſt neque animal eſt, neq; ſenſus eſt, neq; intellectus eſt, ne quæ aliquid quod excogitari poteſt. Informis materia eſt mutabilitas mutabilium rerum, capax omnium formarum.] Signũ eſt, & quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit. Loqui eſt articulata voce ſignum dare.

Arti-

Articulata autem dico quod comprehēdi literis poteſt. Hæc autem omnia, quæ definita ſunt vtrum rectè definita ſint, & vtrum hactenus verba definitionis alijs definitionibus proſequenda fuerint, ille iudicabit locus in quo definiendi diſciplina tractatur. Nunc quod inſtat accipe intentus. Omne verbum ſonat. Cum enim eſt in ſcripto, non verbum, ſed verbi ſignum eſt. Quippe inſpectis à legente literis, occurrit animo quod voce prorumpat. Quid enim aliud litterę ſcriptę quàm ſeipſas oculis, & præter ſe animo voces oſtendunt? Quia & paulo ante diximus, ſignum eſſe quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe animo aliquid oſtendit: quæ legimus igitur, non verba ſunt, ſed ſigna verborum. Sed vt ip-

ſa litera, cum ſit pars minima vocis articulatæ, abutimur tamen hoc vocabulo,vt appellemus literam, etiam cum ſcriptam videmus, quamuis omnino tacita ſit, neque vlla pars vocis, ſed ſignum partis vocis appareat: ita etiam verbum appellatur cum ſcriptum eſt, quamuis verbi ſignum ſignificantis voces non eluceat. Ergo, vt cœperam dicere, omne verbum ſonat. Sed quod ſonat, nihil ad dialecticam. De ſono enim verbi agitur,cum quæritur vel animaduertitur, quanta vocalium vel diſpoſitione leniatur, vel concurſione dehiſcat.Item conſonantium vel interpoſitione nodetur, vel congeſtione aſperetur, & quot vel qualibus ſyllabis cōſtet,vbi poeticus rhythmus accentuſq; à grammaticis ſola-

ſolarum aurium tractatur negocio. Et tamen cum de his diſputatur, præter dialecticam non eſt. Hæc enim ſcientia diſputandi eſt. Sed tunc verba ſunt ſigna rerum, quando de ſeipſis obtinent vim: verborum autem, illa de quibus hic diſputatur. Nam cum de verbis loqui niſi verbis nequeamus, & cum loquimur, non niſi de aliquibus rebus loquamur, occurrit animo ita eſſe verba ſigna rerum, vt res eſſe non deſinant. Cum ergo verbum ab ore procedit, ſi propter ſe procedit, id eſt vt de ipſo verbo aliquid quæratur aut diſputetur, res eſt vtique diſputationi quæſtioniq; ſubiecta. Sed ipſa res verbum vocatur. Quicquid autem ex verbo non auris, ſed animus ſentit, & ipſo animo tenetur incluſum, dicibile vo-

catur. Cum verò verbum procedit, non propter ſe, ſed propter aliud aliquod ſignificãdum, dictio vocatur. Res autem ipſa, quæ iam verbumnon eſt, neq; verbi in mente conceptio, ſiue habeat verbum, quo iam ſignificari poſſit, ſiue non habeat, nihil aliud quam res vocatur proprio iam nomine; Hæc ergo quattuor diſtinctè teneantur, verbum, dicibile, dictio, res. Quod dixi verbum, & verbum eſt, & verbum ſignificat. Quod dixi dicibile, verbum eſt:nec tamen verbum, ſed quod in verbo intelligitur, & in animo continetur ſignificat. Quod dixi dictionem, verbum eſt, ſed tale quo iam illa duo ſimul, id eſt ipſum verbum, & quod fit in animo per verbum ſignificantur. Quod dixi rem, verbum eſt, quod

quod præter illa tria quæ dicta ſunt quicquid reſtat ſignificat. Sed exemplis hæc illuſtranda eſſe perſpicio. Fac igitur à quoquam Grammatico puerum interrogantem hoc modo: Arma, quæ pars orationis eſt? Quod dictum eſt arma, propter ſe dictum eſt, id eſt verbum propter ipſum verbum. Cætera verò quod ait, quæ pars orationis eſt, non propter ſe, ſed propter verbum, quod arma, dictum eſt, vel animo ſenſa, vel voce prolata ſunt. Sed cum animo ſenſa ſunt, ante vocem dicibilia ſunt. Cum autem propter id quod dixi, proruperunt in vocem; dictiones factæ ſunt. Ipſum vero arma, quod hic verbum, eſt cum à Virgilio pronunciatum eſt, dictio fuit: non enim propter ſe prolatum eſt, ſed ut eo

ſignificarentur, vel bella, quæ geſſit Æneas, vel ſcutum, vel cætera arma, quæ Vulcanus Æneæ fabricatus eſt. Ipſa verò bella, vel arma, quæ geſta ſunt, aut ingeſta ab Ænea, ipſa inquā quæ cum gererentur atque eſſe viderentur, quæque ſi nunc adeſſent, vel digito monſtrare poſſemus, aut tangere, quæ etiam ſi non cogitarentur, non eo tamen fit vt non fuerint: ipſa ergo per ſe nec verba ſunt, nec dicibilia, nec dictiones, ſed ſunt res, quæ iam proprio nomine res vocantur. Tractandum eſt igitur nobis in hac parte dialecticæ de verbis, de dictionibus, de dicibilibus, de rebus, in quibus omnibus cum partim verba ſignificentur, partim non verba. Nihil eſt enim de quo non verbis diſputare neceſſe ſit. Itaque

de

de his primo diſputatur, per quæ de cæteris diſputare conceditur. Igitur verbum quodlibet, excepto ſono, de quo bene diſputetur, ad facultatem dialecticæ pertinet: non ad dialecticam diſciplinam. Vt defenſiones Ciceronis ſunt quidem rhetoricæ facultatis, ſed non his docetur ipſa rhetorica.

Cap. VI. De origine verbi.

Ergo omne verbum propter id quod ſonat quatuor quædam neceſſaria vocat in quæſtionem, Originem ſuam, vim, declinationem, ordinationem. De origine verbi quæritur, cum quæritur, vnde ita dicatur: Res mea ſententia nimis curioſa, & non nimis neceſſaria. Neq; hoc mihi placuit dicere quod ſic Ciceroni quoque idem videtur, quamuis quis egeat auctoritate in re tam perſpicua. Quod ſi

omnino multum iuuaret explicare originem verbi, ineptum eſſet aggredi, quod perſequi profectò infinitum eſt. Quis enim reperire poſſit, quod quid dictum fuerit, vnde ita dictum ſit? Huc accedit, quod vt ſomniorum interpretatio, ita verborum origo pro cuiuſq; ingenio prædicatur. Ecce enim verba ipſa quiſpiam ex eo putat dicta, quod aurem quaſi verberent: inquit alius, quod aerem. Sed noſtra non magna lis eſt. Nam vterq;à verberando huius vocabuli originem trahit. Sed è tranſuerſo tertius vide quam rixam inf rat. Quod enim verum ait nos loqui oporteat, odioſumque ſit natura ipſa iudicante mendacium, verbum à vero cognominatum eſt. Nec ingenium quartum defuit. Nam

ſunt

ſunt qui verbum à vero quidem dictum putent, ſed prima ſyllaba ſatis animaduerſa, ſecundum negligi non oportere. Verbum enim cum dicimus, inquiunt, prima eius ſyllaba verum ſignificat, ſecunda ſonum. Hoc autem volunt eſſe bombum. Vnde Ennius ſonum pedum bombum pedum dixit: & βοᾶσαι Græci clamare. Et Virgilius, Reboant ſyluæ. Ergo verbum dictum eſt quaſi à vero boando, hoc eſt verum ſonando. Quod ſi ita eſt, præſcribit quidem hoc nomen, ne cum verbum faciamus, mentiamur: ſed vereor ne ipſi qui dicunt iſta, mentiantur. Ergo ad te iam pertinet iudicare, vtrum verbum à verberando, an verò ſolo, an à verò boando dictum putemus, an potius vndè ſit dictum non curemus, cum quod

ſignificet intelligamus. Breuiter tamen hunc locum notatum eſſe de origine verborum, volo pauliſper accipias, ne vllam partem ſuſcepti operis prætermiſiſſe videamur. Stoici autumant, quos Cicero in hac re irridet, nullum eſſe verbum, cuius non certa ratio explicari poſſit. Et quia hoc modo ſuggerere facilè fuit, ſi diceres hoc infinitum eſſe, quibus verbis alterius verbi originem interpretareris, eorum rurſus à te originem quærendam eſſe, donec perueniatur eò, vt res cum ſono verbi aliqua ſimilitudine concinat, vt cum dicimus, æris tinnitum, equorum hinnitum, ouium balatum, tubarum clangorem, ſtridorem catenarum. Perſpicis enim hęc verba ita ſonare vt res quæ his verbis ſignificantur.

Sed

Sed quia ſunt res, quæ non ſonant, in his ſimilitudinem tactus valere, vt ſi leniter vel aſpere ſenſum tangunt, lenitas, vel aſperitas litterarum vt tangit auditum, ſic eis nomina peperit. Et ipſum lene cum dicimus, leniter ſonat. Quis item aſperitatem, non & ipſo nomine aſperam iudicet? Lene eſt auribus, cum dicimus voluptas: aſperum eſt cum dicimus, crux. Ita res ipſæ iam efficiunt, ſicut verba ſentiuntur. Mel, quàm ſuauiter res ipſa guſtum, tam ſuauiter nomen tãgit auditum. Acre, in vtroque aſperum eſt: lana, & vepres, vt audiuntur verba, ſic illa tangitur. Hęc quaſi cunabula verborum eſſe crediderunt, vt ſenſus rerum cum ſonorum ſenſu cõcordarent. Hinc ad ipſarum inter ſe rerum ſimi-

litudinem proceſſiſſe licentiam nominandi: vt cum verbi cauſa, crux propterea dicta ſit, quod ipſius verbi aſperitas cum doloris quem crux efficit aſperitate concordat: crura tamen non propter aſperitatem doloris, ſed quod longitudine, atq; duritia inter membra cætera ſint ligno crucis ſimiliora, ſic appellata ſunt. Inde ad abuſionem ventum eſt, vt vſurpetur non tam rei ſimilis, ſed quaſi vicinæ. Quid enim ſimile inter ſignificationem parui, & minuti, cum poſſit paruum eſſe, quod non modo nihil minutum ſit, ſed etiam aliquid creuerit? Dicimus tamen propter quandam vicinitatem, minutum pro paruo. Sed hæc abuſio vocabuli in poteſtate loquentis eſt: habet enim paruum, vt minutum non

dica-

dicatur. Illud magis pertinet ad id quod volumus oſtendere, quod cum piſcina dicitur, in balneis in qua piſcium nihil ſit, cũ nihil piſcibus ſimile habeat, videtur tamen à piſcibus dicta propter aquam, vbi piſcibus vita eſt. Ita uocabulum non tranſlatum ſimilitudine, ſed quadam uicinitate uſurpatum eſt. Quod ſi quis dicat homines piſcibus ſimiles natando fieri, & inde piſcinæ nomen eſſe natum, ſtultum eſt, hoc refutare, cum ab re neutrum abhorreat, & utrumq; lateat. Illud enim benè accidit quod uno exemplo dilucidare non poſſumus, quid diſtet origo uerbi, quæ de uicinitate arripitur, ab ea quæ de ſimilitudine ducitur. Hinc facta eſt progreſſio uſque ad contrarium. Nam lucus dictus putatur, quod mi-

nime

nime luceat:& bellum, quod res bella non ſit:& fœderis nomen, quòd res fœda non ſit. Quod ſi à fœditate porci dictum eſt, ut nonnulli uolunt, redit ergo ad illam uicinitatem, cum id quod fit ab eo quod fit nominatur. Nam & iſta omnino uicinitas late patet, & per multas partes ſecatur. Aut per effici.n:iam, ut hoc ipſum à fœditate porci, per quem fœdus efficitur, Aut per effectum, ut puteus, quod eius effectus potatio eſt, creditur dictus. Aut per id quod continet, ut urbem, ab orbe appellatam uolunt, quod auſpicato loco circumduci aratro ſolet: cuius rei, & Virgilius meminit, ubi Æneas urbem deſignat aratro. Aut per id quod continetur, ut ſi quis horreum mutata d litera affirmet ab hordeo nomi-

minatum. Aut per abuſionem, ut cum hordeum dicimus, & ibi triticum conditur. Vel à parte totum, ut mucronis nomine, quæ ſumma pars eſt gladij, totum gladium uocant. Vel à toto pars, ut capillus quaſi capitis pilus. Quid ultra proueharꝛ Quicquid aliud annumerari poteſt, aut ſimilitudine rerum, & ſonorum, aut ſimilitudine rerum ipſarum, aut uicinitate, aut contrario contineri, uidebis originem uerbi, quam proſequi, non quidem ultra ſimilitudinem poſſumus. Sed hoc non ſemper utique poſſumus. Innumerabilia enim ſunt uerba, quorum ratio reddi non poſſit. Aut non eſt, ut ego arbitror. Aut latet, ut Stoici contendunt. Vide tamen paululum, quomo-

do

do perueniri putant ad illa uerborum cunabula, uel ad ſtirpem potius atq; adeò ſementum, ultra quod quæri originem uetant, nec ſi quis uelit poteſt quicquam inuenire. Nemo ambigit ſyllabas in quibus u litera locum obtinet conſonantis, ut ſunt in his uerbis uenter, uafer, uelum, uinum, uomis, uulnus, craſſum, & quaſi ualidum ſonum edere. Quod approbat etiam loquendi conſuetudo, cum quibuſdam uerbis eas ſubtrahimus ne onerent aurem. Nam inde eſt quod amaſti, libentius dicimus quàm amauiſti, & abijt, non abiuit, & in hunc modum innumerabilia. Ergo cùm dicimus, uim, ſonus uerbi (ut dictum eſt) quaſi ualidus congruit rei quæ ſignificatur. Iam ex illa uicinitate per id quod

quod efficiunt, hoc eſt quia uiolenta ſunt, dicta uincula poſſunt uideri, & uimen quo aliquid uinciatur. Inde uites, quod adminiculis quibus uinciantur nexibus pendent. Hinc etiam propter ſimilitudinem, incuruũ ſenem uietum Terentius appellauit. Hinc terra quæ pedibus itinerantium flexuoſa, & trita eſt, uia dicitur. Si autem uia, quæ ui pedum trita eſt, creditur dicta, redit origo ad illam uicinitatem. Sed faciamus à ſimilitudine uitis uel uiminis, hoc eſt à flexu eſſe dictam: quærit ergo me quiſpiam, quare uia dicta eſt? Reſpondeo, à flexu; quia flexum uelut incuruum uietum ueteres dixerunt: unde uietos quod canto ambiantur rotarum ligna uocant. Perſequitur quærere, unde uietum flexum dicatur?

tur? Et hinc reſpondeo, à ſimilitudine uitis. Inſtat atq; exigit unde iſtud ſit uitis nomen? Dico quia uincit ea, quæ comprehenderit. Scrutantur ipſum uincire, unde dictum ſit? Dicemus, à ui. Vis quare ſic appellatur, requiret. Redditur ratio, quia robuſto, & ualido ſono uerbum rei, quæ ſignificatur, congruit. Vltra quod requirat, non habet. Quot modis autem origo uerborum corruptione uocum uarietur, ineptum eſt proſequi: nam & longum, & minus quam illa quæ dicta ſunt neceſſarium eſt.

Cap. vii De vi verbi. Nunc uim uerborum quantum res patitur, breuiter conſideremus. Vis uerbi eſt, qua cognoſcitur, quantum ualeat: ualet autem tantum, quantum audiētem mouere poteſt. Porro mo-

uet

uet audientem, aut ſecundum ſe, aut ſecundum id, quod ſignificat, ex utroque communiter. Sed cum ſecundum ſe mouet, aut ad ſolum ſenſum pertinet, aut ad artem, aut ad utrumque. Senſus autem aut natura mouetur, aut conſuetudine. Natura mouetur, in eo quod offenditur, ſi quis nominet Artaxerxem regem, uel mulcetur cum audit Coriolanum. Quis enim etiam ſi nihil utiq; de his hominibus audierit, quorum iſta ſunt nomina, non tamen in illo aſperitatem maximam, & in hoc iudicet eſſe lenitatem? Conſuetudine mouetur ſenſus, cum offenditur, cum audit quiddam: nam hic ad ſuauitatem ſoni uel inſuauitatem nihil intereſt: ſed tamen ualent aurium penetralia mouere, utrum per ſe tranſeun-

ſeuntes ſonos quaſi hoſpites notos,an ignotos recipiant. Arte autem mouetur auditor cum enunciato ſibi uerbo, attendit quæ ſit pars orationis, uel ſi quid aliud in his diſciplinis,quę de uerbis traduntur, accepit. At uerò ex utroq;, id eſt & ſenſu, & arte de uerbo iudicatur, cum id quod aures metiuntur ratio notat, & nomen ita ponitur, ut dicitur, optimus. Mox ut autem longa una ſyllaba, & duæ breues huius nominis percuſſerint, animus ex arte ſtatim pedem dactylum agnoſcit. Senſum uerò non ſecundum ſe, ſed ſecundum id quod ſignificat uerbum mouet, quãdo per uerbum accepto ſigno animus nihil aliud quam ipſam rem intuetur, cuius illud ſignum eſt, quod accepit: ut cum Auguſti-

no

no nominato, nihil aliud quam ego ipſe cogitor ab ipſo, cui notus ſum: aut cuilibet hominum mente occurrit, ſi fortè hoc nomen, uel qui me ignorat audierit, uel qui alium nouit qui Auguſtinus uocetur. Cum autem ſimul, & ſecundum ſe uerbum mouet audientem, & ſecundum id quod ſignificat, tunc & ipſa enunciatio, & id quod ab eo enunciatur, ſimul aduertitur. Vnde enim fit quod non offenditur aurium caſtitas, cum audit, manu, uentre, pene bona patria lacerauerat? Offenderetur autem ſi obſcœna pars corporis ſordido ac uulgari nomine appellaretur: in hoc aut ſenſum animumque utriuſque deformitas offenderet, niſi illa turpitudo rei, quæ ſignificata eſt, decore verbi ſignificantis operire-

riretur, cum res eadem ſit cuius vtrunque uocabulum eſt, ueluti non alia meretrix, ſed aliter tamen uidetur eo cultu, quo ante iudicem ſtare adſolet, aliter eo quo in luxurioſi cubiculo iaceret. Cum igitur tantam uim tamque multiplicem appareat eſſe uerborum, quam breuiter iam pro tempore ſummatimq; attingimus, duplex hic ex conſideratione ſenſus naſcitur: partim propter explicandam ueritatem, partim propter ſeruandum decorem, quorum primum ad dialecticum, ſecundum ad oratorem maximè pertinet. Quamuis enim nec diſputationem deceat ineptam, nec eloquentiam oporteat eſſe mendacem, tamen & in illa ſæpè atq; adeò penè ſemper audiendi delitias diſcendi cupido contem-
nit,

nit, & in hac imperitior multitudo quod ornatè dicitur, etiã verè dici arbitratur. Ergo cum appareat quid ſit uniuſcuiuſq; proprium, manifeſtum, eſt & diſputatorem, ſi qua ei delectandi cura eſt, rhetorico colore aſpergendum, & oratorem, ſi ueritatem perſuadere uult, dialecticis quaſi neruis atq; oſſibus eſſe roborandum, quæ ipſa natura corporibus noſtris, nec firmitatem uirium ſubtrahere potuit, nec oculorum offenſioni patere permiſit. Itaque nunc propter ueritatem diudicandã, quod dialectica profitetur, ex hac uerborum ui quædam ſemina ſparſimus: quæ impedimenta naſcantur uideamus.

SCHO-

SCHOLIVM.

De Verbis ſimplicibus, & coniunctis

AGit hic S. P., & de verbis ſimplicibus, & de verbis coniunctis; in quibus etiam Enũciationes tum ſimplices, tum hypoteticas comprehendit, de quibus cum illo paulo poſt; nam ordo Doctrinæ pro connexione cum præcedentibus exigit vt tractemus hic ea de quibus S. P. agit hic cap. 5. de Principÿs Dialecticæ de ſignificatione. ſcilicet verborum; aduertendum tamen quod S. P. accipit hic verbum in ampla ſignificatione, vt dicto capite ſe explicat dicendo. Verbũ eſt vniuſcuiuſq; rei ſignum, quod ab audiente poſſit intelligi à loquente prolatum. *Non accipitur igitur in præſenti vt vox coniugata per Tempora; ſed vt quid commune ad*

quan-

quancumq; dictionem ex inſtituto ſignificantem; vt infra ait S.P. Cum verbum procedit non propter ſe, ſed propter aliud aliquid ſignificandum dictio vocatur. *his poſitis.*

Dico primo verba ſic explicata rectè numerari inter ſigna ad placitum; quæ determinatè non ſunt à natura inſtituta ad ſignificandos noſtros conceptus; ita vt ipſa natura aſſignauerit cuiq; rei *Verba ſunt ſigna ad placitum.* *has determinatas voces; nam licet a natura inſtitutum ſit; vt per voces articulatas poſſemus noſtros exprimere conceptus; non ſunt tamen hæc noſtra verba ipſis rebus ab ipſa natura aſſignata, vt quidam falſo opinati ſunt; ſed hoc relictum eſt libero, & ſapienti hominum conſilio; Quemadmodum, & ſcripta ſunt ſigna ad placitum ex libera hominum inſtitutione*

V ordi-

ordinata ad ſignificandas res, & adfungendum munere vocum, in quarum loco ſuppoſita ſunt.

Dico ſecundo quod in ea celebri Dialecticorum Quæſtione an voces immediatè ſignificent voces, an verò conceptus ſolos; an verò ſignificent vtrumque ſimul, vel ſignificent res, & ſupponantur pro conceptibus, in ſententia S. P. poteſt ſuſtineri quod ſignificent res, & conceptus, vel ſaltem ſignificēt res, & ſupponantur pro conceptibus. Nam quod ſentiat ſignificare res patet, & ex definitione ſigni, & ab exemplo, quod ſtatim ſubdit ſupra adductis ait enim ſignum eſt res, præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud ex ſe faciens in cogitationem venire; ſicut veſtigio viſo, tranſiſſe animal cogitamus, *vbi clarè explicat per ly aliquid aliud intel-*

An voces immediatè ſignificent res vel conceptus.

intelligere ipſam rem, vt in exemplo eſt tranſitus animalis, qui per veſtigium cognoſcitur, quod verò ſentiat verba ſignificare etiam conceptus; aut ſaltem ſupponi pro illis, exprimit illis verbis. Data ſigna ſunt, quæ ſibi quæque viuentia dant ad demonſtrandum quantum poſſunt motus animi ſui, vel ſenſa aut intellecta quælibet, (*& pro maiori explicatione ſubdit*) Nec vlla cauſa eſt nobis ſignificandi, ideſt ſigni dandi, niſi ad depromendum, & traijciendum in alterius animum id quod in animo gerit is, qui ſignũ dat. *vbi per ly* ad demonſtrandum motus animi ſui vel ſenſa, aut inrellecta *videtur velle, quod primo ſignificentur conceptus, poſtea res, per ly verò* nec vlla cauſa eſt, ſigni dandi niſi ad traijciendum in alterius animũ id, quod

animo gerit is, qui ſignum dat videtur velle quod ſupponantur pro conceptibus, & ſignificent res. *Veritas eſt, quod illi veteres ſcientiarum Patres, & Principes properantes ad vtiliora, non erant admodum ſolliciti de ijs minutijs, an aptius diceretur quod ſupponantur, vel ſignificent vndè æque bene puto in ſententia S. P. poſſe vtrumque ſuſtineri. Poſſumus itaque rem ſic explicare vt dicamus voces ſupponi pro conceptibus, & in ſignificando ipſis ſubordinari; ita vt conceptio ſit conditio: ſignificatum verò formale vocis res ſint, non conceptus, quæ res quia à nobis ſignificantur prout concipiuntur, & ſecundum menſuram noſtræ cognitionis; propterea Philoſophus eas appellauit notas conceptuum; & S. P. ſubdidit,* quod vi-

uentia

uentia dant ſibi ſigna ad demonſtrandum quantum poſſunt motus animi vel ſenſa, & intellecta.

Dico tertio rectè à Philoſopho dici Conceptus alios eſſe neceſſariò veros, vel falſos; alios verò veritatis, & falſitatis expertes; & cum verba ſubſtituantur pro conceptibus, & vox ſit animi interpres, media qua veritas interna ad aures defertur; neceſſe eſt & ipſas voces participare veritatem vel falſitatem, quæ latet in animo cuius illæ ſunt indices. Pro cuius èxplicatione prout conducit ad præſens inſtitutum, ſciendum eſt quod duplex eſt veritas, altera quæ dicitur tranſcendens, eo quod omnes pèruadat res, & ſolet dici entis paſſio; ac etiam veritas obiectiua. Altera dicitur formalis, quæ eſt veritas cognitionis, &

Conceptus alij veri alij falſi alij nec veritatis nec falſitatis capaces.

De Veritate formali. *hæc eſt illa de qua agimus in præſenti; nam illa tranſcendens ad Metaphyſicum ſpectat. Definitur communiter veritas cognitionis, conformitas inter intellectum, & rem quam percipit; ideſt quod intellectus ſua cognitione conformetur cum re cognita; ita vt percipiat rem eſſe, ſicuti in ſe eſt; Hæc conformitas de formali dicit relationem intellectus cognoſcentis ad rem, ſicuti hæc eſt in ſe.*

Huic veritati opponitur falſitas; quæ ſita eſt in difformitate oppoſita tali conformitati, in qua conſiſtit formaliter veritas.

Hanc veritatem in ſimplici apprehenſione inueniri communiter negarunt philoſophi antiqui, eo quod per illam non affirmetur, aut negetur aliquid de aliqua re; ſed ſolum apprehendatur, prout repreſentatur; Vnde factum eſt

prolo-

proloquium abſtrahentium (ſcilicet ab affirmatione, & negatione) non eſt mendacium. Et licet ſimplex apprehenſio ſit vera, & expreſſa ſui obiecti ſimilitudo, & per conſequens commenſuretur, & conformetur ei, non eſt tamen huiuſmodi conformitas, illa quæ opponitur difformitatis, quæ appellatur falſitas. Nam eo modo omnes conceptus ſimplices, & omnes ſimplices apprehenſiones habent conformitatẽ cum ſuo obiecto, & nullus habet oppoſitam difformitatem, qua talis ſimplex apprehenſio eſt. At verò actus iudicij quo affirmatur aliquid de aliqua re, vel negatur; ſi conformatur cum re, de qua enunciat, id eſt ſi res ſe habet prout de illa affirmatur, vel negatur; eſt verus, & opponitur illi per quem affirmatur aut negatur rem aliter ſe habere

ac re vera ſe habeat qui dicitur falſus. Et hoc eſt quod dixit Philoſophus, ex eo quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera, vel falſa. Et per hæc poteſt conciliari cum antiquis ſententia illorum modernorum, qui volunt etiam in ſimplici apprehenſione reperiri veritatem; nam ſi ſolum velint eſſe eam quam ſupra diximus verum dicunt, nec habemus aliquid in contrarium. Si verò loquantur de hac quæ opponitur falſitati, omnino ſtandum eſt ſententiæ antiquorum. Et hoc eſt quod indicauit hic S. P. ideſt c. 2. de princ.
c. 2. de princ. dial. *dialectica cum diſtinguendo verba coniuncta ideſt orationes, ait* Aut ſic ſententia comprehenditur, vt vero, aut falſo teneatur obnoxia, vt eſt omnis homo ambulat; aut omnis homo non ambulat, & ſi quid huiuſmodi.

Aut

Aut ſic impletur ſententia, vt licet perficiat propoſitum animi, affirmari, negariue non poſſit, vt cum imperamus, cum optamus; cum execramur, & his ſimilia. Nam ſi quis dicat perge ad villam, aut dij illum perdant non poteſt argui, quod mentiatur aut credi quod verum dicat. *Sed quia facta eſt mentio de oratione in qua conſiſtit veritas, & falſitas; priuſquam de ea aliquid aliud dicatur prius eius partes examinandæ ſunt.*

Dico quarto partes, & elementa componentia Enunciationem eſſe nomen, & Verbum. Nomen ex Philoſopho eſt vox ſignificatiua definite ad placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, & cui ſi addatur eſt, fuit, vel erit, fit oratio vera, vel falſa. Non defuere qui definirent *Partes orationis.*

Nomen eſſe vocem declinatam per caſus; ſed hæc videtur potius definitio in ordine ad Grammaticos, quam ad Philoſophos, ſicut & illa verbi, quod ſit vox coniugata per tempora, & perſonas. Vnde in memoriam venerandæ antiquitatis Philoſophicæ; hæc potius videtur, retinenda in Scholis, quemadmodum, & illa, verbi quod ſit vox ſignificatiua definite, ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, & eſt ſemper eorum, quæ de altero prædicantur nota. In his fuſe explicandis laborant ſummuliſtæ, & idcircò hic non immoror.

De his partibus orationis ſub hac explicita ratione non inuenio mentionem apud S. P., nam vt dixi nomine verbi complectitur vtrumq; ideſt nomen, & verbum; vndè in principio 2. cap. huius

lib.

lib. de Principijs Dialecticæ explicans compoſitionem orationis ait, coniuncta verba ſunt, quæ ſibi connexa res plures ſignificant, vt cum dicimus homo ambulat.

Dico quinto orationem, quæ eſt genus ad enunciationem, rectè dici quod ſit vox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſignificant ſeparatæ, non vt affirmatio, ſed vt dictio. Hæc diuiditur in orationem perfectam, & imperfectam, imperfecta eſt quæ animum ſuſpenſum relinquit; Perfecta quâ animus à ſuſpenſione liberatur. Subdiuiditur perfecta in enunciatiuam, & non enunciatiuam; oratio non enunciatiua eſt ea, in qua verum, vel falſum non reperitur; quæ eſt multiplex vt Imperatiua, deprecatiua, execratiua, & aliæ huiuſmodi. Sed hæ orationes **Definitio orationis.**

vt ait S. P. loco proxime citato. Nec in queſtionem veniunt, aut diſputatorem requirunt *prædictas diuiſiones orationes ſub nomine verborum coniunctorum habes hic in textu toto cap. 2. ex lib. de Principijs Dialecticæ à S. P. explicatas.*

Dico ſexto orationem enunciatiuam, quam huius tractationis ſubiectum eſſe dixi, eſſe orationem in qua verum, vel falſum neceſſariò reperitur, hæc non eſt quidditatiua definitio enunciationis; ſed deſcriptio, traditur enim per proprietatem, ideſt veritatem, & falſitatem, quas in huiuſmodi orationibus enunciatiuis præcedunt affirmatio, & negatio, à quibus veritas, & falſitas proficiſcuntur, vt ſupra explicatum eſt. Simili modo deſcripſit hanc orationem enunciatiuam

Quid ſit Oratio Enunciatiua.

S. P.

S. P. c. 2. de Princip. Dialecticæ hic relato; cum diuidendo orationem in perfectam, & imperfectā & ſubdiuidendo perfectam ait. Aut enim ſic ſententia comprehenditur, vt vero, aut falſo teneatur obnoxia; *indicauitque quidditatem eius, cum loquens de omnibus non enunciatiuas ait.* Aut ſic impletur ſententia, vt licet perficiat propoſitum animi, affirmari negariuè non poſſit, vt cum imperamus, cum optamus, cum execramur, & his ſimilia &c.

Poteſt igitur ſic ad mentem S. P. definiri huiuſmodi oratio; ſi ſermo ſit de mentali; actus intellectus iudicatiuus. Si vero ſermo ſit de vocali: Oratio perfecta ſubrogata pro actu intellectus iudicatiuo; Iudicium enim rectè diuiditur communiter in affirmatiuū, &

& negatiuum tamquam in veras ſpecies.

Dico ſeptimo enunciationis plures eticum fieri diuiſiones, alia enim dicitur Categorica cuius veritas, vel falſitas non pendet aliūde, ſed tantum ex abſoluta identitate prædicati cum ſubiecto; Alia dicitur ſimplex, in qua vna ſolum eſt affirmatio, vel negatio; alia coniuncta, in qua ſunt plures negationes, aut affirmationes, alia hyppotetica, in qua vnum ex alio aliquo modo colligitur.

Diuiſio Enunciationis.

Ipſa enunciatio Categorematica ſiue etiam ſimplex alia eſt de ſecundo adiacente, in qua vnicum tantum prædicatum diſtinguitur à verbo ſaltem implicite. Alia de tertio adiacente, in qua poſt vnum prædicatum ponitur aliud; & de hac extat illud commune pronunciatum; Enunciatio de tertio

adia-

adiacenti, ſupponit enunciationē de ſecundo; quod tamen vt vniuerſaliter ſit verum, debet ſecundum adiacens non conuenire ſubiecto, niſi ratione tertij adiacentis, vel tertium adiacens non deſtruere, vel imminuere ſecundum.

Diuiditur etiam ratione materiæ in neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem. Neceſſaria eſt in qua prædicatum non poteſt non conuenire ſubiecto; contingens eſt in qua prædicatum poteſt conuenire, & non conuenire ſubiecto. Impoſſibilis in qua prædicatum non poteſt vllo modo conuenire ſubiecto.

Diuiditur adhuc ratione prædicationis in naturalem, & innaturalem; Enunciatio naturalis eſt quando prædicatur in quod ineſt; ſubijcitur verò id cui tale prædicatum ſeu talis forma ineſt. Innaturalis

turalis verò eſt quando inuertitur talis ordo.

Diuidi vltimo poteſt ratione Quantitatis, & ratione qualitatis, & quidem ratione Quantitatis diuiditur in Vniuerſalem, & particularem, vel confuſam, & ſingularem. Huic partitioni adnectere poſſumus diuiſionem ratione modi quo exprimitur prædicatum conuenire ſubiecto, hac enim ratione alia eſt abſoluta, alia modalis; Et modalis iuxta materiam circa quam verſatur; alia eſt contingens, alia poſſibilis, alia impoſſibilis, alia neceſſaria: ratione verò qualitatis altera eſt negatiua, altera affirmatiua; ſi qualitatem eſſentialem ſpectemus; Si vero qualitatem accidentalem altera vera, altera falſa. Ex his diuiſionibus S.P. ſolum meminit de his poſtremis videlicet affirmatiua,

ua, aut negatiua, vera vel falſa; loco ſupra citato, & de ſimplicibus, & coniunctis ſeu hypoteticis ibid. c. 3. vbi ait ſed illæ quæ requiruntur, aut ſimplices ſunt aut coniunctæ. Simplices ſunt quæ ſine vlla copulatione ſententiæ alterius enunciantur vt omnis homo ambulat; coniunctæ ſunt de quarum copulatione iudicatur, vt ſi ambulat mouetur. *De cæteris vtpotè reducibilibus ad has, vel quarum non erat tunc frequens vſus in Scholis conſiderationem reliquit acumini ſubſequentium Logicorum; de quibus vſq; adſatiatatem modo agunt frequenter moderni Summuliſtæ.*

Dico octauo pro complemento tres cõmuniter enumerari Enunciationis proprietates. Oppoſitionem; Æquipollentiam, & Conuer-

Proprietates Enunciationis.

uerſionem, hanc tertiam Philoſophus in librum primum Priorum diſtulit; ſed vſus Scholæ obtinuit, vt hic examinetur. Eſt igitur oppoſitio repugnantia duarum enunciationum in veritate, & falſitate; ſiue ſunt duæ propoſitiones, quibus repugnat vel falſitas ſimul, vel veritas ſimul. Æquipollentia eſt duarum propoſitionum eodem ſubiecto, & prędicato conſtantium æqualis valor ex varia negationum additione proueniens; Conuerſio vero nihil eſt aliud, quam inuerſio ſubiecti in prædicatum, & prædicati in ſubiectum ſeruata veritate enunciationum.

Quod ſpectat ad oppoſitionis ſpecies hæ ſunt; quando altera eſt Vniuerſalis affirmatiua, altera Vniuerſalis negatiua, tunc ſunt contrariæ; ſi utraque ſit particularis altera affirmatiua, altera negatiua.

gatiua ſunt ſubcontrariæ; ſi altera ſit uniuerſalis, altera particularis, altera exiſtente affirmatiua altera negatiua ſunt contradictoriæ; Si uerò altera ſit Vniuerſalis affirmatiua, altera particularis affirmatiua; uel altera Vniuerſalis negatiua, altera particularis negatiua; tunc ſunt ſubalternæ, & in his non datur propriè oppoſitio.

Leges & conditiones oppoſitionum hæ ſunt primo quod Enunciationes contrariæ poſſint eſſe ſimul falſæ, numquam uerò ſimul ſiera; ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul uera, nunquam ſimul falſæ: contradictoriæ utrumque habent quod nec ueritatem ſimul, uel falſitatem participare poſſunt. Subalternæ uerò ut plurimum in ueritatem ſimul conſpirant, & ex una ad alteram legitima fit illatio. Nihilominus pro materiæ diuer-

uerſitate, nunc alternatim altera falſitatem altera ueritatem continet, interdum ambæ in falſitate concordant, hac omnia fuſe explicantur in ſummulis.

De propoſitionibus de futuris contingentibus.

Diſputant hic Peripatetici de mente Philoſophi in propoſitionibus contradictorÿs de futuro contingenti, quoſcilicet pacto in his enunciationibus. Altera ſit determinatè uera, altera uerò determinatè falſa; in qua difficultate multi multa dicunt. Alÿ enim Philoſophum hic lapſum fuiſſe, aſſerunt. Alÿ nihil aliud affirmare uoluiſſe dicunt, quam res contingenter euenturas uim noſtræ cognitionis effugere. Alÿ demum determinatam futuris contingentibus ueritatem eſſe denegandam autumnantes, hanc quoque fuiſſe Ariſtotelis mentem oſtendere conati ſunt. Quidquid in hac re ſen-

ſentiat Ariſtoteles mihi curæ non eſt; qui illius mentem deſiderat, attentè legat, & conſideret textum ipſius caput ſcilicet 7. ipſius lib. primi de interpretatione, & fortè inueniet eum à Sana, & uerißima ſententia S. & Orthodoxæ fidei non diſcrepare.

Dicendum igitur eſt; in hac parte, & ſecundum ſenſum Sanctarum ſcripturarum, & S. Eccleſiæ in futuris contingentibus ſingularibus determinatam ueritatem reperiri; quod clarè, & apertè oſtendunt prædictiones omnes, quæ in Sacris litteris habentur de futuris euentibus; quorum niſi fuiſſet determinata ueritas non fuiſſet determinatum, & infallibile Oraculum Diuinum, quod aſſerere eſt omninò Diuina Veritate indignum. Hanc ſaniſſimam S. R. E. doctrinam, & ueritatem

aſtruit explicat, & confirmat S. P. N. pluribus locis, maximè tom. primo lib. 3. de libero arbitrio c. 4. ubi ex profeſſo oſtendit dari in Deo præſcientiam futurorum contingentium, & etiam noſtrorum peccatorum, & horum nullo modo illum eſſe cauſam, & confirmat lib. 4. de Trinitate cap. 17. & ex profeſſo lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 22. oſtendit qualiter Angeli Beati certo, & infallibiliter omnia hæc mutabilia non ſolum præterita, & præſentia, ſed etiam futura cognoſcant; ait enim ibi S. P. Certius temporalia, & mutabilia iſta nouerunt, quia eorum principales cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas tempo-

rum

rum cauſas, & quodammodo Cardinales in Dei ſapientia contemplantur, ſed quorūdam ſignorum nobis occultorum maiore experientia multo plura quam homines futura proſpiciunt, diſpoſitiones quoq; ſuas aliquando prænunciant. Denique ſæpe iſti, numquam illi omnino falluntur. Aliud eſt enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia coniectare, eiſq; temporalem, & mutabilem modum ſuæ voluntatis, & facultatis inſerere, quod dæmonibus certa ratione permiſſum eſt. Aliud autem in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſapientia viuunt, mutationes tẽporum præuidere Deique voluntatem, quæ tam certiſſima quam potentiſſima eſt Diuini Spi-

Spiritus eius participatione cognoſcere, quod Sanctis Angelis recta diſcretione donatum eſt. *Videatur etiam caput* 38. *libri Tertij decimi Confeſſionum. Sed hoc eſt certò certius à Deo præſciri hæc futura contingentia, etiam libera, quod etiam prænunciauit Pſaltes dicens Pſal.* 138. Intellexiſti cogitationes meas de lõgè &c. Et omnes vias meas prçuidiſti &c. *ex qua infallibili præſciẽtia neceſſario ſequitur determinata, & infallibilis veritas obiecti ipſius, ideſt horum futurorum euentuum contingentium, quæ determinata veritas quommodo cohæreat cum contingentia, & libertate; ſuo loco explicabitur.*

Æquipollentes redduntur propoſitiones medijs negationibus; cum enim negatio ſit malignan-

tis

tis naturæ, deſtruit quod reperit poſt ſe, & ideo poſita ante vniuerſalem reddit eam particularem, ante copulam affirmatiuæ reddit eam negatiuam, & ſic contradictoriæ ſibi inuicem æquipollent addita negatione ante ſubiectum enunciationis: Contrariæ, & ſubcontrariæ poſita negatione poſt ſubiectum; Subalternæ verò duplicem negationem requirunt, alteram ante ſubiectum, alteram verò poſt ſubiectum.

Conuertuntur tripliciter enunciationes, nempè ſimpliciter, per accidens, & contrapoſitionem, conuerſio ſimplex quam Philoſophus appellat in terminis, eſt illa in qua inuertitur locus prædicati, & ſubiecti ſeruata eadem quantitate; conuerſio per accidens eſt in qua, præter inuerſionem ſubiecti, & prædicati fit etiam mutatio

quantitatis vniuerſalis in particularem, & quia ſecundum hanc enunciatio tota non inuertitur, ſed ſecundum partem tantum, dicitur conuerſio in parte. Conuerſio denique per contrapoſitionem eſt illa, in qua ſeruatur quidem eadem quantitas, ſed termini ſimplices ex finitis vi negationum additarum infiniti redduntur.

Non omnes iſtæ conuerſiones omnibus Enunciationibus competunt. Vniuerſalis enim affirmatiua duplicem ſibi arrogat conuerſionem, ſcilicet in parte, & per contrapoſitionem. Vniuerſalis etiam negatiua dupliciter conuertitur, ſimpliciter nempè, & in parte. Particularis verò affirmatiua ſimplicem tantum, & particularis negatiua per contrapoſitionem ſolum petunt conuerti.

CO-

COROLLARIVM.

MAnet igitur ex dictis 1. *Verba eſſe ſigna ad placitum, quæ in ſententia S. P. æque bene poſſunt dici ſignificare conceptus, & res, ac ſupponi pro conceptibus, & ſignificare res.* 2 *Conceptus pro quibus ſubſtituuntur voces, alios eſſe neceſſario veros, vel falſos; alios verò veritatis, & falſitatis expertes.* 3 *Deſinitiones nominis verbi, & orationis à Philoſopho traditas, & iam in Scholis inueteratas eſſe retinendas.* 4 *Orationem perfectam rectè, & ad mentem S. P. ſubdiuidi in Enunciatiuam, & non Enunciatiuam; ac etiam in Cathegoricam, & hypoteticam.* 5 *Has ſubſequi alias diuiſiones videlicet. Ratione prædicationis in*

naturalem, & innaturalem. Ratione materiæ in neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem. Ratione qualitatis in affirmatiuam, & negatiuam. Ratione quantitatis in Vniuerſalem, & particularem, confuſam, & ſingularem, & denique ratione modi in abſolutam, & modalem. 6 *Proprietates Enunciationum à Summuliſtis receptas tres enumerari, videlicet oppoſitionem, conuerſionem, & æquipollentiam;* 7 *Regulam ennunciationum contradictoriarum, nempè quod vna ſit determinatè vera altera determinatè falſa, reperiri etiam in propoſitionibus de futuro contingenti dependenter à Diuinis, & immutabilibus legibus, in quibus ſecundum ordinem Diuinæ Prouidentiæ conceditur Sanctis Angelis ea infallibiliter cognoſcere.*

DE DEFFINITIONE, ET DIVISIONE.

CAPVT DECIMVM NONVM.

TEXTVS.

SCientia definiendi diuidendi, atq; partiendi quamquam rebus falſis plerumq; adhibeatur, ipſa tamen falſa non eſt, neque ab hominibus inſtituta, ſed in rerum ratione comperta. Non enim quia, & fabulis ſuis etiam Poetæ: & opinionibus erroris ſui, vel falſi Philoſophi, vel etiam Hæretici, hoc eſt falſi Chriſtiani adhibere conſueuerunt, propterea falſum eſt, neq; in definiendo neq; in diuidendo, aut partiendo aliquid amplectendum eſſe, quod ad rem *lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 35.*

ipſam non pertinet, aut aliquid quod pertinet prætereundum.

Hoc verum eſt, etiam ſi ea quę definiuntur, aut diſtribuuntur vera non ſint: nam & ipſum falſum definitur, cum dicimus, falſum eſſe ſignificationem rei non ita ſe habentis, vt ſignificatur. ſiue aliquo alio modo. Quæ definitio vera eſt, quamuis falſum, verum eſſe, nō poſſit. Poſſumus etiam diuídere, dicentes, duo eſſe genera falſi; Vnum eorum, quæ omnino eſſe non poſſunt, alterum eorum, quæ non ſunt, quamuis eſſe poſſint. Nam qui dicit ſeptem, & tria vndecim eſſe, id dicit quod omninò eſſe non poteſt: qui verò dicit Kalendis verbi gratia, Ianuarijs pluiſſe, tametſi factum non ſit, id tamen dicit, quod fieri potuerit. Definitio igitur,

&

& diuiſio falſorum poteſt eſſe veriſſima; quamuis falſa ipſa vtique vera non ſint.

Definitio nihil minus, nihil amplius cōtinet, quàm id quod ſuſceptum eſt explicandum, aliter omninò vitioſa eſt. Vtrum autem huiuſmodi vitijs careat, conuerſione exploretur, quod his exemplis tibi fiet apertius. Si enim me rogares, quid eſſet homo, & cum hoc modo definirem, homo eſt animal mortale, non continuo quia verum eſt, etiam definitionem probare deberes; ſed ſuperpoſita ei particula, id eſt, omnis, conuertere illam; & intueri, vtrum etiam conuerſa vera eſſet, hoc eſt, vtrum quemadmodum verum eſt, omnis homo animale mortale eſt, ita eſſet verum, omne animal mortale homo

ex libro de quātitate animæ cap. 25.

eſt, quo aliter inuento improbare definitionem propter illud vitium, quo aliena comprehendit. Non enim ſolus homo eſt animal mortale, ſed etiam, quæ vis beſtia.

Hæc igitur hominis definitio perfici ſolet, cum additur mortali rationale, nam homo eſt animal mortale rationale: atq; vt omnis homo animal rationale mortale eſt, ita omne animal rationale mortale homo eſt.

Plus continendo ergo ſuperior definitio vitioſa erat, beſtiam enim cum homine continebat: iſta perfecta eſt, nam & omnem hominem, & nihil plus quam hominem tenet. Tenendo autem minus, ita vitioſa eſt, ſi addes grammaticum: quanquam enim omne animal rationale mor-

mortale grammaticum, homo ſit, plures tamen homines qui grammatici non ſunt, hac definitione non continentur: & ob hoc iſta per primam illam propoſitionem falſa eſt, cum autem conuertitur vera. Falſum eſt enim, omnis homo animal rationale mortale grammaticum eſt: ſed verum eſt, omne animal rationale mortale grammaticum, homo eſt, quamuis minus contineat. Cum autem neque per primam propoſitionem, neque per conuerſionem enunciata vera eſt, his ſingulis eſt profecto vitioſior: vt ſunt iſtæ duæ, Homo eſt animal candidum: aut homo eſt animal quadrupes: nam eſt ſi dicas, omnis homo animal candidum eſt, aut animal quadrupes, falſum dicis, etiamſi conuertas. Sed hoc

inter ſe differunt, quod illa prima in aliquos homines cadit, nam pleriq; ſunt homines candidi: hæc altera in neminem, non enim priuſquã homo quadrupes: Hæc pro tempore ad explorandas definitiones didiceris, quemadmodum propoſitione atque conuerſione iudicentur. Sunt alia multa de hoc genere, quæ docentur, & verborum, plena, & tenebrarum, quæ paulatim vbi opportunum videbitur, conabor, vt diſcas.

SCHOLIVM.

Tempus eſt vt deſcendam ad ca propter, qua omnia ſupradicta hucuſque tractata ſunt ideſt ad illa, qua ſpectant ad modum ſciendi, quem ſupra ſtatui eſſe obiectum huius Philoſophia rationalis.

Eſt

Eſt igitur modus ſciendi oratio mentalis, ſeu cognitio quædam immediatè manifeſtatiua ignoti, nō quidem quomodocumq; (qua ratione qualibet cognitio pertrahit in notitiam ſui obiecti antea ignoti;) ſed comparatione ad aliā cognitionem; quæ circa idem obiectum obſcure, & indiſtinctè verſabatur. Propterea S. P. c. 8. de principijs Dialecticæ, ſupra relato rectè notauit, quod Impeditur Auditor ad veritatem videndam ex difficultate intelligentiæ, qua multa intelliguntur; quia in vno eodem verbo per ſe prolato magna eſt aut obſcuritas, aut ambiguitas. *Et aſſignans ibi differentiam inter obſcurum, & ambiguum* hoc intereſt (*ait*) quod in ambiguo plura ſe oſtendunt: quorum quid potius accipiendum ſit ignoratur. In

De modo ſciendi.

obſcuro autem nihil, aut parum quod attenditur apparet; Sed vbi parum eſt quod apparet, obſcurum eſt ambiguo ſimile, *huius igitur obſcuri quod parum apparet manifeſtatiuus, eſt ſciendi modus; nam audito hoc nomine homo, ſi nihil aliud de illo cognoſcatur, quam interior figura; parum apparet. Sed adhibita definitione manifeſtatur iam quid ſit illud quod apparebat parum per illam priorem notitiam; quod idem de alijs duobus ſciendi modis dicendum eſt.*

Tres communiter aſſignantur ſpecies modi ſciendi nempè Definitio, Diuiſio, & Argumentatio; hos tres modos recipit S. P. maxime lib. 2. de Doctrina Chriſtiana loco hic adducto, & locis infra cum de diſcurſu agam adducendis, & alibi ſæpè tamquam ſum-

De Speciebus Modi Sciendi.

me vtiles ad ſacrarum litterarum notitiam, tum ad penetrandos ſenſus, & ſoluendas quæſtiones, tum etiam ad reuincendos, & retundendos aduerſarios.

Definitio per Philoſoph: primo Topicorum c. 4. Eſt oratio, quod quid erat eſſe rei ſignificans, ideſt vt communiter explicatur, oratio explicans naturam, & quidditatem rei. Hoc eſt intelligendum non de definitione obiectiua, ſed de formali, quæ eſt actus intellectus, cui competit eſſe orationem explicantem rei quidditatem; Ad han quidditatem rectè explicandam duplex neceſſariò in definitione requiritur conceptus, alter genericus ſeu communis, proprius alter ſeu differentialis, qui communem quidditatiuum ad plura ſe extendentem ad certam, & determinatam naturam conſtringit, quod

De definitione.

quod oſtendit S. P. N. cum Adeodato lib. de quantit. animæ hic relato indicat qualiter deberet iudicare de bonitate definitionis per conuerſionem; & lib. decem Categoriarum c 9. cum ait. Vſia ſecundum artem definiri non poterat, quæ præcipit, vt definitio à genere ſumat exordium.

Duo modi inueſtigandi Definitionem.

Duo communiter aſſignantur modi inueſtigandi definitiones, alter eſt per reſolutionem, ſeu diuiſionem; ideſt quando accipitur ſupremum genus rei definiendæ, & eo vſque per eſſentiales differentias diuiditur, donec ad propriam differentiam rei definiendæ perueniatur.

Alter per compoſitionem, ſeu collectionem, quando accipiuntur inferiora rei definiendæ, & conſiderantur ea in quibus inter ſe conueniunt, & in quibus differunt,

runt, tunc relictis ijs in quibus differunt, aſſumuntur ea, in quibus conneniunt, quæ ſimul cum genere proximo dabunt illius rei definitionem eſſentialẽ quidem, ſi id in quo conueniunt illis competat eſſentialiter. Et hoc ſecundo modo vſus eſt S. P. dicto loco de Quantitate animæ, vt breuiori, & faciliori ad erudiendum Adeodatum.

Bonæ definitionis condiciones hæ ſunt 1. vt id per quod definitur ſit notius 2 nec latius aut anguſtius re deſinita pateat; 3 vt definitio ſit breuis, ea tamen breuitate, quæ nec lucem eripiat, nec obſcuritatem rei definiendæ offundat, ſiue igitur definitioni deſit quippiam, ſiuè abundet, fiet vtroq; vt à numero bonarum definitionum excludi debeat, & hoc totum breuiter inſinuat S. P. cum ait

Condiciones bonæ Definitionis.

ait Definitio nihil minus, nihil amplius cōtinet, quam id quod ſuſceptum eſt explicandum, aliter omninò vitioſa eſt.

Petes hic cur S. P. in definitione hominis addat mortale; cum tamen communiter in Scholis ponatur ſolum animal rationale, nullo verò modo apponatur mortale. Vnde videtur illa particula mortale redundare; ℞. *familiare fuiſſe SS.PP. antiquis vti hac definitione. Supponebant enim ex Philoſophia Platonis, Dæmones eſſe animalia aerea nobis præſtantiora ſenſibus, non verò ratione, quæ eſſent immortalia; Vndè & S. Greg. hom. 10. in Eu.* Iudeis tamquā ratione vtentibus rationale animal ideſt Angelus prædicare debuit, *& ideò ad eorum differentiam apponebant illam particulam mortale. Verum* hac

hoc poſtea lib. p. retract. c. 26. ad q. 67. tamquam audacius à ſe dictum retractauit, his verbis; Quod dixi ſpiritaliter ſummos angelos viuere, infimos verò animaliter, audacius dictum eſt de infimis; quam vt poſſit vel ſcripturis Sanctis, vel ipſis rebus oſtendi: *Et ideò implicitè neceſſario cenſenda eſt etiam illa particula mortale retractata.*

Hic etiam breuiter aduerto ex mente S. P. Noſtri, quod licet quandoque definitio tradi non poſſit per genus, & differentiam, quod eſt definire ſecundum artem, vt loquitur idem S. P. cap. 9. de Categ. ſufficit eam aſſignare per conceptum communem pluribus, & per alterum determinatũ eius rei cuius eſſentia explicatur; Vnde eſto ipſe ibi dixiſſet, ſubſtantiam ſecundum artem non poſſe Definitiones quædã non conſtant genere, & differentia.

defi-

definiri , eo quod ſupra ſe non habeat genus, infra tamen ait . Decurſis partibus per quas Vſia definita eſt, & alio modo voluit eam definire, ſi oſtenderet ea quę neceſſe eſt in ea naturaliter inueniri . *Verum tamen eſt , quod hæ definitiones , quæ non dantur per genus , & differentiam communius , & vſitatius . Deſcriptiones , ſiuè definitiones deſcriptiuæ nuncupantur . Propterea idem S. P. infra in eodem capite de ſubſtantia loquens de his definitionibus Vſiæ ait .* Deſcripta igitur Vſia quoniam definiri non poterat propter eas cauſas quas ſuperius memoraui &c. *per quæ patet eum cenſeri non eſſe abſolutè eas orationes , quæ non conſtant genere , & differentia appellandas definitiones ; ſed vel deſcriptiones ; vel definitiones deſcriptiuas .*

De diuiſione apud S. P. N. reperio tantum approbationem, & exercitium tum locis hic in textu, tum; etiam in libris Categoriarũ propterea preſſe hic eius quidditatem, & condiciones explico.

Diuiſio ſic dicta eſt à ſimilitudine phyſicæ diuiſionis, & definitur communiter oratio qua totum in ſuas partes diuiditur, ſiuè Conceptus manifeſtans obiecti eſſentiam per partes; Diuiſio ſic explicata tam multiplex eſt, quam multiplicia ſunt totorum genera, quæ per ipſam in ſuas quaq; partes diuiduntur. Quid ſit Diuiſio Logica.

Ad diuiſionis ſufficientiam, & exactam perfectionem, hæc requiruntur 1. *vt ſingula membra ſeorſim accepta à diuiſo ſuperentur, ſimul verò ſumpta non ſuperent, ſed adæquent diuiſum vt patet in ea diuiſione quam fecit S. P.*

de

de falſo; in falſum cuius obiectum eſſe potuit, & in falſum cuius obiectum eſſe non potuit, nec poteſt; quæ membra adæquant totum diuiſum, & nihil amplius continent hæ duæ partes, quam ipſum totum. 2. requiritur, vt fiat per proxima ac immediata membra, quantum fieri poteſt. 3. ne vna tantum pars in diuidendo explicetur, reliquæ verò negatione perſtringantur. 4. vt membra diuidentia ſaltem ratione formali ſint oppoſita, & ita ſe habeant, vt nullũ in alio, aut ſub alio coerceatur.

Quæri hic ſolet in quo differat diuiſio à definitione. ℞. in eo differre, quod diuiſio rationis communis in ſua inferiora quæ dicitur diuiſio Logica, non eſt definitio illius rationis communis, ſed eſt definitio membrorum diuidentium; Et hinc eſt quod circa

ex-

extrema diuidentia diuiſio Logica, & extremorum definitiones ad inuicem non diſſident; quia tamen comparatio partium debet fieri ad diuiſum, abſolutè, & abſque moderatione loquendo dicenda eſt diuiſio ſciendi modus à definitione diſtinctus.

COROLLARIVM.

HAbetur igitur 1. modũ ſciẽdi in communi ſumpũm rectè definiri, quod ſit cognitio quædam immediatè ignoti manifeſtatiua; per ly ignotum intellige comparatiuè ad aliam cognitionem, qua idem obiectum obſcurè cognoſcebatur. 2 rectè modum ſciendo diuidi etiam S. P. N. adæquatè in tres ſpecies nempè definitionem, diuiſionem, & argumentationem, quarum leges, & condiciones S. P. approbat locis adductis, & adducendis.*

PRÆ-

PRÆLVDIVM.

Ad ea quæ ſpectant ad tertiam Mentis Operationem.

EA quæ ſpectant ad tertiam mentis operationem complexus eſt Philoſophus libris Priorum, & ſequentibus vſque ad finem ſui Organi, cum quo & nos apponendo ea quæ ipſe docuit, & S. P. N., ſuppoſuit, approbauit, & indicauit, abſoluemus ea quæ ſpectant ad poſtremas partes huius Philoſophiæ rationalis.

De Reſolutione.

Inſcripſit Philoſophus primos duos libros in quibus incipit agere de diſcurſu, & argumentatione; ſicut etiam duos ſequentes in qui-

quibus de demonſtratione potiſſima argumentationis ſpecie ex profeſſo tractat. ἀναλυτικά *ideſt reſolutoria denominatione ducta ab* ἀναλύσει *, quæ in communi appellatur rei alicuius in ſuas partes, & principia reſolutio. Cum verò duplex ſit reſolutio ideſt phyſica materialis ſeu externa vna, qua res ſenſibilis in ſuas partes diuiditur. Altera mentalis ſeu interna, qua aliquid prius confuſè cognitum cognitione diſtincta poſtea intellectus percipit, & in ſua principia quodammodo reſoluit, hic non de priori ſed de hac poſteriori analyſi tantum agitur.*

Docetur verò hic reſoluere ſyllogiſmum in ſua principia non quomodocumque; ſed eo modo quo reſoluatur quæſtio propoſita, ideſt inueniatur medium, quo quæſtio pro-

propoſita probetur; hæc inueſtigatio ſiue medij inuentio à Mathematicis appellatur reſolutio, ſicut diſcurſus ille, quo ex medio inuento demonſtrantur propoſitum problema, ſeu theorema vocatur compoſitio.

Vocantur verò duo primi libri de priori analyſi, hoc eſt conſequentiæ; eo quod docent rationem reſoluendi quamcumque conſequentiam, ſeu formam argumentandi, ideſt inueſtigandi, & inueniendi medium, quo oſtendi poſsit an ſyllogiſmus, ſeu forma argumentandi propoſita bona ſit nec ne. Poſteriores verò duo quia docent rationem reſoluendi quæſtionem, ſeu conſequens ratione materiæ, ideſt inueſtigandi, & inueniendi medium, quo oſtendi poſſit, an quæſtio propoſita ſit in materia neceſſaria, nec ne; inſcri-

buntur libri de poſteriori analyſi ideſt conſequentis. De ſyllogiſmo igitur, & alijs ſpeciebus argumentationis ſecūdum rectum naturæ, & doctrinæ ordinem, quem Philoſophus tenuit; & S.P. approbauit deinceps agemus; ſed prius, quid S.P. N. in hac materia dicat, videamus; ſit ergo.

DE DISCVRSV, ET ARGVMENTATIONE.

CAPVT VIGESIMVM.

TEXTVS.

DIſputationis diſciplina[a] ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt penetranda, & diſſoluenda, plurimum valet: tantum ibi cauenda eſt libido rixandi, & pueriliſ quædam oſ-

[a] *ex lib. 2. c. 31. de Doctrina Chriſtiana.*

tentatio decipiendi aduerſarium.

b ex lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 32.

b Ipſa tamen veritas connexionum non inſtituta, ſed animaduerſa eſt ab hominibus, & notata, vt eam poſſint, vel diſcere, vel docere. Nam in rerum ratione perpetua, & diuinitus inſtituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non cum ipſe componit: & locorum ſitus aut naturas animalium, vel ſerpentium, vel lapidum qui oſtendit, non res oſtendit ab hominibus inſtitutas: & ille qui demonſtrat ſydera, eorumq; motus, non à ſe, vel ab homine aliquo rem iuſtitutam demōſtrat: ſic etiam qui dicit, cum falſum eſt quod conſequitur, neceſſe eſt vt falſum, ſit quod præcedit, veriſſimè dicit, neque ipſe facit, quod ita ſit, ſed tamen ita eſſe de-

demonſtrat. Ex hac regula illud eſt, quod de Apoſtolo Paulo commemorauimus: præcedit enim, non eſſe reſurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem deſtruere volebat Apoſtolus. Porrò illam ſententiam præcedentem, qua dicebant, non eſſe reſurrectionem mortuorum, neceſſariò ſequitur, Neque Chriſtus reſurrexit. Hoc autem quod ſequitur, falſum eſt, Chriſtus enim reſurrexit. Falſum eſt ergo, & quod præcedit. Præcedit autem, non eſſe reſurrectionem mortuorum; Eſt ergo reſurrectionem mortuorum. Quod totum breuiter ita dicitur. Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit: Chriſtus autem reſurrexit, eſt igitur reſurrectio mortuorum. Hoc

ergo vt conſequenti ablato, auferatur etiam neceſſariò, quod præcedit, non inſtituerunt homines, ſed oſtenderunt. Et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem ſententiarum. c
c *ibid. cap* 33. Sed in hoc loco de reſurrectione cum ageretur, & regula connexionis vera eſt, & ipſa in concluſione ſententia. In falſis autem ſententijs, connexionis veriſtas eſt iſto modo. Faciamus aliquem conceſſiſſe, ſi animal eſt cochlea, vocem habet. Hoc conceſſo cum probatum fuerit, vocem cochleam non habere, quoniam conſequenti ablato, illud quod præcedit, aufertur, concluditur, non eſſe animal cochleam.

Quæ, ſententia falſa eſt, ſed ex conceſſo falſo vera eſt conclu-

cluſionis connexio.

Veritas itaque ſententiæ per ſeipſam valet, veritas autem connexionis ex eius cum quo agitur opinione, vel conceſſione conſiſtit. Ideo autem, vt ſupra diximus, infertur vera connexione, quod falſum eſt, vt eum, cuius errorem corrigere volumus, pæniteat conceſſiſſe præcedentia, quorum conſequentia videt eſſe reſpuenda. Iam hinc intelligere facilè eſt, ſicut in falſis ſententijs veras, ſic in veris ſententijs falſas cõcluſiones eſſe poſſe. Fac enim aliquem propoſuiſſe. Si iuſtus eſt ille, bonus eſt, & eſſe conceſſum. Deindè aſſumpſiſſe, non eſt autem iuſtus. Quo item conceſſo, intuliſſe concluſionem; Non eſt igitur bonus. Quæ tametſi vera ſunt omnia, non eſt

tamen vera regula concluſionis. Non enim ſicut ablato conſequenti aufertur neceſſario, quod præcedit, ita etiam ablato præcedenti aufertur neceſſario, quod conſequitur: quia verum eſt cum dicimus. Si orator eſt, homo eſt. Ex qua propoſitione ſi aſſumamus, Non eſt autem orator, non erit conſequens, cum intuleris, Non eſt igitur homo.

d ibidem c. 34. lib. 2.

d Quapropter aliud eſt noſſe regulas connexionum, aliud ſententiarum veritatem. In illis diſcitur, quid ſit conſequens, quid non conſequens, quid repugnans. Conſequens eſt, Si orator eſt, homo eſt. Inconſequens, Si homo eſt, orator eſt. Repugnans, Si homo eſt, quadrupes eſt. Hic ergo de ipſa connexione iudicatur. In veri-

tate

tate autē ſententiarum ipſæ per ſe ſententiæ, non earum connexio conſideranda eſt: ſed veris certiſque ſententijs, cum incertæ vera connexione iunguntur, etiam ipſæ certæ fiant neceſſe eſt. Quidam autem ſic ſe iactant, cum veritatem connexionum didicerint, quaſi ſententiarum ipſa ſit veritas. Et rurſus, quidam plerumq; retinentes veram ſententiam, malè ſe contemnunt, quia leges concluſionis ignorant: cum melior ſit, qui nouit eſſe reſurrectionem mortuorum, quam ille qui nouit, conſequens eſſe, vt ſi reſurrectio mortuorum non eſt, neq; Chriſtus reſurrexit.

Illa verò concluſionum, & definitionum, & diſtributionū (*ſcientia*) plurimum intellectorem adiuuat: tantum abſit *ibidem. c. 38. lib. 2.*

error, quo videntur homines ſibi ipſam beatæ vitę veritatem didiciſſe, cum iſta didicerint: quanquam plerumque accidat, vt facilius homines res eas aſſequantur, propter quas aſſequendas iſta dicuntur, Tanquam ſi quiſpiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe leuandum pedem poſteriorem, niſi cũ poſuerit priorem, deinde minutatim quemadmodum articulorum, & poplitũcardines opporteat mouere, deſcribat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari poteſt: ſed facilius homines hoc faciendo ambulant, quam animaduertunt, cum faciunt, aut intelligunt, cum audiunt. Qui autem ambulare non poſſunt, multo minus ea curant, quæ nec experiendo poſſunt attendere. Itaque

quę plerumque citius ingenioſus videt, non eſſe ratam concluſionem, quam præcepta eius capit: tardus autem non eam videt, ſed multo minus quod de illa præcipitur. Magiſque in his omnibus ipſa ſpectacula veritatis ſæpe delectant, quam ex eis in diſputando; aut iudicando adiuuamur, niſi forte quod exercitatiora ingenia ſi etiam maligniora aut inflatiora non reddant: hoc eſt, vt aut decipere veri ſimili ſermone, aut interrogationibus ament, aut aliquid magnum, quo ſe boni, atque innocentibus anteponant, ſe aſſecutos putent, qui iſta didicerunt.

S C H O L I V M.

I*Ndicat hic S. P. vtilitatem, & dignitatem huius partis Philoſo-*

loſophiæ rationalis; Vtilitatem maximam cum ait. Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris Sãctis ſunt penetranda plurimum valet. *Dignitatem verò aperit cum dicit.* Ipſa veritas connexionum non inſtituta, ſed animaduerſa eſt ab hominibus, & notata, vt eam poſſint, vel diſcere, vel docere. Nam eſt in rerum ratione perpetua, & Diuinitus inſtituta; *Si igitur diuinitus inſtituta maxima excellentia; ſi plurimum valet ad penetranda omnia genera quæſtionum in Sãctis litteris, ſumma vtilitate prædita eſt; Vndè immerito à quibuſdam reÿcitur, & maximè ab hæreticis, tamquam inutilis ſuperflua, & ſolum ad decipiendum vt ipſi dicunt conducens. Cum iudicio Tanti Patris, & Doctoris eo*

Dignitas, & Vtilitas huius partis Logicæ.

vſque.

vſque conducat ad intelligendas ſacras ſcripturas. Hoc in ea cauendum quod ſapientiſſime monet ibi S. P. ne adſit libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. *quibus poſitis.*

Dico primo tertiam ſpeciem modi ſciendi eſſe argumentationem. Continetur verò argumentatio ſub conſequentia tamquam ſub genere. Conſequentia eſt oratio in qua aliquid ex aliquo colligitur; Et alia quidem eſt bona, & eſt quandò in ea aliquid rectè, & verè colligitur. Vitioſa altera, ſi nec rectè, nec verè aliquid ex alio inferatur. Ad dignoſcendam bonam conſequentiam à vitioſa duę communiter aſſignantur regulæ. Prima ſi ex veritate antecedentis ſequitur veritas conſequentis; Secunda ſi id quod repugnat conſe- Quomodo conſequentia ſe habeat in ordine ad Argumentationē.

quenti repugnet etiam anteceden-ti, tunc eſt bona conſequentia; aliter eſt vitioſa. Vtramque regulam indicauit hic S. P. primam cum ait, qui dicit, cũ falſum eſt, quod conſequitur, neceſſe eſt, vt falſum ſit, quod præcedit, veriſſima dicit. *Oſtendit enim hic in bona conſequentia falſitatem conſequentis ſequi neceſſariò ex falſitate antecedentis; & viceuerſa veritatem conſequentis procedere ex veritate antecedentis. Secundam regulam ſic proponit infra, cum ait.* Non enim ſicut ablato conſequenti aufertur neceſſario quod præcedit: ita etiam ablato præcedenti aufertur neceſſario, quod conſequitur *aufertur enim conſequens vel antecedens ponendo id quod ei repugnat, quod pulchre explicat cum ait*. Quia verum eſt cum dicimus, Si ora-

tor eſt, homo eſt ex qua propoſitione ſi aſſumatur, non eſt autem orator; non erit conſequēs, cum intuleris, non eſt igitur homo, *ratio huius eſt quia licet in bona conſequentia, quod repugnat conſequenti, repugnat etiam antecedenti, non tamen vice verſa quidquid repugnat antecedenti, repugnat etiam conſequenti.*

Bona conſequentia ſubdiuiditur in formalem, & materialem. **Diuiſio conſequentiæ** *Materialis eſt quæ concludit vi materiæ, ideſt cuius forma in certa aliqua materia colligit verum, ſed variata materia nihil efficit. Vt oſtendit S. P. l. c.* cum ait ſicut in falſis ſententijs veras; ſic in veris ſententijs falſas concluſiones (*ideſt non bonas, & ſolum materiales*) *eſſe poſſe quod clarè oſtendit illi duobus Syllogiſmis, quorum primus eſt,* ſi iuſtus

eſt

eſt ille &c. *ſecundus verò* ſi Orator eſt homo. eſt &c. *in quibus non ſemper colligitur ex veris præmiſſis vera Concluſio eſto ſic, idem modus colligendi, & ideò cum verum colligitur in hac diſpoſitione, eſt ſolum vi materiæ, & ideo eſt ſolum conſequentia materialis. Formalis eſt, quæ vi formæ concludit, quando ſcilicet eodem modo colligendi ſeruato cuicumque materiæ applicetur rectè apteque concluditur, hoc etiam aperuit S. P. cum ait.* Ex conceſſo falſo vera eſt concluſionis cõnexio. Veritas itaq; ſententiæ per ſe ipſam valet: veritas autem connexionis ex eius cum quo agitur opinione, vel connexione conſiſtit. Ideo autem vt ſupra, diximus infertur vera connexione, quod falſum eſt, *quod eſt idem ac dicere*

quod.

quod in conſequentia formali ſemper rectè concluditur; nec poteſt conceſſis præcedentibus, negari conſequentia: eſto propoſitio, quæ eſt ſub illa conſequentia, ſit in ſe falſa; nihilominus quia poſitis illis ſiuè abſolutè, ſiuè ex hypotheſi, & conceſſione, neceſſario ſequitur talis conſequentia; idcirco rectè dicitur à S. P. quod infertur vera connexione, quod falſum eſt, quod non contingit in conſequentia materiali.

Dico ſecundo argumentationem fuiſſe ita appellatam ab argumento quod ab aliquibus mens, & anima illius appellatur. Eſt vero argumentum medium illud, quo arguitur, id eſt conuicitur mens ad aſſentiendum conſequentiæ. Argumentatio verò ſolet deſcribi, oratio in qua ex argumento explicato altera pars quæſtionis conclu-

cluditur. Fuit ſubdiuiſa argumentatio à Philoſopho quandoque in quattuor genera. Syllogiſmum videlicet inductionem, Enthymema, & exemplum; Quandoq; vero in duo tantum ſyllogiſmum ſcilicet, & inductionem, eo quod Enthymema ſit ſyllogiſmus imperfectus, & exemplum inductio imperfecta.

Syllogiſmus tãtum eſt argumentatio formalis.

Dico tertio ex his argumentationis ſpeciebus ſyllogiſmum ſolum inter argumentationes formales eſſe reponendum; cæteras argumentationis ſpecies ſi ſpectentur ſecundum quod à ſyllogiſmo differunt à claſſe conſequentiarum formalium omninò eſſe excludendas. Ratio eſt manifeſta nam formalis argumentatio exigit, vt nullus terminus ſit in conſequente qui in antecedente non fuerit, & præterea in anteceden-

te

te aliquem terminum dari, qui in conſequente non admittatur; hoc totum aut in ſolo ſyllogiſmo, vel ſi in alijs, hoc eſt quatenus ad ipſum reuocantur.

Dico quarto diſcurſum (cuius vis maximè in argumentatione, & ſyllogiſmo elucet) non eſſe propriè vnius cognitionem in alio, ſiuè per aliud, hoc enim, & ſimplici apprehenſioni competere poteſt, cui non competit diſcurrendi facultas; neque eſſe propriè cognitionem vnius poſt aliud ſolum, hoc eſt poſt quamcumque cognitionem, nam & id eſt etiam in pluribus intelligentijs ſimplicibus, & in multis actibus iudicatiuis, in quibus tamen tertia intellectus operatio, (cui ſoli diſcurſus conceditur) non reperitur; ſed eſſentialiter conſiſtere in aſſenſu, ſiuè diſſenſu circa aliquod obiectum de- De Diſcurſu.

dependenter ab alio aſſenſu ſiuè diſſenſu circa aliud obiectum; nomen deſumpſiſſe, fert communis Philoſophorum ſententia, ex eo quod imitatur motum animalis; in diſcurſu enim intellectus ex vna cognitione tamquam à termino à quo procedit ad aliam cognitionem tamquam ad terminum ad quem dependenter tamen à præcedente, quam etiam retinere debet, & in hoc differt à motu locali, quo animal procedens ad terminum ad quem neceſſariò derelinquit terminum a quo. Diſcurſus iſte rectificatur à Logica ſuis regulis vt inſinuat etiam S. P. N. lib. 3. contra Academicos cum ait Docuit me *(ideſt dialectica de qua ibi loquitur)* ſi cuius eorum, quæ per connexionem modo propoſui pars antecedens aſſumpta fuerit, trahere neceſſario,

riò id, quod annexum eſt &c.

Dico quinto principaliorem ſpeciem diſcurſus eſſe ſyllogiſmũ, cuius eſſentiam declarat Philoſophus, cum ait, ſyllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quiddam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò euenit, eo quod hæc ſunt. Illa quæ ponuntur, ſunt duæ propoſitiones enunciatiuæ, illud autem, quod neceſſariò ſequitur eſt illatio, quæ conceſſis præmiſſis neceſſariò concedenda eſt, vbi fuerint rectè diſpoſiti, & collocati termini. Principalior ſpecies Diſcurſus.

Difficultas hic eſt qua neceſſitate teneatur intellectus ad aſſentiendum concluſioni, poſtquam aſſenſum præbuit præmiſſis; an ſcilicet neceſſitetur quoad ſpeciem ſolum, an verò etiam quoad exercitium; in qua difficultate omnes conueniunt, intellectum habentem Qua neceſſitate teneatur intellectus aſſentiri Concluſioni datis præmiſſis.

ſuffi-

neri etiam quoad exercitium elicere actum aſſenſus circa concluſionem; comparant enim potentiā intellectiuam in hoc ſtatu conſtitutam potentiæ viſiuæ, quæ ſit cum omnibus requiſitis ad videndum, quam certum eſt non poſſe ſuſpendere actum viſionis. Verum exiſtimo eſſe latum diſcrimen inter actum potentiæ viſiuæ, & hunc actum aſſenſus potentiæ intellectiuæ; illa enim eſt vna ex potentijs, quæ poſitis omnibus requiſitis non ſubiacet amplius imperio voluntatis in ſuis actibus. At verò potentia intellectiua in ſuis actibus ſicut admittit conſultationem ſic etiam poteſt pro ſuo libito elicere, vel non elicere aſſenſum circa ea, de quibus poteſt dubitare, & conſulere; Propterea non video cur etiam datis præmiſſis non poſſit dubitare de earum veritate; vel

de

de fallacia, & ita ſuſpendere aſſenſum circa concluſionem, donec diligenter perſpexerit quid lateat in ijs, quæ conceſſit; Et ſi in pluribus alijs actibus ſubiacet liberæ voluntatis determinationi, cur nõ etiam in iſto; hãc doctrinam mihi videtur inſinuaſſe S. P. ibi in l. c. cum ait. Ideo autem vtſupra diximus, infertur vera connexione quod falſum eſt: vt eum cuius errorem corrigere volumus pæniteat conceſſiſſe præcedentia, quorum conſequentia videtur eſſe recipienda; *vnde ſi admittit dari pænitentiam de conceſſione præcedentium, quando videtur, ex illis ſequi aliquod magnum inconueniens, vt in exemplo ſupra allato in quo ex datis præmiſſis ſequebatur, Cochleam non eſſe animal, eam ponit ſuſpenſionem aſſenſus circa concluſionem*

ſionem donec clarius perſpiciatur quid lateat in præmiſſis.

Dico ſexto Syllogiſmi quidditatem non conſiſtere nec in ſola conſequentia, nec in ſolis præmiſſis; ſed requirere eſſentialiter tam præmiſſas quam concluſionem non aliter ac totum ſuas partes; Ea propter ſicut totum abſq; ſuis partibus dari nequit; ita nec ſyllogiſmus ſine præmiſſis, & ſine conſequentia ſimul connexis, & ex his vna adæquata ratio modi ſciendi conflatur; ſine quibus omnes perfectiones ſibi debitas habere non poteſt; hoc indicat etiam S. P. cum appellat hic ſyllogiſmum regulam connexionis, & ad hanc regulam requirit quod aliæ ſententię præcedant, & aliqua conſequatur.

Quid ſit ſyllogiſmus.

Dico ſeptimo; materiam ſyllogiſmi eſſe duplicem, remotam vnam,

vnam, proximam alteram. Proxima ſunt propoſitiones ex quibus conſurgit, & ſecundum quod hæ propoſitiones differunt inter ſe ſic diuerſificantur ſyllogiſmi; Nam ex propoſitionibus neceſſarijs, quæ euidentem veritatem continent ſyllogiſmus demonſtratiuus exoritur; Ex propoſitionibus verò ad veritatem, & falſitatem ita propenſis, vt in neutram partem neceſſariò inclinent; Topicus ſyllogiſmus conſtruitur. Ex propoſitionibus verò quæ apertam falſitatem præſeferunt, Sophiſticus conflatur.

De Materia Syllogiſmi tam remota, quam Propinqua.

Dubium hic inſurgit; an ex propoſitionibus manifeſtè falſis, quæ tamen ſint rectè, & aptè diſpoſitæ reſultet re vera ſyllogiſmus illatiuus nec ne; alij affirmant, alij negant; quæſtionem arbitror eſſe de voce; quę videtur ſic poſſe componi

nique figura maius extremum eſt quod a medio longius, minus autem quod proximius. Hæc S. P., & alia huiuſmodi ſuppoſuit iam luculenter, & ſufficienter explicata à Schola Peripatetica; ideò ſolum meminit eorum nominum, quibus oratores vtuntur in aſſignandis locis propoſitionibus, quas in ſyllogiſmo diſponunt; maiorem enim appellant propoſitionem; minorem Aſſumptionem, & vltimam concluſionem vt nos; nam in aſſignandis propoſitionibus cuiuſdam ſyllogiſmi, qui non erat in forma ait. Fac enim aliquem propoſuiſſe. Si iuſtus eſt ille, bonus eſt; deinde aſſumpſiſſe, non eſt autem iuſtus; quo item conceſſo intuliſſe concluſionem Ecce per ly propoſuiſſe inſinuata propoſitio ſeu maior, & per ly aſſumpſiſſe inſinuata aſſumptio ſeu minor. Ma-

Materia remota ſyllogiſmi ſunt termini, ex quibus propoſitiones componuntur; ſubiectum ſcilicet, & prædicatum; hi termini numerum ternarium attingere, & non excedere in recta ſyllogiſmi constructione debent; ſed ſinguli bis ſunt ponendi, ita tamen vt ille qui medius terminus nūcupatur, ſemper maneat exul à concluſione; alij duo maior ſcilicet, & minor extremitas in præmiſſis pro varietate formæ ſyllogiſticæ proprium locum (vt mox dicetur) obtinere debent.

Dico octauo formam ſyllogiſticam eſſe præmiſſarum ad aliquid concludendum accomodatam diſpoſitionem, ideſt aptam prædicationem, & ſubiectionem extremorum inter ſe, & cum medio, quę pro varia diſpoſitione medij termini à Peripateticis triplex com- De forma Syllogiſtica.

eſt ille &c. *ſecundus verò ſi* Orator eſt homo. eſt &c. *in quibus non ſemper colligitur ex veris præmiſſis vera Concluſio eſto ſic, idem modus colligendi, & ideò cum verum colligitur in hac diſpoſitione, eſt ſolum vi materiæ, & ideo eſt ſolum conſequentia materialis. Formalis eſt; quæ vi formæ concludit, quando ſcilicet eodem modo colligendi ſeruato cuicumque materiæ applicetur rectè apteque concluditur, hoc etiam aperuit S. P. cum ait.* Ex conceſſo falſo vera eſt concluſionis cõnexio. Veritas itaq; ſententiæ per ſe ipſam valet: veritas autem connexionis ex eius cum quo agitur opinione, vel connexione conſiſtit. Ideo autem vt ſupra, diximus infertur vera connexione, quod falſum eſt, *quod eſt idem ac dicere*

quod

quod in conſequentia formali ſemper rectè concluditur; nec poteſt conceſſis præcedentibus, negari conſequentia: eſto propoſitio, quæ eſt ſub illa conſequentia, ſit in ſe falſa; nihilominus quia poſitis illis ſiuè abſolutè, ſiuè ex hypotheſi, & conceſſione, neceſſario ſequitur talis conſequentia; idcircò rectè dicitur à S. P. quod infertur vera connexione, quod falſum eſt, quod non contingit in conſequentia materiali.

Dico ſecundo argumentationem fuiſſe ita appellatam ab argumento quod ab aliquibus mens, & anima illius appellatur. Eſt vero argumentum medium illud, quo arguitur, ideſt conuicitur mens ad aſſentiendum conſequentiæ. Argumentatio verò ſolet deſcribi, oratio in qua ex argumento explicato altera pars quæſtionis conclu-

cluditur. Fuit ſubdiuiſa argumentatio à Philoſopho quandoque in quattuor genera. Syllogiſmum videlicet inductionem, Enthymema, & exemplum; Quandoq; vero in duo tantum ſyllogiſmum ſcilicet, & inductionem, eo quod Enthymema ſit ſyllogiſmus imperfectus, & exemplum inductio imperfecta.

Syllogiſmus tãtum eſt argumentatio formalis.

Dico tertio ex his argumentationis ſpeciebus ſyllogiſmum ſolum inter argumentationes formales eſſe reponendum; cæteras argumentationis ſpecies ſi ſpectentur ſecundum quod à ſyllogiſmo differunt à claſſe conſequentiarum formalium omninò eſſe excludendas. Ratio eſt manifeſta nam formalis argumentatio exigit, vt nullus terminus ſit in conſequente qui in antecedente non fuerit, & præterea in anteceden-

te

te aliquem terminum dari, qui in conſequente non admittatur; hoc totum aut in ſolo ſyllogiſmo, vel ſi in alijs, hoc eſt quatenus ad ipſum reuocantur.

Dico quarto diſcurſum (cuius vis maximè in argumentatione, & ſyllogiſmo elucet) non eſſe propriè vnius cognitionem in alio, ſiuè per aliud, hoc enim, & ſimplici apprehenſioni competere poteſt, cui non competit diſcurrendi facultas; neque eſſe propriè cognitionem vnius poſt aliud ſolum, hoc eſt poſt quamcumque cognitionem, nam & id eſt etiam in pluribus intelligentijs ſimplicibus, & in multis actibus iudicatiuis, in quibus tamen tertia intellectus operatio, (cui ſoli diſcurſus conceditur) non reperitur; ſed eſſentialiter conſiſtere in aſſenſu, ſiuè diſſenſu circa aliquod obiectum de- De Diſcurſu.

dependenter ab alio aſſenſu ſiuè diſſenſu circa aliud obiectum; nomen deſumpſiſſe, fert communis Philoſophorum ſententia, ex eo quod imitatur motum animalis; in diſcurſu enim intellectus ex vna cognitione tamquam à termino à quo procedit ad aliam cognitionem tamquam ad terminum ad quem dependenter tamen à præcedente, quam etiam retinere debet, & in hoc differt à motu locali, quo animal procedens ad terminum ad quem neceſſariò derelinquit terminum a quo. Diſcurſus iſte rectificatur à Logica ſuis regulis vt inſinuat etiam S. P. N. lib. 3. contra Academicos cum ait Docuit me *(ideſt dialectica de qua ibi loquitur)* ſi cuius eorum, quæ per connexionem modo propoſui pars antecedens aſſumpta fuerit, trahere neceſſario,

riò id, quod annexum eſt &c.

Dico quinto principaliorem ſpeciem diſcurſus eſſe ſyllogiſmũ, cuius eſſentiam declarat Philoſophus, cum ait, ſyllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quiddam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò euenit, eo quod hæc ſunt. Illa quæ ponuntur, ſunt duæ propoſitiones enunciatiuæ, illud autem, quod neceſſariò ſequitur eſt illatio, quæ conceſſis præmiſſis neceſſariò concedenda eſt, vbi fuerint rectè diſpoſiti, & collocati termini. Principalior ſpecies Diſcurſus.

Difficultas hic eſt qua neceſſitate teneatur intellectus ad aſſentiendum concluſioni, poſtquam aſſenſum præbuit præmiſſis; an ſcilicet neceſſitetur quoad ſpeciem ſolum, an verò etiam quoad exercitium; in qua difficultate omnes conueniunt, intellectum habentem Quaneceſſitate teneatur intellectus aſſentiri Concluſioni datis præmiſſis.

ſuffi-

ſufficientem facultatem ad præſtandum aſſenſum, ita neceſſitari quoad ſpeciem, vt in oppoſitum à libero arbitrio trahi nequeat; poſtquam enim aſſentitus eſſe præmiſſis rectè diſpoſitis ita neceſſario coniungitur conſequens cum illis vt ſicut illæ non poſſunt eſſe ſine iſto ſic potentia intellectiua videns connexionem, clarè percipit dato quod illæ ſint ita vt ipſa dedit, non poſſe non ſequi illud quod eſt in conſequenti; & ideò ſi vult præbere aſſenſum vi connexionis non poteſt ſi ambabus prioribus aſſenſũ dedit eſt concluſioni diſſentiri. Et hoc verum eſt etiam ſci ſententiæ poſitæ, pro præmiſſis in ſe eſſent falſæ, vt notauit S.P. cum dixit vt in T. litt. c. In falſis autem ſententijs veritas connexionis eſt iſto modo; faciamus aliquem conceſſiſſe: ſi Ani-

Animal Cochlea eſt, vocem habet. Hoc conceſſo cum probatum fuerit vocem Cochleam non habere: quoniam conſequenti ablato illud quod præcedit aufertur: concluditur, non eſſe animal Cochleam; quæ ſententia falſa eſt, ſed ex conceſſo falſo vera eſt concluſionis connexio. h. 1., *quibus verbis clarè oſtendit, ita eſſe connexam hanc conſequentiam cum præmiſſis, vt qui conceſſit illas tamquam veras ſi vult aſſentiri, ſiuè elicere actum intellectus circa concluſionem non poſſit elicere alium actum quam actum aſſenſus quamuis in ſe ſit ſententia falſa; quia vera eſt ideſt bona connexio concluſionis. De neceſſitate exercitij eſt maior difficultas. Nam plures, & quidem claſſici Doctores cenſent potentiam intellectiuam teneri*

neri

neri etiam quoad exercitium eli-
eere actum aſſenſus circa conclu-
ſionem; comparant enim potentiā
intellectiuam in hoc ſtatu conſti-
tutam potentiæ viſiuæ, quæ ſit cum
omnibus requiſitis ad videndum,
quam certum eſt non poſſe ſuſpen-
dere actum viſionis. Verum exiſ-
timo eſſe latum diſcrimen inter
actum potentiæ viſiuæ, & hunc
actum aſſenſus potentiæ intellec-
tiuæ; illa enim eſt vna ex poten-
tijs, quæ poſitis omnibus requiſitis
non ſubiacet amplius imperio vo-
luntatis in ſuis actibus. At verò
potentia intellectiua in ſuis acti-
bus ſicut admittit conſultationem
ſic etiam poteſt pro ſuo libito eli-
cere, vel non elicere aſſenſum cir-
ca ea, de quibus poteſt dubitare, &
conſulere; Propterea non video
cur etiam datis præmiſſis non poſſit
dubitare de earum veritate; vel

de

de fallacia, & ita ſuſpendere aſſenſum circa concluſionem, donec diligenter perſpexerit quid lateat in ijs, quæ conceſſit; Et ſi in pluribus alijs actibus ſubiacet liberæ voluntatis determinationi, cur nõ etiam in iſto; hãc doctrinam mihi videtur inſinuaſſe S. P. ibi in l. c. cum ait. Ideo autem vt ſupra diximus, infertur vera connexione quod falſum eſt: vt eum cuius errorem corrigere volumus pæniteat conceſſiſſe præcedentia, quorum conſequentia videtur eſſe recipienda; *vnde ſi admittit dari pænitentiam de conceſſione præcedentium, quando videtur, ex illis ſequi aliquod magnum inconueniens, vt in exemplo ſupra allato in quo ex datis præmiſſis ſequebatur, Cochleam non eſſe animal, eam ponit ſuſpenſionem aſſenſus circa concluſionem*

ſionem donec clarius perſpiciatur quid lateat in præmiſſis.

Dico ſexto Syllogiſmi quidditatem non conſiſtere nec in ſola conſequentia, nec in ſolis præmiſſis; ſed requirere eſſentialiter tam pręmiſſas quam concluſionem non aliter ac totum ſuas partes; Ea propter ſicut totum abſq; ſuis partibus dari nequit; ita nec ſyllogiſmus ſine præmiſſis, & ſine conſequentia ſimul connexis, & ex his vna adæquata ratio modi ſciendi conflatur; ſine quibus omnes perfectiones ſibi debitas habere non poteſt; hoc indicat etiam S. P. cum appellat hic ſyllogiſmum regulam connexionis, & ad hanc regulam requirit quod aliæ ſententię præcedant, & aliqua conſequatur.

Quid ſit ſyllogiſmus.

Dico ſeptimo; materiam ſyllogiſmi eſſe duplicem, remotam

vnam, proximam alteram. Proxima ſunt propoſitiones ex quibus conſurgit, & ſecundum quod hæ propoſitiones differunt inter ſe ſic diuerſificantur ſyllogiſmi; Nam ex propoſitionibus neceſſarijs, quæ euidentem veritatem continent ſyllogiſmus demonſtratiuus exoritur; Ex propoſitionibus verò ad veritatem, & falſitatem ita propenſis, vt in neutram partem neceſſariò inclinent; Topicus ſyllogiſmus conſtruitur. Ex propoſitionibus verò quæ apertam falſitatem præſeferunt, Sophiſticus conflatur.

De Materia Syllogiſmi tam remota, quam Propinqua.

Dubium hic inſurgit; an ex propoſitionibus manifeſtè falſis, quæ tamen ſint rectè, & aptè diſpoſitæ reſultet re vera ſyllogiſmus illatiuus nec ne; alij affirmant, alij negant; quæſtionem arbitror eſſe de voce; quę videtur ſic poſſe componi

vt dicamus, quod cum nihil inferri poſſit niſi probetur per præmiſſás, per conſequens nullus poteſt eſſe ſyllogiſmus illatiuus; qui non ſit etiam probatiuus; & propterea non videtur, poſſe ſubſiſtere diſtinctio illa, qua aliqui vtuntur de ſyllogiſmo illatiuo, & probatiuo; aſſerentes huiuſmodi quidem ſyllogiſmum forè illatiuum non verò probatiuum; niſi fortè velint, per ſyllogiſmum probatiuum intelligi ſyllogiſmum ſimpliciter probatiuum, & per ſyllogiſmum illatiuũ ſyllogiſmum ex ſuppoſitione tantum probatiuum, & hoc modo ſyllogiſmum probatiuum ab illatiuo differre non inficior. Et videtur etiam eſſe ad mentem S. P. l. c. cum ait. Ideò infertur vera connexione, quod falſum eſt, vt eũ cuius errorem corrigere volumus, pæniteat conceſſiſſe præcedentia,

dentia, quorum conſequentia videtur eſſe accipienda. *Nam in tantum debet pænitere conceſſiſſe, in quantum videt quod ex ſuppoſitione quod illa ſint probatur illud abſurdum, quod videt eſſe admittendum; omnis igitur ſyllogiſmus rectè illatiuus, eſt etiam aliquo modo ideſt vel abſolutè vel ex ſuppoſitione probatiuus.*

Ex his propoſitionibus, quæ ſunt materia proxima ſyllogiſmi, alia dicitur maior, alia minor non ad libitum, aut à maiori vel minori vniuerſalitate; ſed maior fuit dicta a maiori extremo, minori à minori extremo. In prima figura à Philoſopho maior fuit appellata ea in qua medium eſt; minor quæ ſub medio. In ſecunda verò figura maius extremum eſt, quod ad medium iacet, minus autem quod longius eſt à medio. In tertia denique

nique figura maius extremum eſt quod a medio longius, minus autem quod proximius. Hæc S. P., & alia huiuſmodi ſuppoſuit iam luculenter, & ſufficienter explicata à Schola Peripatetica; ideò ſolum meminit eorum nominum, quibus oratores vtuntur in aſſignandis locis propoſitionibus, quas in ſyllogiſmo diſponunt; maiorem enim appellant propoſitionem; minorem Aſſumptionem, & vltimam concluſionem vt nos; nam in aſſignandis propoſitionibus cuiuſdam ſyllogiſmi, qui non erat in forma ait. Fac enim aliquem propoſuiſſe. Si iuſtus eſt ille, bonus eſt; deinde aſſumpſiſſe, non eſt autem iuſtus; quo item conceſſo intuliſſe concluſionem Ecce per ly propoſuiſſe inſinuata propoſitio ſeu maior, & per ly aſſumpſiſſe inſinuata aſſumptio ſeu minor. Ma-

Materia remota ſyllogiſmi ſunt termini, ex quibus propoſitiones componuntur; ſubiectum ſcilicet, & prædicatum; hi termini numerum ternarium attingere, & non excedere in recta ſyllogiſmi conſtructione debent; ſed ſinguli bis ſunt ponendi, ita tamen vt ille qui medius terminus nũcupatur, ſemper maneat exul à concluſione; alij duo maior ſcilicet, & minor extremitas in præmiſſis pro varietate formæ ſyllogiſticæ proprium locum (vt mox dicetur) obtinere debent.

Dico octauo formam ſyllogiſticam eſſe præmiſſarum ad aliquid concludendum accomodatam diſpoſitionem, ideſt aptam prædicationem, & ſubiectionem extremorum inter ſe, & cum medio, quę pro varia diſpoſitione medij termini à Peripateticis triplex com- **De forma Syllogiſtica.**

muniter numeratur. Quando enim in maiori propoſitione eſt ſubiectum, & in minori, ſeu aſſumptione eſt prædicatum, tunc habetur prima figura; cum verò obtinet in vtraque prædicati locum; tunc exiſtit ſecunda; demum cum in vtraque. Subiecti ſedem ſibi arrogat, efficitur tertia figura. Vnde ad ſuccurrendum memoriæ exiſtit illud carmen

Sub præ: prima. Bis præ: ſecunda.
Tertia, bis ſub.

Præter has fuit adinuenta quarta figura à Galeno quodam, de quo adhuc ignoratur an fuerit ille inſignis Medicus; an alius Philoſophus; qui ex quadam quarta diſtributione medij quartam appellauit figuram; ponendo ſcilicet medium in maiori pro prædicato, & in minori pro ſubiecto; hanc inuentionem vt inutilem ferè omnes

nes Peripatetici non admittunt. Verum ſi attentè res conſideretur quæſtio videtur eſſe de voce nam ſiuè ponamus, quod hæc diſtributio conſtituat quartam figuram, vt volunt plures medici; ſiuè ad indirectos primæ figuræ eſſe reuocatam à Philoſopho, vt volunt ferè omnes Peripatetici; patet non eſſe omninò inutilem.

Dico nono fundamenta totius ſtructuræ ſyllogiſticæ eſſe illa duo principia Logica dici de omni, & dici de nullo. Illud verò principium dici de omni, inniti illi principio Metaphyſico, quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe; quod quia maximè elucet in prima figura, ad eam tamquam ad certiſſimum Asylum reducuntur modi tam ſecundæ, quam tertiæ figuræ, vel oſtenſiuè vel deductione ad impoſſibile. *Fundamenta formæ ſyllogiſticæ.*

Dico decimo in illa communi diſputatione an ſemper concluſio debiliorem partem ſequatur; ſtandum eſſe pro ſententia affirmatiua, & omninò ſtatuendum ſemper, & vbique concluſionem ſequi debiliorem partem ſuarum præmiſſarum; Et huic principio tamquam ſtabili fundamento innituntur ſequentia Theoremata claſſicorum Doctorum. 1. *Quando ex præmiſsis altera eſt euidens, & certa, altera ſolum probabilis, ſeu minus euidens, conſequens ſequitur probabile, ſeu minus euidens; Et ſi fortè detur concluſio, quæ in certitudine, & euidentia præcedat ſuum antecedẽs; id continget illi non vt deductæ, ſed vt explicatæ.* 2. *Ex antecedente falſo influente in conluſionem vt cauſa veritatis ipſius concluſionis fieri non poteſt, vt concluſio*

An ſemper concluſio ſequatur debiliorem partem

cluſio vera colligatur, quod ſi antecedens influat tantum vt cauſa illationis propter rectam conſtructionem terminorum, non repugnat quod quandoque ex antecedente falſo inferatur vera concluſio ex ſuppoſitione medij termini. 3 Quando vtimur ſuppoſitione impoſſibili condicionali continente aliquam contradictionem ad aperiendam aliquam obſcuram veritatem, deducitur quidem aliquando aliquod neceſſarium, ſed etiam tunc licet impoſſibile ſit pars debilior quam neceſſarium: Concluſio nihilominus adhuc ſequitur debiliorem partem 4 Ex impoſſibili, & poſſibili conuenientibus ad aliquam illationem, & rectè diſpoſitis non poteſt ſequi concluſio impoſſibilis. 5 Et vltimo Theologicam concluſionem ex altera præmiſſa de fide diuina, ex altera ve-

ro naturaliter nota ſequi infirmiorem partem ſui antecedentis, ita vt non ſuperet naturalem certitudinem.

Difficilis hic ſe offert regula Philoſophi ad explicandum ſtante ſupra dicta doctrina; aſſerit enim quod in ſyllogiſmo ex altera præmiſſa de neceſſe; altera verò de ineſſe aliquando colligitur neceſſaria concluſio; in quo caſu videtur concluſionem non ſequi, ſed ſuperare debiliorem partem ſui antecedentis. Verum arbitror prædictam regulam eſſe intelligendam cum hac moderatione; colligi concluſionem neceſſariam, ſi in antecedentibus altera præmiſſa ſit de in eſſe, prout nunc exiſtit, & ſe habet res, & ſic inferri illationem neceſſariam non ſimpliciter; ſed ſecundum quid; ſiue vt loquuntur Peripatetici in ſenſu

compoſito, quando ſcilicet prædicatum connectitur cum ſubiecto, eo quod in ſubiecto eſt aliqua forma coniuncta contingente cum eodem ſubiecto. Et ſic in hoc caſu etiam ſtat inconcuſſa prædicta regula; quod concluſio ſequatur debiliorem partem nam licet hic concluſio ſit de neceſſe ſecũdum quid, ſimpliciter tamen non erit neceſſaria, ſed de ineſſe.

APPENDIX DE DEMONSTRATIONE.

PEractis illis quę ſpectant ad rectam ſyllogiſmi ſtructuram in communi deſcendit Philoſoph. ad eius ſpecies, quæ attenduntur ratione materiæ, & quia nobilior cæteris eſt illa materia, ex qua ſcientifica conſequentia deducitur; idcircò de

illa in duobus libris, quos de poſteriori analyſi inſcripſit ſubtiliſſimè tractat; appellauit verò illos analytica ſiuè reſolutoria, nō quod in eis non agatur etiam de compoſitione demonſtrationis; ſed ex eo quod analyſis principaliores partes ſibi vindicat, hanc etiam partem optimè calluit S. P. N. vt patet in exercitio, tot & tam claris demonſtrationibus, tum Philoſophicis, tum Theologicis quibus vniuerſas Scholas totius orbis Eccleſiaſtici tam mirificè locupletauit, verū de ea expreſſum tractatum non habeo; vel fortè quia ad Diuina pertractanda (quibus tantopere in tot hæreſum tenebris tamquam luce indigebat S. R. E.) properabat vel quia vt ait. Plerumque accidit vt facilius homines res eas aſſequantur, propter quas aſſequendas iſta dicuntur

Cur S. P. ommiſit agere ex inſtituto de demonſtratione.

tur

tur, *quod pulchrè explicat exemplo illius qui vellet dare, præcepta ambulandi, vt habes hic in Textu littera E vel fortè quia iam nouerat fusè, & adſufficientiam, hac fuiſſe à Philoſopho pertractata; vndè, & illa tamquam maximè conducentia ad ſacras litteras penetrandas commendat. vt habes ibidem illis verbis*. Illa verò concluſionum, & definitionum, & diſtributionum (ſcientia) plurimum intellectorem iuuant tantum abſit error (*de quo ille monet, & quo plures decipiuntur etiam nunc*) quo videntur homines ſibi ipſam beatæ vitę veritatem didiciſſe, cum iſta didicerint, *breuiter igitur pro complemento operis attingo ea præcipua dogmata, quæ hic Philoſophus docuit pro longioribus controuerſijs remittendo rectorem, ad eruditiſſi-*

ditiſsimos diſputatores tam antiquos quam modernos, qui hunc Tractatum ſuis ſcriptis maximè illuſtrarunt.

Omnis Doctrina ex praexiſtenti cognitione.

Auſpicatur igitur Philoſophus hoc opus ab illo celebri Axiomate omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua ex praeexiſtenti fit cognitione. ſic vertit S. Seuerinus Boethus verbum illud verbum graecum διανοητικὴ *alij cogitatiuam, alij ſyllogiſticam, & alij diſcurſiuam interpretantur, & quidem arbitror eſſe magis ad mentem Ariſtotelis, vt videtur indicare in ſequentibus; vbi ait manifeſtum autem hoc ſpeculantibus in omnibus, Mathematicae enim ſcientiae, per hunc modum fiunt &c. vbi exemplificat apertè in cognitione diſcurſiua, & propterea hic recto ordine incipit agere de Praecognitionibus, &c. circa quae.*

Dico primo præcognitionem eſſe notitiam, quæ ita alteram antecedit, vt connectatur cum illa, & eſt in duplici differentia. Altera dicitur dirigens, altera verò agẽs. Dirigens dicitur illa quæ quodammodo illuminat, & prærequiritur vt conditio neceſſaria pro recta directione ſequentis. Agens verò eſt quæ poſteriorem non ſolum dirigit, ſed etiam cauſat. Et ex hoc facilis redditur explicatio illius pronunciati Philoſophi; omnis cognitio intellectiua &c. nam ſi de diſcurſiua eſt ſermo, ſiuè proprio labore acquiratur, ſiuè à præceptore hauriatur, ſemper fit ex præxiſtente cognitione tam dirigente, quam agente: Si verò ſecundum veritatem conſideretur; iam cognitio intellectiua hominis fit ex praexiſtenti ſenſitiua tam externa, quam interna; cognitio verò

Quid et quotuplex ſit Precognitio.

rò ſenſiua interna aliquam præcedentem cognitionem ſenſus externi exigit, *& hoc eſt quod ait S. P. N. epiſtola* 112. Conſtat noſtra ſcientia ex viſis rebus, & creditis: ſed in ijs quæ vidimus, vel videmus nos ipſi teſtes ſumus: in ijs autem: quæ credimus, alijs teſtibus mouemur ad fidem; cum earum rerum, quas nec vidiſſe nos recolimus, nec videmus, dantur ſigna, vel in vocibus, vel in litteris, vel in quibuſcumq; documentis, quibus viſis non viſa credantur. *Per quæ verba patet in acquirenda ſcientia intellectiua, prærequiri cognitionem ſenſitiuam; & in diſcurſiua de non viſis, & creditis prærequiri cognitionem de viſis vel creditis. Quod ſi effatum illud omnis doctrina, & omnis diſciplina &c. ad cognitiones intra*

cam-

eamdem potentiam contentas reducatur, ne admittatur aſcendendo proceſſus in infinitum in cognitionibus; non omnis notitia intellectiua aliam praecedētem ex qua procedat requirit; quemadmodum nec omnis cognitio ſenſus interni, vel externi aliam cognitionem ſenſitiuam intra eumdem ſenſum exigit.

Dubitatum hic eſt à pluribus; an quilibet actus practicus requirat ſemper praecedentem cognitionem intra ipſam potentiam intellectiuam. Et quidem affirmantes fulciūtur valida auctoritate Philoſophi, qua definitur Ars, quod ſit habitus cum recta ratione effecti vſus. Ex qua fit ſi operans recta ratione praeeunte interrogetur de ſuo opere, debet rationem illius reddere, quod eſt idem ac cognitionem illam artificioſam habere ſem- *An quilibet actus practicus requirat ſemper praecedentē cognitionem.*

ſemper præcedentem aliam cognitionem directiuam. Verum negantes validiori argumento mihi videntur inniti; quod eſt non poſſe reddi ſufficientem rationem, cur ſicut prima cognitio intellectiua ſpeculatiua eſſe poteſt; cur pariter non poſſit eſſe practica; Et quemadmodum per Philoſophum nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Et ſi quandoque præuia operatione ſenſus intelligitur primo aliquid cognitione ſpeculatiua, ſic pariter non poſſit primo cognoſci aliquid cognitione practica, per quæ ad aduerſariorum argumentū facilè reſponderi poteſt; artificem ſufficienter reſpondere, ſi dicat ſe vidiſſe aut audiuiſſe à rectè operantibus, ſic & ſic eſſe operādum, & hoc non obſcurè indicauit S. P. lib. de vera Religione c. 53. cum ait. Artem vulgarem reperitur

nihil

nihil eſſe niſi rerum expertarum placitarumque memoriam, vſu quodam corporis, atque operationis adiuncto, quo iudicare de operibus poſſis. *Quæ videtur apertè indicare, eo ipſo quod aliquis memoria retinet ea quæ vidit aut audiuit ita vt poſſit operari, eo ipſo habere artem.*

Dico ſecundo; ſatis ſufficienti fundamento retineri numerum tam præcognitionum quam præcognitorum à Peripateticis receptũ, ita vt Præcognitiones pro varietate quæſtionum ſint quattuor; nempè quid nominis; quid rei; an ſit, quale ſit, non ſunt tamen omnes collectiuè ad vnamquamque demonſtrationem, aut quæſtionem neceſſariæ, & omnes aliquando ſub vna ratione quæſtionis, aliquando ſub alia præcognitionis rationem habere poſſunt. Præcognita

Quot ſint præcognitiones, & quot præcognita.

gnita verò tria communiſſime numerantur, nempè ſubiectum, principia, ideſt pramiſſæ, & paſſio. Verum hic ſuboritur difficultas ex eo quod cum præcognitiones ſint præcognitorum; cur ſi ſunt quattuor præcognitiones, non ſint etiam quattuor præcognita; vel cur non reſtringitur numerus præcognitionum ad numerum præcognitorum.

Huic dubitationi ſatisfaciunt Ariſtotelici dicentes, Præcognita deſumi tantum à diuerſis rebus, quæ præcognoſcuntur, præcognitiones verò deſumi ex diuerſo modo præcognoſcendi. qui quadruplex eſt vt ſupra; Sed hac reſponſione data inſurgit alia difficultas, cur non etiam medius terminus, & copula numerentur inter præcognita ſicut ſubiectum, & premiſſæ, ſi enim medius terminus non

ſit

ſit præcognitus, & copula eius cum ſubiecto non videtur vllo modo poſſe haberi ſufficientem notitiam ad inferendam euidentem notitiam connexionis, & veritatis concluſionis. Reſpondent ijdem communiter, cognitionem medij termini, & copulæ contineri ſub cognitione præmiſſarum, quod dicunt non accidere ſubiecto, neque paſſioni quæſtionis probandæ, & ideò horum cognitionem deberet precedere præmiſſas.

Ego arbitror ſaluo meliori iudicio; in his rebus, & ſimilibus multum miſceri de arbitrio Philoſophantium; nam primo quod præcognitiones deſumãtur ex modo præcognoſcendi, non verò ex rebus ipſis ſicut præcognita; gratis dictum videtur. Nam præcognoſcere quid res ſit; quod nomen habeat, an ſit, quas qualitates habeat

beat ſonat præcognitionem rerum vt ſunt, non aliter ac præcognitio hominis, & riſibilitatis, quæ ſunt duo præcognita. Præterea ſi non ſunt multiplicanda præcognita pro medio, & copula; eo quod iſta continentur in præmiſſis, cum etiam in eiſdem contineantur ſubiectum, & paſſio; cur multiplicatur pro iſtis; Propterea exiſtimo prædictum numerum fuiſſe ſic religiosè ſeruatum à Peripateticis, propter reuerentiam Philoſophi; & etiam vtiliter retineri, nam & alij, qui aſſignantur, vel poſſunt aſſignari, ſuas patientur difficultas, & ſic multiplicarentur quæſtiones, non valdè vtiles, & retardantes ab vtilioribus. Veritas eſt quod quo plures ſunt præcognitiones, & quo plura melius prænoſcuntur, eo certior, & euidentior habetur demonſtratio.

Dubi-

Dubitatur hic vlterius an qualibet demonſtratio prærequirat cognitionem communium principiorum; an verò ſit perfecta, & abſoluta ſi tantum adſit cognitio principiorum minus latè patentium. Concedunt plurimi ſine reflexa cognitione de bonitate illationis dependenter à communibus, & primis principijs poſſe haberi ſcientificam concluſionem eo quod ſufficienter ſaluētur in principijs minus latè patentibus ea omnia quæ ad veram, & perfectam demonſtrationem requiruntur. Hoc mihi ſemper durum viſum eſt tum propter rationem in contrarium; tum etiam propter Auctorrtatem S.P., & Philoſophi; nam S. P. lib. primo contra Acad. c. 7. ait ſcientia non ſolum ex comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, vt neque

An quolibet demonſtratio prærequirat cognitionem communiũ Principiorum

in

in ea quiſquam errare, nec quibuslibet aduerſitatibus impulſis nutare debeat, *at qui cognoſcit dependentiam ſolum à proximis, & minus latè patentibus principijs facilè nutare poteſt, ſi opponantur argumenta in contrarium quæ habeant vel præſeferant connexionem cum principijs communioribus, & vniuerſalioribus, ergò niſi adſit cognitio de cohærentia illius concluſionis cum primis, & vniuerſalioribus principijs, talis concluſio non erit in tali ſubiecto ſcientifica, & ſic manet explicata, & auctoritas, & ratio in contrarium; cui etiam fauet Philoſophus, cum definiendo demonſtrationem, vt infra dicetur, vult eſſe ex Prioribus, notioribus &c. Cauſiſq; concluſionis; non eſſet autē ex prioribus omninò; ſi eſſet ex minus latè patentibus. Propterea*

negan-

negandum eſt aduerſarijs in eo caſu adeſſe omnia, quæ requiruntur ad perfectam demonſtrationem, ad hoc vt pariat ſcientificam cognitionem.

Dico tertio diuerſas eſſe aſſignatas ab Ariſtotele, & Philoſophis præcognitiones præcognitis ſingulis, Nam primo ſubiecto aſſignauit duas, videlicet. An eſt, & quid eſt; Prænotionem quid rei aſſignant tantum demonſtrationi, quæ ſit omninò, & vndequaque perfecta, mihi tamen videtur propter rationem ſupradictam, requiri in omnibus; alias non erit argumentum faciens ſcire; Vnde erant omninò aſſignandæ tres nempè quid nominis; quæ ſemper requiritur, quid rei, & an ſit; Hæc paſſio an ſit non importat neceſſariò actualem ſubiecti exiſtentiam; ſed ſufficit præcognoſcere eſſe poſſibile *Aſſignatio prænotionum inordine ad prægnita.*

ſubiecti, vel eſſe ſubiecti quod habeat proportionem cum paſſione, quæ de illo demonſtratur. Secundo vnam tantum præcognitionem aſſignauit Paſſioni nempè quid ſit, hanc præcognitionē de quid nominis ferè omnes interpratantur, nam eſto in præmiſſis accipiatur paſſio cum medio termino, non tamen prænoſcitur eſſe paſſionis, vt paſſio eſt, ſed ſolum vt res eſt; ſic etiam præcognitio an ſit ipſius Paſſionis vt paſſio eſt, non requiritur, ideſt ineſſe ſubiecto nam in concluſione hoc cognoſcitur; Nam ſicut ad hoc vt exiſtat tamquam paſſio, debet ineſſe proprio ſubiecto; ſic ad hoc vt pronoſcatur vt paſsio, debet prænoſci, eidem ſubiecto ineſſe. Tertio de principijs tradit idem Philoſophus præcognoſcendum eſſe an ſint, & quid nominis, ly an ſint, importat an ſint vera,

que-

quemadmodum enim, an ſit alicuius incomplexi, dicit eſſe exiſtentiæ, vel actualis, vel poſsibilis, ita an ſit alicuius complexi, quemadmodum ſunt principia, dicit exiſtentiam connexionis prædicati cum ſubiecto; Quid nominis iam certum eſt importare ipſam ſignificationem terminorum, nam fieri non poteſt, vt quis cognoſcat ipſa principia, niſi prius cognoſcat, quid ſignificent termini, ex quibus componuntur, quam præcognitionem licet quandoque Philoſophus ſilens prætererit; immò ſi attentè legatur, videtur textu 23. *velle eam omnibus præcognitis attribuendam eſſe illis verbis difficile autem eſt, noſſe ſi ex vtriuſq; principijs ſcimus, aut non quod quidem eſt ſcire, quæ ſententia principalius eſt accipienda pro præcognitione quid nominis, quæ*

eſt fundamentum aliarum, vt per ſe patet. Et hæc ſint ſatis de præcognitionibus quibus poſitis deuendendo ad demonſtrationem.

Definitiones demonſtrationis.

Dico quarto ſatis plauſibiles, & merito in Scholis eſſe duas definitiones, quibus ab Ariſtotele fuit explicata quidditas demonſtrationis. Earum primam his verbis tradit. *Demonſtrationem autem dico Syllogiſmum epiſtemonicon; ideſt facientem ſcire.* Secundam verò his aliјs, *neceſſe eſt demonſtratiuam ſcientiam ex veris eſſe, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, cauſiſque concluſionis.* Harum definitionum differentia eſt, quod prima eſt per formam, ſecunda verò per materiam tradita.

Hic vt melius innoteſceret quæ, & qualis debeat eſſe materia, formæ quidditas, quæ eſt ipſa ſcientia

tia

tia eſſet explicāda, quam hic Philoſophus, & definit; & explicat vndè, & materiæ condiciones deducit. Verum pro dignitate materiæ, & commodiori explicatione agere de ea ad ſequentia Scholia differo; hic ſolum condiciones, quæ ad materiam demōſtrationis exiguntur, adducam; earum.

Prima eſt, vt præmiſſæ ſint veræ, quod intelligendum eſt de veritate complexa; de quo Philoſophus hanc rationem reddit; Quia non eſt non ens ſcire; huic Axiomati duplex ſenſus ſubeſſe poteſt; Primus vt intelligatur de eo, quod actualem exiſtentiam non habet, non poteſt haberi ſcientia: Alter vt quod non ineſt rei vel actu vel potentia, ſciri non poſſit ineſſe: Primus ſenſus communi calculo excluſus eſt tamquam Ariſtotelis menti, & veritati non conſentaneus. Condiciones materiæ demonſtrationis.

neus. Secundus & eſt ad mentem Ariſtotelis, & veritati conuenit. Hic ſeſe obÿcit difficultas an præmiſſæ ſint veriores concluſione, ratio dubitandi eſt, propter illud effatum Peripateticum; Propter vnum quodque tale, & illud magis; ſed facilè ℞. & communiter veritatem concluſionis non pendere à præmiſsis in eſſe, ſed ſolum in cognoſci, & propterea præmiſſas non eſſe veriores concluſione; Sed ſolum notiores.

Secunda conditio eſt, vt demonſtratio componatur ex primis, & immediatis; indicauit hic Philoſophus vnam conditionem duobus nominibus, vt clarius percipiatur; Dicitur autem propoſitio immediata dupliciter, ideſt vel immediatione ſubiecti, vel immediatione cauſæ, immediata immediatione ſubiecti eſt, quando nullo me-

mediante prædicatum competit ſubiecto, & ſic de eo prædicatur; immediata immediatione cauſæ, eſt, quando non habet cauſam, per quam à priori in eodem genere cauſæ probetur; cum igitur vult, ex immediatis debere conſtare demonſtrationem, exponitur communiter de immediatione cauſæ.

Dubitant hic aliqui; an ad demonſtrationem exigatur neceſſario, vt ſit ex præmiſſis immediatis actu an verò ſufficiat ſi ſint immediatè virtute; vtraque pars habet ſuos patronos; qui facilè conciliari poſſunt, ſi dicamus, quod loquendo de demonſtratione perfectiſſima, omninò neceſſe eſt, vt conſtet propoſitionibus actu immediatis; ad demonſtrationem verò nõ ita perfectam poſſe admitti propoſitiones virtute ſolum immediatas; dummodo præmiſſa virtute ſolum im-

An demonſtratio exigat præmiſſas immediatas actu.

mediata ex alia immediata actu, in qua comprehendi manifeſtum ſit, roboretur, ratio deſumi poteſt ex eo, quod de ſcientia, quæ cauſatur per demonſtrationem, ſupra retuli ex S. P. nempè, quod in ea nec quiſquam errare, nec quibuslibet aduerſitatibus impulſis nutare debet. *Non eſſet verò talis concluſio demonſtrata, ſi non inniteretur alicui propoſitioni immediatæ actu, vel ex illis aliquo modo vt ſupra indicatum eſt robur acciperet.*

Tertia condicio prouenit ex hac ſecunda explicata, & eſt, præmiſſas in demonſtratione debere eſſe notiores concluſione. Pro cuius explicatione recolendum eſt omnem propoſitionem immediatam eſſe notam per ſe quo ad naturam: non verò ſemper quoad nos: Notum per ſe quo ad naturam appel-

lant

lant illud, quod nullum habet medium quo à priori probari poſſit; notum verò quoad nos, illud quod à nobis ſine vllo medio ſola terminorum notitia lumine mentis penetratur; hoc idem ſi careat medio per quod à priori demonſtrari poſſit, idem & nobis quoad naturam notum erit; his poſitis.

Cum Philoſophus ait præmiſſas debere eſſe notiores, intelligendus eſt non ſolum de notioribus natura, ſed etiam de notioribus nobis; quod ſequitur ex illo celebri effato Ariſtotelico, propter quod vnumquodque tale eſt, & illud magis.

Et poſtquam de hoc pronunciato incidit ſermo quo Philoſophus vſus eſt, ad indicandum præmiſſas debere eſſe notiores, antequam ad vlteriora procedamus, videndum eſt, an ſit vniuerſaliter verum, ſic abſolutè, & ſine limitatione

acceptum; nam videtur claudicare, ſi ſic accipiătur in multis; propter Solem enim viuunt multa animantia, & tamen ipſe non eſt magis viuus, immo nullo modo viuus, ſic propter vinum fiunt homines ebrij, & tamen ipſum non eſt ebrium; & ferè in omnibus inſtrumentis hoc erit inuenire. Propterea fuit ab interpretibus limitatum triplici limitatione. Earum prima eſt, particulam illam (magis) indicare maiorem perfectionem ſpecificam in ratione independentis, non verò maiorem intenſionem. Secunda eſt, vt prædicatum illud in quo fit comparatio, vtrique extremo aliqua ratione conueniat. Tertia eſt, vt illud propter, quod res eſt talis, ſiuè id quod eſt cauſa, ſit cauſa per ſe talis effectus: hoc eſt apta per ſe primo in rerum natura talem effectum pro-

producere, cuiuſmodi ſola cauſa æquiuoca eſſe poteſt; hoc incid. dubio explicato; redeamus ad propoſitiones notiores. De his decernitur communiter præmiſſas ſemper eſſe notiores concluſione, ſiue illæ per ſe actu notæ ſint, in quo caſu nulla eſt difficultas, ſiuè ſint per ſe notæ virtute; nam in hoc caſu licet euidentia præmiſſarum ſit ab alio dependens, & mediata; ſicut eſt illa concluſionis, nihilominus cum euidentia præmiſſarum ſit minus dependens eſt perfectior ſemper, & notior illa concluſionis.

Quarta condicio, quam Philoſophus exigit, eſt præmiſſas debere continere cauſam concluſionis; alias ſcientiam cauſare non poſſent; ſcire enim eſt rem per cauſam propter quam res eſt, cognoſcere, & cum quattuor communiter aſſignentur genera cauſarum.

Dubium inſurgit, in quo genere cauſæ præmiſſæ ſint cauſa concluſionis. Huic difficultati reſpõdetur nullo modo, præmiſſas poſſe habere rationem cauſæ finalis reſpectu cõcluſionis, immò potius ſe habere vt media; poſſunt tamen eſſe cauſa efficiens, & materialis concluſionis, quod eſt intelligendum de præmiſſis formalibus, licet de cauſa materiali verificetur etiam in præmiſſis obiectiuis. Habent etiam aliquo modo rationem cauſæ formalis non internæ, ſed externæ, quatenus repræſentant intellectui rationem formalem aſſentiendi concluſioni.

Præter ſupra dicta requiruntur etiam propoſitiones neceſſariæ tres autem ſunt gradus neceſſitatis iuxta Philoſophum; nempè dictum de omni; propoſitio per ſe, & propoſitio vniuerſalis, ſeu ſecundum quod

quod ipſum. Dictum de omni vel eſt prioriſticum, ideſt cum de ſubiecto vniuerſali dicitur id, quod ineſt omni, & ſi non omni tempore, quia ſpectat ſyllogiſmum ſecundum formam; vel eſt poſterioriſticum, cum de ſubiecto dicitur, quod omni ineſt, & ſemper; dicitur poſterioriſticum, quia ſequitur ſyllogiſmum ſecundum materiam, & reperitur in ſola materia neceſſaria. Propoſitio per ſe eſt, cum prædicatum de ſubiecto per ſe, & non per accidens dicitur, cuius quattuor aſſignantur modi: Primus eſt, cum aliquod prædicatum ineſt alicui tanquam pars eſſentialis: Secundus eſt, eorum, in quorum definitione ponuntur propria ſubiecta illorum, in quibus inſunt, vt id, quod natura ſua reſpiciunt, vt ſunt proprietates, quarto modo: Tertius eſt eſſendi per ſe, non dicendi,

cendi, quod competit ſubſtantijs. Quartus eſt cum cauſa per ſe eſt connexa cum effectu, & hic dicitur modus cauſandi per ſe; Solum primus, & ſecundus inſeruiunt demonſtrationi.

Propoſitio vniuerſalis requirit prædicatum, quod ſit de omni, per ſe, & ſecundum quod ipſum, ideſt, vt prædicatum vniuerſale non ſolum conueniat omni ſubiecto, & omni tempore, ſed etiam tali ſubiecto, quatenus tale eſt. Prædicti modi neceſſitatis requiruntur ſolum neceſſariò in demoſtratione potiſſima, in qua prima paſsio concluditur de ſubiecto.

Requiritur vltimò; quod ſit ex proprijs, ſumpto proprio, vt opponitur communibus, quo pacto rectè Philoſophus negat demoſtrationem, in qua propria aliqua paſſio de ſubiecto demonſtratur debere cen-

conſtare ex principijs communibus ſubiecto alterius ſcientię, quod neque aliquam conueniẽtiam habeat in ratione ſubiecti cum eo, neque ſub eo ſubiecto contineatur.

Diuiditur demoſtratio in demonſtrationem Quia, & propter quid. Dicitur Quia, vel à cauſa remota, vel à cauſa, cur res cognoſcatur, non autem cur ſit; Cauſa remota duplex eſt, altera, quæ ſub ſe continet proximam, altera, quæ continetur ſub propria cauſa. Demonſtratio propter quid eſt quæ continet propter quid prædicatum inſit ſubiecto, & probat intrinſecè, ſeu ineſſe. Subdiuiditur in potiſsimam. & non potiſsimam. Prima dicitur ea, in qua demonſtratur paſsio ſecundum quod ipſum conueniens ſubiecto per definitionem ſubiecti, vel paſsioni; ex quo fit vt ex terminis inter ſe mutuo Diuiſio demonſtrationis.

recu-

recurrentibus coaleſcat. Secunda ea eſt, quæ hanc reciprocationem terminorum non continet. Ex his vtraque, & propter quid, & quia participant veram rationem demonſtrationis. Non autem illa, quæ dicitur demonſtratio ducens ad impoſsibile; procedit enim ex falſis, & propterea redargutio à Philoſopho nuncupatur.

De regreſſu. *Dico quinto, regreſſum demonſtratiuum eſſe, cum cognita cauſa per effectum, quod dicitur progreſſus, rurſus cognoſcitur effectus per cauſam, qui vt ſit vtilis, & differat à circulo, neceſſe eſt aliquid de nouo cognoſcere in regreſſu, quod in primo progreſſu ignoratum fuerit.*

De medio demonſtrationis. *Dico ſexto medium demonſtrationis debere eſſe cauſam, quæ eſt duplex, vel realis, quæ verè, & realiter dat eſſe effectui realiter*

à ſe diſtincto; vel eſt virtualis, quæ licet, verè non producat effectum, perindè tamen ſe habet in ordine ad noſtram cognitionem, ac ſi verè effectum cauſaret; vndè non ſolum illa, ſed etiam iſta eſt ſufficiens ad demonſtrationem. Licet etiam demonſtrare per omnia quatuor genera cauſarum. Definitio paſsionis non poteſt eſſe medium propter quid, ſed ſola definitio ſubiecti; vel definitio ſubiecti ſimul cum definitione paſsionis, quæ definitio dicitur à demonſtratione differre ſola diſpoſitione, & collocatione terminorum. Et hæc breuiter indicaſſe de demonſtratione ſufficiat, pro cuius dignitate, exiſtentia, & neceſſitate plurimum laborauit S. P. N. in ſuo primo opere quod ab eo inſcribitur contra Academicos; hi enim (ſi fortè non obumbrabant ſua ſenſa,

&

& Axiomata, quæ prodere in quibuſdam Scholis nefas erat, quod etiam obſeruat S. P. in dicto opere li. 3. c. 17.) aſſerebant nullã veritatem certo ſciri poſſe propter diffidentiam ſenſuum, & infirmatem rationis humanæ, & per conſequens excludebant quamcumq; demonſtrationem in qua conſiſtit ſcientia actualis. Hunc igitur errorem, qui deſperationem, congerit animis de veritate inuenienda tamquam humanę naturę iniurioſum, & tamquam Sapientiæ Chriſtianæ aduerſantem. Propterea rectiſſimè docet, inueſtigãdam eſſe per euidentiam naturalem, quod fit per demonſtrationem; & præcipuè vi luminis Diuinæ Gratiæ (vt ipſe ibi inculcat; ab ipſo enim ſuo tyrocinio profundè agnouit quanta eſſet illius neceſſitas) quod obtinetur per orationem. De

hac

hac falſa opinione ſic loquitur lib. 9. de Ciuitate Dei c. 19. Ciuitas Dei dubitationem Academicorum nouorum tanquam dementiam deteſtatur, habens de rebus quas mente,& ratione comprehendit, etiam ſi paruam tamen certiſſimam ſcientiam.

Hanc Academicorum cæcitatem lib. 3. c. 16. dicti operis contra Academicos rectè oſtendit eſſe feraciſsimum agrum ſcelerum, & iniquitatum, (quæ etiam hodie apud plures Politicos inualuit; exiſtimantes, & prædicantes omnia tam humana quam Diuina eſſe in opinione hominum poſita, quorum tenebræ non indigent niſi igne charitatis quo ardebat S. P. vt illuminentur; vel igne inferni vt è medio tollantur, & puniantur) Quapropter vt rectiſsimè obſeruat P. Matthias Hauzeur in ſua

Anat.

Anat. tom. 2. in notationibus ad hos libros contra Acad. fuit hoc opus velut ſeminarium, & præparatio ad omnes virtutes. Ipſe enim aliquando mouebatur horum argumentis, vt ipſe teſtatur l. 8. ſuarum Conf. 1. 12., & tandem ipſe teſtatur, & profitetur c. 20. l. 3. huius operis ex magna miſericordia, & Gratia Dei Victoriam obtinuiſſe. Hic obiter obſeruo, quod latius alibi Deo dante explicabo. S. P. lib. 3. huius operis cap. 15., & 16. videtur reprobare modum operandi ex veriſimili, ideſt probabili ſententia, quod omninò eſt intelligendum de veriſſimili illo, & probabili Academicorum abſq; vllo aſſenſu ad vllam partem, quod erat illud quod ibi impugnabat S. P. non verò de probabili cum aſſenſu ipſius operantis; quod clarum fiet legentibus prædicta capita,

pita,

pita, & caput vndecimum lib. ſecundi huius op., & caput primum libri primi retractationum. Approbando igitur dari ſcientiam ex comprehenſione certa, & euidenti notitia, approbat ſimul demonſtrationem, & prædicta præcepta ab Ariſtotele conſcripta; quæ ipſe ſupponit, remittens lectorem ad ibi dicta fortè propter rationem ſupra ab ipſo adductam; quia ait. Plerumque accidit vt facilius homines res eas aſſequantur propter quas aſſequendas iſta dicuntur. *Vel quia nobiliorem modum aſſequendi ſcientiam habuit, quam hunc Peripateticum, de quo non nihil infra dicam; qui dici poteſt quidem ab homine, quod exiſtat maximè ſi illo Diuino lumine ſit illuſtratus; vt fuit S.P.N. edoceri verò non poteſt ab alio quam ab ipſa Sapientia increata,*

quæ

quæ eſt magiſter qui non foris per verba ſonantia, ſed intus per incendia ardentia, & illuminantia ſuos erudire ſolet electos diſcipulos.

COROLLARIVM.

OStenſum eſt igitur eſſe de mente S. P. N. Auguſtini 1. Diſputationum diſciplinam valere maximè ad ſacras litteras, & eſſe à Deo inſtitutam. 2. Argumentationem contineri ſub conſequentia tamquam ſub genere, & hanc rectè fuiſſe diuiſam in materialem, & formalem; Argumentationem verò in quattuor vulgatas ſpecies. 3 Solum ſyllogiſmum eſſe reponendum inter argumentationes formales. 4 Ex datis præmiſsis neceſsitari quidem intellectum ad aſſentiendum illa-

illationi quoad ſpeciem non verò quoad exercitium. 5 *Eſsentiam ſyllogiſmi requirere tam præmiſſas quam concluſionem.* 6 *Materiam remotam terminos, proximam verò eſſe voces.* 7 *Formam ſyllogiſticam rectè pro varia diſpoſitione medij triplicem conſtitui.* 8 *Poſſe admitti quartam, quæ dicitur Galeni* 9. *Propter immediatam dependentiam primæ figuræ ab inconcuſsis principijs Metaphyſicis rectè reduci ad eam modos tam ſecundæ, quam tertiæ figuræ, vel oſtenſiuè, vel deductione ad impoſsibile.* 10 *Concluſionem ſemper ſequi debiliorem præmiſſam.*

EX

EX APPENDICE DE DEMONSTRATIONE.

Explicatū eſt primo Axioma illud Philoſoph. Omnis doctrina, & omnis diſciplina ex praexiſtenti fit cognitione; quod ad mentem Philoſophi de diſcurſiua dictum eſt, quoad veritatem de omni intellectiua naturali, & ſenſitiua interna ſummi poteſt. 2. Praecognitiones pro varietate quaeſtionum vtiliter ſtatui quattuor, praecognita verò tria, & prudenter retineri hunc numerum; vt ſemper cana, & veneranda antiquorum ſcientia non ſolum in euidentibus ſed etiam in probabilibus debitam ſibi praecedentiam, & locum obtineat. 3 Demonſtrationem rectè dupliciter fuiſſe definitam nempè

nempè per formam, & per materiam. 4 *Ex dictis definitionibus ſequentes cõdiciones habere debere præmiſſas. Prima quod ſint veræ, non tamen veriores concluſione; Secũda quod ſint primæ immediatæ immediatione cauſæ, & actu ſi ſit demonſtratio perfectiſsima. Tertia quod ſint priores. Quarta quod ſint notiores non ſolum natura, ſed etiam quoad nos. Quinta quod contineant cauſam Concluſionis.* 5. *Illud principium propter quod vnumquodque tale, & illud magis limitandum eſſe.* 6 *Præmiſſas non poſſe eſſe cauſam finalem concluſionis, bene tamen materialem, formalem, & efficientem aliquo modo.* 7 *Præter ſupradictas condiciones requiri etiam, quod præmiſſæ ſint neceſſariæ iuxta tres gradus neceſsitatis explicatos ab Ariſtotele; nempè dictum*

de omni, propoſitionis per ſe, & propoſitionis vniuerſalis. 8 *Prædictos modos neceſsitatis requiri ſolum exactiſsimè in demonſtratione potiſsima.* 9 *Debere etiam præmiſſas eſſe proprias.* 10 *Demonſtrationem rectè fuiſſe diuiſam in demonſtrationem propter quid, & demonſtrationem quia; & demonſtrationem propter quid rectè ſubdiuidi in potiſsimam, & non potiſsimam.* 10 *Syllogiſmum ducentem ad impoſsibile non participare rationem demonſtrationis, cum conſtet falſis; Vnde à Philoſopho redargutio fuit appellatus.* 11 *Regreſſum demonſtratiuum eſſe vtilem ſi differat à circulo.* 12 *Medium demonſtrationis debere eſſe cauſam, & per omnia quattuor genera cauſarum poſſe demonſtrari.* 13 *Hæc approbata, & in praxim deducta fuiſſe à S.P.N. Auguſ-*

Auguſtino, vt maximè conducentia ad Sapientiam Chriſtianam.

AXIOMATA S. P. A. DE SCIENTIA.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

TEXTVS.

Scientia non ſolum in comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, vt neque in ea quiſquam errare, nec quibuslibet aduerſitatibus impulſis nutare debeat. Vnde veriſſimè à quibuſdam Philoſophis dicitur, in nullo poſſe eam niſi in ſapiente inueniri, qui non modo perceptum habere debet id quod tuetur ac ſequitur, ve- *a l. pri. contra Acad. c. 7.*

rum etiam inconcuſſum tenere.
b l. pri. de lib. arb. c. 7. b Id quod ſcire dicimus nihil aliud eſt, quam ratione habere perceptum. c Nulli dubium eſt
c lib. 3. contra Acad. c. 20. gemino pondere nos impelli ad diſcendum, Auctoritatis atque rationis; mihi autem certum eſt nuſquam prorſus à Chriſti auctoritate diſcedere non enim reperio valentiorem. d Scientia
d lib. de quant. animæ c. 26. eſt cum res aliqua firma ratione percepta, & cognita eſt. e Me-
e de lib. arb. c. 7. lior videtur vitæ ſcientia, quam ipſa vita, quia intelligere non eſt niſi ipſa luce mẽtis illuſtrius, perfectiuſque viuere f conſtat
f Epiſt. 112. quæ eſt ad Paulinam. noſtra ſcientia ex viſis rebus, & creditis: ſed in ijs, quæ vidimus vel videmus nos ipſi teſtes ſumus, in ijs autem, quæ credimus alijs teſtibus mouemur ad fidẽ cum earum rerum quas nec vidiſſe nos recolimus, nec videmus

mus dantur ſigna, vel in vocibus, vel in litteris, vel in quibuſcumque documentis, quibus viſis non viſa credantur. Non autem immerito ſcire nos dicimus non ſolum ea, quæ vidimus, aut videmus; verum & illa, quæ idoneis ad quamcumque rem commoti teſtimonijs, vel teſtibus credimus. Porrò ſi ſcire non incongruenter dicimur, etiam, illud quod certiſſimum credimus; hinc factum eſt, vt etiam rectè credita, & ſi non adſint ſenſibus noſtris, videre mente dicamur. Scientia quippè menti tribuitur ſiuè per corporis ſenſus, ſiuè per animum ipſum aliquid perceptum cognitumq; retineat, & fides ipſa mente vtique videtur. g Scientia mala numquam eſſe poteſt, niſi tranſlato verbo ſcientiam pro experien-

g *l. pri. de lib. arb. c. 7.*

rientia dicimus. Experiri enim non ſemper bonum eſt, ſicut experiri ſupplicia. Illa verò quæ propriè ac pure ſcientia nominatur, quia ratione, atq; intelligentia paratur; mala eſſe non poteſt. h. Diligentia igitur, & pietas adhibenda eſt: altera fiet vt ſcientes inueniamur, altera vt ſcire mereamur. i. Cum aliquid ſcire volumus abſit peruicacia contendendi, adſit diligentia requirendi, humilitas petendi, perſeuerantia pulſandi: vt ſi nobis hoc expedire nouit, qui melius quam nos quid nobis expediat vtique nouit, det & hoc nobis qui dat bona data filijs. K In vnoquoque hominum eſt omnis creatura, non vniuerſaliter ſicut eſt cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt ſed generatim quodammodo

h *l. de moribus Eccleſiæ c. p.*

i. *li. 4. de g. ad littera c. 1.*

K *libro contra Priſcillani c. 8.*

&c.

&c. Ita nullum eſt creaturæ genus, quod non in homine poſſit agnoſci. l. Non eſt erubeſcendum homini, confiteri ſe neſcire quod neſcit: ne dum ſe ſcire mentitur, numquam ſcire mereatur. m Domine Deus veritatis non quiſquis nouit iſta, ipſe placet tibi. Infelix enim homo qui iſta ſcit omnia ſe autem neſcit: Beatus autem qui ſe ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui verò te, & illa nouit, non propter illud beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt: Si cognoſcens te ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non euaneſcat in cognitionibus ſuis. Sicut enim melior eſt, qui nouit poſſidere arborem, & de vſu eius tibi gratias agit, quamuis neſciat vel quot cubitis alta ſit, vel quanta altitudine diffuſa; quam

l. *Epiſtola* 157. *ad optatū.*

m *li.* 5. *Conf. c.* 4.

ille qui eam metitur, & omnes eius ramos numerat, & neque poſſidet eam, neque creatorem eius nouit aut diligit. Sic fidelis homo cuius totus mundus diuitiarum eſt, & quaſi nihil habens omnia poſſidet, inhærendo tibi cui ſeruiunt omnia q̃uis nec ſaltem ſeptẽtrionum gyros nouerit, dubitare ſtultum eſt, quin vtique melior ſit, quam menſor Cæli, & enumerator ſyderum, & penſor elementorũ, & negligens tui qui omnia menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti.

n. *l. 60. Orig. & Priſcillian. c. 11.*

n Ideò quantum quiſq; ſciendo profecerit infrà illas litteras ſe inueniet, quas Deus tamquã firmamentum ſuper omnia humana corda conſtituit. Non itaque opus eſt plus ſapere, ſed ſapere ad temperantiam, ſicut vnicuiq; partitus eſt Deus menſuram

ſuram fidei. o Vndè deſperet ibi eſſe ſcientiam veritatis: vbi neque omnes, à quibus quæritur, docere poſſunt, neq; omnes qui quærunt, diſcere digni ſunt. p. Quiſquis fidei miniſterio cupit inſtrui, *vitæ* ſcientiam deſiderat adipiſci; in qua tantum quiſq; creſcit, quantum magis, quod verum, & ſalutare eſt diligit. Huius ſcientiæ qui tenuerit initium, indubitanter perueniet ad perfectum, & qui non ſpreuerit, lac Apoſtolici ſermonis humiliter accipere, ipſe merebitur ſolidi cibi perceptione gaudere q. Tantũ poteris Deo adiuuante proficere, quanto ſtudioſius cæperis SS. Patrum dicta requirere, & inuenta feruentius atque frequentius recenſere. r Non parua ſcientia eſt ſcienti coniungi. ſ Quid verò

o. *De moribus Eccl. c. pri.*

p. *Epiſtola ad Donaliũ Tribunum de Trinit.*

q. *eadẽ epiſtola infra.*

r. *in pſ. 16 ſer. 1.*

ſ. *l. de Gratia & l. arb c. 19.*

ineptius;immò verò quid amẽtius, & ab ipſa Sanctitate Charitatis alienius quam confiteri ex Deo ſcientiam,quæ ſine charitate inflat, & ex nobis eſſe Charitatem, quæ facit vt ſcientia inflare non poſsit?Item cum dicat Apoſtolus ſupereminentem ſcientiæ Charitatem Chriſti,quid eſt inſanius,quam putare ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſubdenda eſt Charitati: & ex hominibus Charitatem quæ ſupereminet ſcientiæ;ſcriptum eſt Charitas ex Deo eſt,& legimus Spiritum Scientiæ, & pietatis legimus ſpiritum virtutis, & Charitatis, & continentiæ ſed maius donum eſt Charitas,quã ſcientia: nam ſcientia quidem eſt in homine;Charitas neceſſaria eſt ne infletur. Charitas autem non æmulatur,nõ agit per-

peram

peram non inflatur. t. Hinc ſcientia ſi in magnitudine ſua præcedit magnitudinem Charitatis non ædificat, ſed inflat. Cum ergo tanta fuerit Charitas in bonitate ſuaui, vt tribulationibus non poſſit extingui quas adhibet diſciplina: tunc vtilis erit ſcientia qua innoteſcit etiam ſibi homo, quid ipſe meruerit, & quæ à Deo donata ſunt ei per quæ poſſe ſe ſciat, quæ poſſe ſe neſciebat, & per ſe ipſum omninò non poterat. u Scientiam Cæleſtium, terreſtriumque rerum magni exiſtimare ſolet genus humanum, in quo profectò meliores ſunt, qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſemetipſos, laudabiliorque eſt animus, cui nota eſt vel infirmitos ſua, quam qui ea non reſpecta vias ſyderum ſcrutatur, etiam

t. *in pſ.* 118. *conc.* 17.

u *In Prologo lib de Trinit.*

cogniturus, aut qui iam cognita tenet, ignorans ipſe qua via ingrediatur ad ſalutem, ac infirmitatem ſuam. Qui verò iam euigilauit in Deum Spiritus Sancti calore excitatus, atque in eius amore coram ſe viluit, ad eumque intrare nec valens eoque ſibi lucente attendit in ſe, inuenitque ſe ſuam per ægritudinem illius mundiciæ comtemperari non poſſe cognouit, flere dulce habet, & eum precari, vt etiam atq; etiam miſereatur, donec exuat totam miſeriam, & precari cum fiducia, iam gratuito pignore ſalutis accepto, per eius vnicum Saluatorem hominis, & illuminatorem. Hunc itaq; agentem, atq; dolentem ſcientiæ nón inflat; quia charitas ædificat. Præpoſuit enim ſcientiam ſcientiæ, qui

præ-

præpoſuit ſcire infirmitatem ſuam, magis quam ſcire mundi mænia, fundamenta terrarum, & faſtigia Cælorum, & hanc apponendo ſcientiam, appoſuit dolorem. Dolorem quidem peregrinationis ex deſiderio Patriæ ſuæ, & conditoris eius Beati Dei ſui. x Propterea cum audio Chriſtianum aliquem fratrem illum, aut illum iſta neſcientem, & aliud pro alio ſentientem patienter intueor opinantem hominem, nec illi obeſſe video, cum de te Domine Creator omnium non credat indigna; ſi fortè ſitus, & habitus creaturæ corporalis ignoret. Obeſt autem, ſi hoc ad ipſam doctrinæ Pietatis formam pertinere arbitretur, & pertinacius affirmare audeat, quod ignorat. y Sic itaq; adhibeatur ſcientia tam-

x *lib. 5. Conf. c. 4.*

y *Epiſ. 119. ad Iul. c. 21.*

tamquam machina quędam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum ſcientia deſtruetur, quæ ad finem Charitatis adhibita multum vtilis eſt. Per ſe autem ipſam ſine tali fine non modo ſuperflua ſed etiam pernitioſa probata eſt. z Habet enim ſcientia modum ſuum bonum, ſi quod in ea inflat, vt inflare aſſolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, ſed vt ſcimus ædificat. Sine ſcientia quippe nec virtutes ipſæ quibus rectè viuitur, poſſunt haberi per quas, hæc vita miſera ſic gubernatur, vt ad illam, quæ verè beata eſt, perueniatur æternam. & Scientia vt ait Apoſtolus inflat. Quid ergo? Scientiam fugere debetis electuri eſtis nihil ſcire, potius quã in-

z *li.* 11 *de Trin. c.* 14.

& *Serm.* 59. *de Verbis Domini.*

inflari? Vt quid vobis loquimur ſi melior eſt ignorantia, quam ſcientia. Vt quid vobis diſputamus? vt quid quod noſtris admonemus, quod non noſtris inferimus? Scientia cauenda eſt, ne inflet. Ergo amare ſcientiam ſed anteponere Charitatem. Scientia, ſi ſola ſit, inflat. Quia verò charitas ædificat, & ſcientiam non permittit inflari, ibi ergo inflat ſcientia, vbi Charitas non ędificat. Vbi autem ędificat ſolidata eſt. Non eſt ergo ibi inflatio, vbi Petra eſt fundamentum. Quando autem tentat inflatio hoc eſt elatio? Vtique quando Charitas deeſt; Nam propter hoc vitium etiam tantus ille Apoſtolus appoſitum ſibi eſſe dicebat ſtimulum carnis Angelum Satanæ, à quo colaphizaretur. Qui colaphizatur

tur, caput eius tunditur,ne erigatur. Nam ibi de ſcientia metus erat inflationis, hoc eſt elationis. Ait enim,ne magnitudo reuelationum &c.propter,quod ter dominum rogaui.Nec exauditus fuit, quia Gratia Dei non ei defuit. Petit æger vt quod ad ſalutem appoſuit medicus, cum voluerit ægrotus,auferatur.Medicus dicit; Non mordet ſed ſanat. Quare veniſti. Sanare, an moleſtiam non pati? Non igitur exaudiuit Dominus Paulum ad voluntatem, quia exaudiuit ad ſanitatem. Nam virtus in infirmitate perficitur. aa Non eſt vera ſcientia boni,niſi adhoc comprehendatur,vt agatur.Inutiliter enim meditatur legem Dei, qui laborat, vt memoria teneat, quod actione non implet. bb. Non enim tantum-

aa. *lib. de vera Innocē tia cap. 34.*

bb. *Epiſtol 143. ad Iulianā*

modo

modo nos adiuuat Deus, vt ſciamus, quid agendum ſit: Verum etiam vt agamus amando, quod diſcendo iam ſcimus. cc Scientia noſtra, Scientiæ Dei comparata ignorantia eſt. dd Multum quippè intereſt inter cognitionem rei cuiuſq; in verbo Dei, & cognitionẽ in Natura eius, vt illud merito ad diem pertineat, hoc ad veſperam. In comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in ſe ipſa nouimus, non immerito nox dici poteſt; quæ rurſus tantum differt ab errore, vel ignorãtia eorum, qui per creaturam ipſam ſciunt, vt in eius comparatione non incongruè dicatur dies.

cc *l.* 11. *Conf.* 4.
dd *l.* 4. *de Gen. ad litteram c.* 23.

RE-

REGVLA
Seruanda in legendis libris, quæ habetur.

Epiſtola 19., quæ ad Sanctum Hieronymum.

EGo enim fateor Charitati tuæ: Solis eis ſcripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre: vt nullum eorum Auctorum ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſimè credam. At ſi in eis offendero litteris; quod videatur contrarium veritati; nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem: vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego:

vt

vt quantalibet Sanctitate, Doctrinaque præpolleant non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi, vel per illos Auctores canonicos, vel probabili ratione, quæ à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt; Nec te mi Frater ſentire aliquid aliter exiſtimo, prorſus inquam non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum, vel Apoſtolorum de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, Dubitare nefarium eſt; Abſit hoc à pia humilitate, & veraci de temetipſo cogitatione, qua niſi eſſes præditus: non vtique diceres vtinam &c.

De Vnitate Doctrinæ.

NOn amant Sancti ſuos electores, ſi ſuorum ſociorum *l. 3. contra Fauſtum c. 5.*

rum

rum eos inueniant deſertores; Vnitate enim gaudent, & in Chriſto vnum ſunt, & ſi alius aliud, & alius aliud, & alius aliter, & alius aliter. Vera tamen omnes dicunt, nec ſibi vllo modo contraria. Si pius lector accedat, ſi mitis legat, ſi non hæretico animo vndè rixetur, ſed fideli corde vndè ædificetur inquirat.

DE ARTE

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

TEXTVS.

a lib. de vera relig. cap. 30., & 31.

LEx omnium artium cum ſit omninò incommutabilis mens verò humana, cui talem legem videre conceſſum eſt, mutabilitatem pati

pati poſſit erroris, Satis apparet ſupra mentem noſtram eſſe legem, quæ veritas dicitur. Nec iam illud ambigendum eſt, incommutabilem naturam, quæ ſupra rationalem Animam eſt Deum eſſe, & ibi eſſe primam vitam, & primam eſsentiam, vbi eſt prima Sapientia. Nam hæc eſt illa incomutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & Ars Omnipotentis Artificis. b Verbum enim Dei perfectum, cui non deeſt aliquid, eſt Ars quædam Omnipotentis, atque Sapientis Dei plena omnium rationum viuentium, & incommutabilium. c Artem verò vulgarem reperitur nihil eſſe, niſi rerum expertarum placitarumq; memoriam, vſu quodam corporis, atq; operationis adiuncto; quo iudicare

b *lib. 6. de Trin. c. 10.*

c *De vera Relig c. 53.*

de

d lib. 11 de Ciu. Dei cap. 25. de operibus poſſis. d Tria verò ſunt, quæ in vnoquoque artifice ſpectantur, vt aliquid efficiat Natura, Doctrina, & vſus. Natura, ingenio; Doctrina, Scientia; Vſus fructu diudicandus eſt. e l. pri. de Gen contra manich. c. 8. e Ars illa, quæ eſt intus in anima pulchrior eſt quam illa, quæ arte fabricantur, ſed quod videt Artifex intus in arte, hoc foris probat in opere. f Epiſ. nl. 191. ad mem. f litteræ quas variarum ſerui libidinum liberale vocant nihil in ſe congruum habent libertati, niſi quod habent congruum veritati. Non igitur eis eruditi dicendi ſunt liberi, niſi quos ipſe Dei Filius qui veritas eſt liberat. Si inquit veritas, Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Non ergo illę innumerabiles, & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena ſunt carmina Poetarum

tarum vllo modo noſtræ conſonant liberati; non oratorum inflata, & expolita mendacia; non denique ipſorum Philoſophorum garrulæ, argutiæ; qui vel Deum prorſus non cognouerunt, vel cum cognouiſſent non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Ideò obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & dicentes ſe eſſe Sapientes ſtulti facti ſunt. g Præter artes bene viuendi, & ad immortalitatem perueniendi, & ad fælicitatem, quæ virtutes vocantur, & ſoli Dei Gratia, quæ in Chriſto eſt, filijs promiſſionis regnique donantur, non me humano ingenio tot tantæquæ artes ſunt inuentæ, & exercitę partim neceſſariæ, partim voluntariæ, vt tam excellens vis mentis, atque rationis, in ijs etiam artibus quas

g *li. 22. De Ciu. Dei c. 24.*

ſuper-

ſuperfluſas, immò etiam periculoſas, pernicioſaſque appetit, quantum bonum habeas in natura, vndè iſta potuit, vel inuenire, vel diſcere, vel exercere teſtetur? Veſtimentorum, & ædificiorum ad opera, quam mirabilia, & quam ſtupenda induſtria humana peruenerint, quo in agricultura, quo in nauigatione profecerit; quæ in fabricatione quorumcumque vaſorum, vel etiam ſtatuarum, vel picturarum varietate excogitauerit impleuerit, quæ in Theatris mirabilia expectantibus audientibus incredibilia, facienda, & exhibenda molita ſit in capiendis, occidendis, domandis, irrationabilibus animantibus, quæ, & quanta repererit. Aduerſus ipſos homines tot genera venenorum, tot armorum,

tot

tot machinamentorum, & pro ſalute mortali tuenda, atque reparanda, quot medicamenta, atque adiumenta comprehenderit; pro voluptate faucium, quot condimenta, & gulæ incitamenta repererit; ad indicandas, & ſuadendas cogitationes, multitudinem, varietatemque ſignorum, vbi precipuum locum verba, & litteræ tenent; Ad delectandos animas, quot eloqutionis ornatus, quam diuerſorum carminum copiam: ad mulcendas aures, quot organa muſica, quot cantilenæ modos excogitauerit, quantam peritiam dimenſionum, atque numerorum; meatuſque, & ordines ſyderum, quanta ſagacitate comprehenderit, quam multa rerum mundanarum cognitione ſe expleuerit; Quis poſſit eloqui,

maximè ſi velimus non aceruatim cuncta congerere, ſed in ſingulis immorari in ipſis poſtremo erroribus,& falſitatibus defendendis,quam magna claruerint ingenia Philoſophorum,atque Hæreticorum quis exiſtimare ſufficiat? loquimur enim nunc de natura mentis humanæ qua iſta vita mortalis ornatur non de fide, atque itinere veritatis, qua illa immortalis aquiritur.

Obſeruandum tamen hic obiter, eſt quod ait S. Pater Noſter libro primo retractatione; capite tertio retractans, ea quæ in libris de ordine dixerat *vlz.* in his libris diſplicet mihi, quod multum tribui liberalibus Diſciplinis quas multi Sancti neſciunt, quidam autem, qui ſciunt eas, Sancti non ſunt, & quot muſas

t. p. c. 8. & 14.

quanti

quaſi aliquas Deas quamuis iocando commemoraui.

SCHOLIVM PRIMVM.

QVid fortius deſiderat anima, quam veritatem ait. *S.P.N. Tract. 26. in Ioan. hinc eſt quod & Philoſophus dixit omnis homo natura ſcire deſiderat, quod inexplebile deſiderium ad immenſos adigit homines labores; vt Sapientia tantopere dilecta potiantur, & fruantur; Propterea hic poſt demonſtrationem locus ſcientiæ deputari ſolet; tum vt compleantur ea quæ de demonſtratione dicta ſunt, cuius iſta effectus eſt; tum etiam vt ad reliquas ſcientias paretur aditus. Verum quia & ratio dictat, & Philoſophus docet, quod nulla potentia, & nullus actus cognoſci poteſt, niſi*

cognoſcatur obiectum; antequam ſcientiæ naturam, exiſtentiam, & quidditatem exploremus, prius de obiecto aliqua de more prælibanda ſunt.

Quid, & quotuplex ſit obiectum.

Dico igitur primo, obiectum in communi eſſe quoddam totum, circa quod potentia vitalis exercet ſuos actus; & licet plerumque indiſcriminatim accipiantur obiectum, & ſubiectum pro eadem re omnino, nihilominus in rigore loquendo ſubiectum diſtinguitur ab obiecto tanquam pars à toto. Præcipuæ diuiſiones obiecti ſunt duæ, prima qua diuiditur in obiectum per ſe, & obiectum per accidens. Obiectum per ſe eſt illud, quod attingitur à potentia; Obiectum verò per accidens, quod accidit obiecto per ſe, & non attingitur à potentia, in ordine ad quam ſortitur rationem obiecti per accidens

cidens. Secunda, eſt in obiectum materiale, & obiectum formale; Materiale, quod etiam ſecundarium dicitur; eſt illud quod potentia quidem attingit, ſed ratione alicuius alterius; Obiectum verò formale eſt illud, in quod primo, & per ſe potentia tendit per ſuos actus; quod propterea dicitur obiectum per ſe primarium, formale, ſpecificatiuum, & diſtinctiuum potentiæ. Propterea ſicut obiectum formale actus moralis eſt illa ratio, propter quam materiale obiectum amatur, ita obiectum ſcientiæ eſt illa ratio propter quã obiectum materiale cognoſcitur, quæ etiam dicitur ratio, formalis ſub qua: Materiale obiectum, quod ita dictum eſt à ſimilitudine, quam præſefert materiæ Phyſicæ; aut eſt ſubiectum de quo, vel ratio formalis quæ.

Vt melius diſcernatur obiectum formale, & primarium à materiali, & ſecundario, hac regula circumfertur. Quotieſcumq; obiectum ita ſe habet, vt potentia circa illud ita verſetur, vt extrà latitudinem illius tendere non poſſit, manifeſtum eſt illud eſſe formale, & primarium; Quod ſi extrà latitudinem illius ferri poſſit non eſt primarium ſed ſecundarium.

Dico ſecundo, ad hoc vt aliquid ſit obiectum actus ſcientifici, requiri communiter à Doctoribus ſequentes condiciones.

Condiciones Obiecti Scientifici.

Prima vt ſit ens reale; eo quod præſtantiſſima cognitio qualis eſt ſcientia actualis, nullo modo videtur poſſe ſubſiſtere cum obiecto nulla realitate firmatum, vel à ſola ratione fabricatum.

Hæc condicio, ſi ita intelligatur, quod non poteſt haberi ſcientia

tia de negationibus priuationibus. &c. vt ſunt in ſe ſine analogia, ad ens reale, & ſubſtitutione conceptus obiectiui alicuius entis poſitiui loco illarum negationum, priuationum &c. omninò admittenda eſt. Si verò ita intelligatur vt nullo modo poſſit aliquid ſciri de illis non videtur admittenda, nam de facto de ipſis priuationibus, negationibus, Entibus rationis plures, & copioſiſſimi extant Tractatus, in quibus Auctores plura demonſtrant de illis, ex quibus ſi aliquis vellet inſtituere Philoſophiam de non ente, vel de ente rationis; non video cur non poſſet, vel affirmando, vel negando multa de illis demonſtrare.

Secunda condicio eſt, quod ſit vniuerſale, per vniuerſale hoc loco quandoque venit illud, quod opponitur ſingulari; quandoque

illud, quod opponitur illi, quod aliquando eſt, aliquando non eſt; licet enim ſingularia corruptioni, mutabilitati, & contingentiæ ſint ſubiecta; eorum tamen prædicata eſſentialia ſemper retinent æternam, & immutabilem, ac neceſſariam veritatem obiectiuam; quæ licet quandoque in creaturis non fuerit; cum illæ ſemper non fuerint, fuit tamen ſemper in mente Diuina, & ab eo ſemper cognita vt ſuis locis fuſius dicetur. De ſingularibus, eſt commune proloquium non dari ſcientiam, qua ſingularia ſunt, quod eſt intelligendum in nobis, quos plurima latent, & maxime differentiæ ſingulares, & proprietates ſingulorum indiuiduorum; at ſcientia Diuina æque benè penetrat ſingularia quæque, ac prædicata vniuerſalia.

Ter-

Tertia condicio eſt, quod non ſit aggregatum per accidens, hæc condicio importat, quod prædicatum non connectatur fortuitò, & contingenter cum ſuo ſubiecto. Verum ſi eſſet vnum quidem per accidens plurium aggregatione conſtitutum, quæ haberent aliquam connexionem, & ordinationem partium, quæ ad inuicem ſaltem in ratione mediorum, & finis connecterentur, non eſſet excludendum à conſortio obiectorum ſcientiæ, à quo ſolum excluditur tale aggregatum, quando eſt tale ſine ſubordinatione, vel connexione partium inter ſe; ad has condiciones facile reuocari poſſunt ſi quæ aliæ videntur requiri. his datis.

Dico tertio rectè fuiſſe definitam ſcientiam à Philoſopho illis verbis. Scire autem arbitramur Quid ſit ſcientia.

vnumquodque ſimpliciter, & non ſophyſtico modo; qui eſt ſecundum accidens, cum cauſam exiſtimamus cognoſcere, propter quam res eſt, & quod illius cauſa eſt, & non contingere hoc aliter ſe habere, hæc definitio exigit illas duas primas condiciones obiecti ſcientifici; ſi enim tunc ſcimus quando cognouimus cauſam propter quam res eſt, prius debet neceſſariò præſupponi rem habere aliquam entitatem realem vel in ſe, vel in eo in quo, vel ratione cuius cognoſcitur; præterea ſi non contingit rem, quã ſcimus, aliter ſe habere, omninò requiritur obiectum ſcientificæ cognitionis debere vniuerſaliter exiſtere, ideſt inuariabili, & indiſſolubili nexu eſſe cum ſuo prædicato coniunctum. Hæc etiam exiguntur à S. P. N. cum explicat rationem ſcientiæ, & dicit. Scien-

tia

tia non ſolum in comprehenſis ſed ita comprehenſis, rebus conſtat, vt neq; in ea quiſquam errare, nec quibuslibet aduerſitatibus impulſus nutare debeat, *quod non poteſt eſſe niſi detur talis firmitas in obiecto, & in cognoſcente, vt ab ea cognitionis certitudine, & aſſenſu nullo modo poſſit dimoueri; quod non euenit rationabiliter, niſi obiectum ſit tale in ſe, & tali modo cognitum, vt exigat illam ſtabilitatem in ſciente, vt quacumque obiectione in oppoſitum nullo modo nutet, quod neceſſariò exigit illas conditiones.*

Quamuis præcedens ſcientiæ definitio ſit admiſſa communiſſimè, aduertendum tamen eſt, quod non competit cuicumq; ſcientiæ; nam etiam per Ariſtotelem duplex datur ſcientia nempè vna per-

perfectior, alia non ita perfecta; quæ tamen verè, & propriè rationem ſcientiæ diſcurſiuæ participat; illa eſt quæ procedit per cauſam proximam, & immediatam, & quæ prædicta definitione, quæ requirit cauſam eſſendi explicata eſt; iſta verò eſt quæ per effectum, & cauſam eſſendi remotam, ſiue per demonſtrationem quia habetur. Propterea vt complecteretur vtraque, fuit à Philoſophis tradita illa alia definitio. Scientia eſt cognitio diſcurſiua, certa & euidens, ſiuè eſt actus deductus ex duobus principijs certis, & euidentibus, Explicatio illa quam tradit S. P. N. non indiget hoc ſupplemento immediatè antè adducta, nam & ſcientiæ, quæ aquiritur, per demonſtrationẽ propter quid, & ſcientia per demonſtrationem quia adeptæ competit; nam

per

per vtramque ſit, vt ſit talis comprehenſio rerum, vt neque in ea erret, qui eam habet, nec poſſit quocumq; argumento obiecto nutare; quod & magis explicat immediate; cum ait. Veriſſime à quibuſdam Philoſophis dicitur, in nullo poſſe eam, niſi in ſapiente inueniri; qui non modo perſpectum habere debet, id quod tuetur, ac ſequitur; verum etiam inconcuſſum tenere, *quod ſit per vnamquãq; demonſtrationẽ & ſcientiam; nam id quod ſequitur, eſt illa concluſio demonſtrata per præmiſſas certas, & euidentes ſiuè procedant per cauſam, ſiuè per effectum.*

Dico quarto circa exiſtentiam ſcientiæ, non defuiſſe, qui nunquam inueniri poſſe aſſererent, vt fuerunt Academici, contra quos tam acriter, & pro veritate ſcien- **De exiſtentia Scientiæ**

tiæ

tia tum Philoſophica, tum etiam Theologica dimicauit S. P. N. in ſuo primo opere, quod adhuc Cathecumenus compoſuit, & inſcripſit contra Academicos tribus libris abſoluto, & alibi vt ſupra indicaui; eorum, & aliorum fundamenta præcipua, qui erant in hac pernicioſiſſima hæreſi erant duo. Primum quia putabant, ex nullo capite poſſe de nulla re haberi illam certitudinem, & euidentiam quam ſcientia requirit eo quod noſtra cognitio ortum ducat à ſenſibus, & quia nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſibus vt loquitur Peripateticus, & iſti ſæpiſſimè falluntur, per conſequens in errorem inducunt ipſam rationem. Alterum erat quia exiſtimabāt quamcumque noſtram cognitionem ab exiſtentia mutabili, & variabili

rerum

rerum ita eſſe dependentem, vt ad eius mutationem, & iſta mutari debeat; non valentes aſſequi nexum illum inuariabilem quo perpetuo prædicatum cum ſuo ſubiecto coniunctum eſt. Quæ fundamenta, & rationibus, & argumentis ad hominem eſſe omnino infirma, & non poſſe ſuſtinere tantam molem erroris oſtenderunt tum Philoſophi Ethnici, tum etiam S. P. N. cum omnibus Scholis Chriſti fidelium experientia ipſa docente intellectū eſſe optimū Iudicem, & Principem ad corrigendos ſenſus; & acie mentis attingi non ſolum ſubdita temporaneis motibus; ſed etiam æternitate prædita; Relictis Academ. quos lepidè S. Mater noſtra Monica in illa eruditiſſima diſputatione quam habuit cum S. P. N. vt refert ipſe lib. de Beata vita vocat.

cat Caducarios , ideſt morbo caduco lapſos in deliquium ſenſuum, & rationis.

Decernendum eſt omninò certum eſſe fundamentum, quod potuit etiam S. P. pro ſua doctrina dictis libris; nempè dari ſcientiam. Alias enim appetitus ille cum noſtra natura congenitus, (qui nimium vehemens in primis noſtris parentibus, & contra ordinem à Diuina Sapientia praeſcriptum praeſiliens in actum, poſteros in abyſſum tenebrarum, & errorum deiecit) fruſtra inditus diceretur; cum tamen Deus, & natura nihil fruſtra moliantur.

Fuit igitur inconcuſſum tam in Schola Platonis ſaltem eo viuente; quam in Lycaeo Ariſtotelis, dari ſcientiam; de modo tamen illam adipiſcendi fuit inter illos diſſenſio; nam Plato; vt ſonant eius verba

verba ſaltem extrinſecè, ſcientiam ſtudio noſtro, & phantaſmatum miniſterio in nobis de nouo gigni negabat, ſed per reminiſcentiam velut ſopitam in nobis excitandam eſſe aſſerebat. Quam ſententiam ita certum eſt, non eſſe tenendam, ſicut eſt certum animas non praexiſtere corporibus; ſed in eis creatas eſſe; vndè prædictam ſententiam cum errore de traſmigratione animatum creditur Platonē à Pytagorà hauſiſſe; quem poſtea S. P. N. correxit, (ſicut & alios omnes Platonicorum) cum lib. pri. Retr. c. 4. vbi retractat ex lib. 2. cap. 20. Soliloquorum ſuorum ſic. Quodam loco dixi in diſciplinis liberalibus eruditi ſine dubio illas in ſe obliuione obrutas eruunt diſcendo, & quodam modo refodiunt. Sed hoc quoque improbo: Credibilius eſt

eſt enim propterea vera reſpondere &c. quia præſens eſt eis,quantum id capere poſſunt, lumen rationis internæ;vbi hęc immutabilia vera conſpiciunt, non quia ea nouerant aliquando, & obliti ſunt, quod Platoni, vel talibus viſum eſt, contra quorum opinionem quanta dabatur occaſio in libro duodecimo de Trinitate diſſerui. *Videatur igitur dictus liber cap.* 15. *vbi plura habet de hoc argumento illam animarum transmigrationem, ſiuè præcedentiam antè corpora improbat, & confutat etiã capite primo lib. primi Retractationum retractans ſuum dictum lib.* 2. *cap.* 9. *contra Academicos* Securius rediturus in cælum.

Ariſtoteles verò ſcientiam noſtro labore, & induſtria de nouo comparari aſſeruit, vt experientia indi-

indicat; & hoc dogma S.P. Noſter tamquam S. Fidei magis conſentaneum, & experientia ipſa certum firmiſſime tenuit tum prædicto loco, tum etiam locis hic in textu adductis à littera a vſq; ad litteram f. incluſiuè, & maximè prædicto loco litt. c. ex cap. 20. lib. 3. contra Academicos vbi cum dixiſſet. Nulli dubium eſt, gemino pondere nos impelli ad diſcendum auctoritatis atq; rationis. Mihi autem certum eſt nunquam prorſus à Chriſti Auctoritate diſcedere; non enim reperio valentiorem (*poſteà de modo etiam quo ipſe aquirebat Philoſophiam ſic ſubdidit.*) Quod autem ſubtiliſſima ratione proſequendum eſt, ita ſum affectus, vt quid ſit verum, non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere, impatienter deſi-

deſiderem, apud Platonicos interim, quod Sacris litteris non repugnet reperturum eſſe confido. *vbi aduerte li* apprehendere, *& ly* reperturum ; *quæ ſonant nouam aquiſitionem, non verò antiquam reminiſcentiam.*

Inter ipſos poſtea Peripateticos diuerſitas fuit de modo quo de nouo aquiritur. Nam Auerroes; quemdam intellectum aſſiſtentem finxit non verò informantem, beneficio cuius produceretur, Auicenna verò quamdam intelligentiam, quam ille Colcodeam appellauit, ſomniando finxit; qui communiter vel verbis Philoſophi ſolum grammaticaliter perpenſis; vel difficultate aſtruendi quomodo in nobis ſpecies ſpirituales producerentur oppreſſi, hac ſomnia in ſuas Scholas adduxerunt. Aſt re vera vi noſtri intellectus gignitur;

gnitur ſciẽtia illa ſumma Intelligentia increata iuuãte, & donante, quæ ad omnes Creaturarũ actiones ſua infinita poteſtate cõcurrit vt ait S.P.N. lib. 11. *de Ciu. Dei cap.* 25. Natura noſtra vt eſſet Deum habet Auctorem, procul dubio vt vera ſapiamus ipſum debemus habere Doctorem, & *lib. de Gratia, & lib. arb. cap.* 19. *vt hic in t. litt. s.* Quid ineptius quid amentius &c. quam confiteri ex Deo ſcientiam &c. & ex nobis eſſe Charitatem &c. *Eſt igitur intellectui noſtro ſcientia naturaliter debita, non tamen ſecundum actum exercitum aut potentiam proximam, & completam; ſed ſecundum potentiam remotam, & inchoatam, quæ comparatur quidem beneficio ſenſuum, vt habet etiam hic S. P. N. cum ait litt. f.* Conſtat ſcientia noſtra

ex

ex viſis rebus, & creditis, *ne tamen errori ſubiecta eſt; nam error vnius ſenſus rectè ab alio ſenſu deprehenditur; quo miniſtro poſteà mens noſtra certò, & infallibiliter portũ veritatis attingit.*

De euidentia requiſita ad ſcientiã. *Dico quinto, euidentiam, quæ à ſcientia exigitur, poſſe definiri, quod ſit claritas cognitionis, qua intellectus ita clarè, & dilucide cognoſcit obiectum, vt quodammodo videatur eam cernere fauet S. P. N. hic in textu citatus litt. f. cum ait.* Scientia noſtra conſtat ex viſis rebus, *& infra* hinc factum eſt vt etiam rectè credita, & ſi non adſint ſenſibus noſtris, videre mente dicamur, *& alibi ſæpe ſimilia habet, hæc euidentia triplex communiter à Philoſophis ſtatuitur. Prima, & præcipua eſt euidentia, quæ dicitur Metaphyſica, qua intellectus ita clarè conſpicit*

ſpicit obiectum, vt repugnare cognoſcat aliter ſe habere per quamcumque potentiā. Secunda eſt illa, quæ dicitur Phyſica, quæ nihil aliud eſt quam cognitio clara ex principijs phyſicis, & naturalibus deducta, cui non poteſt quidem naturaliter ſubeſſe falſum, diuinitus tamen falſitatem incurrere poteſt nam per Diuinam Potentiam poteſt variari eius obiectum. Tertia eſt, quæ dicitur moralis, quæ eſt illa claritas cognitionis, qua quis iuxta regulas Prudentiæ non poteſt non aſſentiri obiecto, & huic naturaliter poteſt ſubeſſe falſum; Hæc tertia euidentia non poteſt conſtituere actum ſcientificum. At verò tam euidentia Phyſica, quam Metaphyſica mediata conſtituunt ſimul cum alijs requiſitis actum ſcientificum; Eſt enim id per quod pri-

mo actus ſcientificus diſtinguitur à quocumque alio actu qui non ſit ſcientificus; & ideò ad eſſentiam ipſius actus ſpectat; à qua profluit certitudo, quæ eſt firmitas illa, qua intellectus re perſpecta non poteſt dimoueri ab illo aſſenſu, & ideò dicitur proprietas ipſius euidentiæ. Vtramque condicionem expreſſit S. P. in ſua definitione de ſcientia; cum ait S. à Scientia ita comprehenſis rebus conſtat, vt neque errare, nec quibuslibet aduerſitatibus nutare debeat *in ly* ita comprehẽſis rebus importatur euidentia, *nam comprehenſionem ſic definiuit Epiſtola* 112. *cap.* 8. Id comprehenditur, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, *per ly verò* vt nec quibuslibet aduerſitatibus nutare poſſit *indicatur firmitas illa, ſeu certitudo,*

tudo, quæ prouenit ex obiecto taliter comprehenſo.

Quæri hic ſolet, à quo proueniat difficultas aquirendi ſcientiam; cui rectè Reſpondetur, quod cum difficultas iſta ſit poſita in improportione potentiæ cum obiecto, pro radice difficultatis aſſignari debent intellectus, & obiectum. At verè, & realiter præcipua cauſa huius difficultatis tribuitur imperfectioni noſtræ mentis ob dependentiam obiectiuam illius à ſenſu, pro modo ordinario aquirendi ſcientiam in via; hanc difficultatem, & modum eam ſuperandi tradit S. P. libro 3. contra Academicos, vbi cum cap, 4. inter S. Alipium, & S. P. Auguſtinum fuiſſet propoſita Scientia ſub exẽplo Prothei illius, de quo Virg. 4. Georg. ibi præclare, & acutè S. P. in perſona S. Alypÿ ſic ſcribit. Suãq;

Vndè prouenit dif. ficultas aquirendi ſcientiam.

imaginem, & quaſi ſpeculum quodam in Protheo illo animaduerti oportere, qui traditur eo ſolere capi, quo minimè caperetur, inueſtigatoreſque eius numquam eumdem tenuiſſe, niſi indice alicuiuſmodi numine, *cui reſpondens cap. 5. ait*. Quis autem verum poſſit oſtendere abs te Alipi lictum eſt, &c. Etenim numen aliquod dixiſti ſolũ poſſe oſtendere homini quid ſit verum cum breuiter tum etiam piè. Nihil itaque in hoc ſermone noſtro libentius audiui, nihil grauius, nihil probabilius, & ſi numen vt confido adſit nihil verius, *explicat poſteà ibi ille Protheum referentem imaginem Veritatis, & ſuſtinentem perſonam, & alia de quibus infra redibit ſermo, inuocandum igitur Diuinum Auxilium ſemper, ne falſis*

ima-

imaginibus decipiamur, & in errorem inducamur noſtro ſenſu nos alliciente, & Principibus tenebrarum ad id ſummopere conantibus; ſed tempus eſt vt ab actu ſcientifico ad habitum ſcientificum gradum faciamus verum quia non poteſt ſciri quid ſit habitus ſcientificus ignorata ratione habitus opus eſt, prius aliquid de habitu in communi prælibare de more.

Dico igitur ſexto; dari habitum certum eſſe ex communi ſenſu omnium Philoſophorum, & experientia, ac conſuetudine comprobatum, experimur enim ex frequentatis actibus gigni in nobis promptitudinem, & facilitatem quamdam ad conſimiles producendos, & hoc eſt, quod prædicatur illo communi effato, ex frequentatis actibus fit habitus. De exiſtentia habitus

Facilitas iſta reſidet in potentia non ſolum præſentibus, ſed etiam tranſactis actibus; experimur enim poſt plures actus mirabiliter nos inclinari ad illas operationes, à quibus anteà ſummopere abhorrebamus propter magnam difficultatem; quam in illis exercendis experiebamur.

De Habitibus Naturalibus, & ſuper naturalibus. *Diuiduntur habitus primo communiter in naturales, & ſupernaturales; dari habitus ſupernaturales, & omninò apud Catholicos certum, & extrà omnem dubietatem; eos enim D. O. M. infundere, & benigniſſima manu inſtillare animis, noſtris Sancta Mater Eccleſia ſtatuit, & definit. Naturales verò exiſtere, præter quotidianam experientiam Philoſophi cum Ariſtotele in moralibus aſſerunt, & confirmant illo Axiomate; Agendo quæ ad com-*

mercia

mercia hominum ſpectant, alij iuſti, alij iniuſti efficimur: agendo, quæ in terribilibus rebus conſiſtunt, & aſſueſcendo, vel confidere, vel timere alij fortes alij ignaui euadimus; pariter in ijs, quæ ad cupiditates, & iras pertinent temperantes alij, & manſueti alij, iracundi, & intemperantes fieri conſpiciuntur, (ex quibus concludit) ex ſimilibus operationibus habitus fieri. Videatur etiam lib. ſecundus Ethicorum cap. 3. & 5. &c. hos, & illos admittere S. P. N. Auguſtinum patet tum ex dictis in Categorijs cap. de Qualitate tum etiam lib. 83. quæſtionum vbi enumerans plures acceptiones habitus qu. 72. ait multis modis habitum dicimus. Vel habitum animi ſicut eſt cuiuſcumque diſciplinæ perceptio vſu roborata, atque firmata. Vel &c. *& lib.*

14. *de Trinitate capite 7. fuſè, & per extenſum declarat inueniri in nobis habitus ſcientiarum licet actu non exerceamus illarum actus, & lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 1. verſus finem ait* in illa etiam differentia, quæ adhibetur ex habitu, & conſuetudine Cynicorum, non quæritur quiſnam ſit finis boni, ſed vtrum in illo habitu, & conſuetudine ſit viuendum &c. *de habitibus ſupernaturalibus loquitur vbi de Gratia Chriſti, & de virtutibus infuſis vt ſuo loco oſtendam.*

Diſtinguuntur habitus naturales à ſupernaturalibus in hoc, quod naturales ſupponunt actiuitatem in potentia ſufficientem ad eliciendum ſuas actus, & ſolum conferunt facilitatem tali potentiæ; ita vt quod potentia antequam haberet habitum poterat cum diffi-

cul-

cultate operari poſt aquiſitionem habitus cum facilitate exequitur, ſupernaturales verò habitus Potentiam inſufficientem ad actus ſupernaturales eliciendum attollunt firmant, & complent, eamq; ad talem dignitatem euehunt, vt in actus ſupernaturales ſimpliciter prorumpere queat. Ex hac differentia oritur illa alia quod habitus naturales acquiruntur noſtris actibus, vnde, & habitus aquiſiti communiter dicuntur, ſupernaturales verò infunduntur; vndè, & habitus infuſi nominantur de his plura Theologi.

Habitus tam naturales quam ſupernaturales communiter cum S. P. N. vt patet in categoriis c. de qualitate ponuntur inter qualitates; vndè, habitus ſolet cum Ariſtotele nominari pro prima ſpecie contenta ſub qualitate. Ve-

Quicum qu. habitus ex S. P. N. eſt qualitas.

rum non defuere celebres Doctores qui negarent habitum naturalem eſſe qualitatem potentiæ ſuperadditam,(de ſupernaturalibus habitibus adhuc non vidi Auctorem negantem) poſuerunt iſti habitum de formali dicere relationem identificatam cum potentia, per quam Potentia reddatur expedita, vt cum facilitate, & delectatione quadam in tales vel tales actus prorumpat. Horum ſententia mihi numquam placuit, quantauis Auctoritate fulciatur, quam aliqui ex prædictis prætendunt eſſe ipſius Ariſtot: ſed quidquid ſit de hoc; nam modo non ſum ſollicitus de illius Auctoritate, ſed ſolum de Auctoritate S. P. Noſtri Auguſtini; cuius mens conſtat ex dictis c. de qualitate, & ſupracitatis locis; mihi ſalua illorum pace videtur reprobanda; primo ex

eo

eo capite quod aperit viam ad aſſerendum quid ſimile de habitibus ſupernaturalibus; quod re vera non poſſet poſteà ita faciliter conciliari cũ Principijs veris, & ſanis Sacræ Theologiæ. Verum quia poſſunt faciliter reſpondere; quod eſt diſpar ratio de habitibus naturalibus, ac de ſupernaturalibus, eo quod iſti dant ſimpliciter poſſe, & propterea conſiſtunt neceſſariò in aliquo ſuperaddito; vnde, & infunduntur, infuſio verò competit qualitati, at verò naturales conferunt ſolum faciliter poſſe, & per conſequens illa ſola relatione poſita faciliter ſaluatur, quod in ea conſiſtat ratio talis habitus, propterea argumento naturali puto ſufficienter poſſe conuinci, quod eſt huiuſmodi. Ad hoc vt potentia difficilis ad operandum reddatur, facilis, exigitur neceſ-

ſariò aliqua mutatio in operante ; Sed hæc mutatio non poteſt termi-nari ad relationem, cum non detur motus per ſe ad relationem ; Ergo formale habitus non poteſt conſiſtere in relatione ; Quod ſi dicant illum motum terminari per ſe ad aliquam qualitatem quidem, quæ ſit materiale habitus, ipſam verò relationem eſſe formalitatem habitus ; præter quam quod hoc poſtremum eſſet gratis dictum. Non video, cur non conſtituant rationem habitus in illa qualitate, ad quam per ſe datur motus, maximè cum tam Philoſophus quam S. P. N. ac etiam communis ſenſus ferè omnium Scholarum ponant, habitum de formali dicere qualitatem, ad quam quidem conſequitur relatio ad actus, & obiecta ; Verum ipſa non fuit vnquam ab iſtis iudicata ratio formalis habitus.

Su-

Subiectum habitus preſſius ſumpti conſtituunt aliqui ſolam voluntatem; nomine habitus naturalis rigoroſè ſumpti intelligunt illum qui ſupponit in potētia facultatem actiuam conſtitutam in actu primo proximo ad operandum, & eliciendos actus; ad quos ordinatur habitus, & propterea illi ſoli tribuit facilitatem exercendi ſuas operationes; & hoc dicunt competere tali habitui in ordine ſolam ad voluntatem; eo quod hæc unica inter potentias libertate formaliter prædita eſt, & ideò in eius poteſtate vertitur, præſentibus omnibus, quæ ad agendum requiruntur agere, vel non agere. Ex quo fit, quod cum à nullo cogi poſſit ad agendum, maiorem propenſionem per exercitium ad vnū potius quam ad aliud per actus ſuos acquirere poteſt. Verum hic

De ſubiecto habitus

non video, cur talis habitus non competat alijs potentijs in ordine ad ſuos actus, quos anteà cum difficultate, & imperfectione licet ex neceſſitate exercebat; cum ex frequenti exercitio talium operationum reddãtur faciles, & promptæ ad eaſdem exercendas cum facilitate, & ſine imperfectionibus; quo caſu mihi videtur ita propria ratio habitus quemadmodum eſt illa habituum qui reſident in voluntate. Propterea cenſeo reuera potentias productiuas operationum immanentium; Non dico tamen omnes, ſed illas quæ ex frequenti talium actuum exercitio fiunt propenſiores, & euadunt faciliores ad illos exercendos, eſſe omnes capaces habitus propriè dicti, cum tali qualitati facilitanti competat definitio eſſentialis habitus non minus ac illi, quæ reſidet

in

in voluntate quo poſito. Certum eſſe cenſeo habitum propriè dictum reperiri non ſolū in ſubiectis ratione vtentibus; ſed etiam in brutis, in quibus quotidiana experientia compertum eſt ſenſum internum; appetitum ſenſitiuum; & potentiam loco motiuam crebra frequentatione actuum reddi expeditam, & promptam ad ſimiles actus quamuis antea difficillimos. Vndè non pprobo eorum ſententiam qui iudicant ab Intellectu humano eſſe relegandum omnem habitum. Nec etiam eorum qui ſolum habitum latè ſumptum ei concedunt, non verò preſsè, & rigoroſè ſumpti; quia S. P. N. Auguſtinus libro Categoriarum c. de Qualitate explicans rationem habitus propriè dicti ait. Habitus affectio animi eſt longo tempore perſeuerans, *quæ definitio cum*

com-

competat facilitati illi, quã aquirit Intellectus ad eliciendos actus ſimiles illis, quibus producta fuit; Non video cur excludenda ſit à numero habituum propriè dictorum præterea lib. 3. contra Acad. cap. 3. ait. Sapientem à ſtudioſo nulla re differre arbitror, niſi quod quarum rerum in ſapiente quidam habitus ineſt, earum eſt in ſtudioſo ſola flagrantia.

Nec officit quod etiam Intellectus numeretur inter eas potentias quæ ſufficienter propoſito obiecto feruntur toto conatu abſque difficultate in illud; ac propterea nequeunt eſſe capaces habitus, eo quod videatur habitus ex ſua ratione poſtulare in potentia libertatem, & dominium in ordine ad ſuos actus. ℞. enim gratis ſupponi requiri in potentia libertatem, & dominium propriè dictum,

tum; & ſufficere indifferentiam quamdam, ratione cuius potentia illa modo difficilis modo facilis eſt in ordine ad illos actus, quæ potentia cum ratione aſſuefactionis reddatur poſteà inclinata ad dictos actus, iam poteſt dici aquiſiuiſſe habitum propriè dictum. Huiuſmodi habitus Intellectuales arbitrati ſunt plures eruditi Philoſophi conſiſtere in quadam collectione ſpecierum intelligibiliū, quæ ſententia diu mihi placuit; Verum poſteà conſiderans non eſſe ad mentem S. P. N. nec S. Thomæ, & quod ſpecies ſe tenent ex parte obiecti, & ſunt ſolum ipſius virtus; & veluti ſemen quoddam quo Intellectus fæcundatur ad conceptum Intellectionis, arbitror ponendam eſſe qualitatem ſuperadditam dictis ſpeciebus, ſicut ponitur in alijs potentijs vltra illas per

quas

quas redduntur potentes elicere ſuum actum, cum per huiuſmodi qualitatem debeant nō ſolum poſſe, ſed etiam faciliter poſſe, quod antè illam non habebant. Hinc Reijcienda pariter eſt eorum opinio, qui volunt huiuſmodi habitus Intellectuales formaliter conſiſtere in relatione idemtificata cum ipſa potentia intellectuali; eſt enim hæc ſententia, & contra S. P. N., & contra Philoſophum, qui habitum quemcumq; ſic verè dictum ponunt ſpectare ad primam ſpeciem qualitatis. Et præterea ſequeretur neceſſariò, huiuſmodi habitus nullam habere cauſam efficientem præter illam, quæ ponit in eſſe ipſam potentiam Intellectualem, cum illa relatio habeat idemtatem cum illa, quod patet eſſe euidenter contra experientiam; nam facilitas illa quam ſucceſſu

ceſſu temporis, & frequentatione plurium actuum aquirit Intellectus non minus de nouo producitur, quam illæ facilitates quas aquirit voluntas ex frequentatione ſuorum actuum.

Inquiri hic ſolet quid ſit illud, quod exigunt potẽtiæ, vt expeditè ſuas operationes exerceant, quod ſolet etiam dici materiale habitus ℞. quod ſi loquamur de voluntate in qua reſident ferè omnes habitus morales, hi prærequirunt ſpecies intelligibiles maiori efficacitate hanc vel illam rationem boni pro qualitate actuum ad quos conſequuntur repræſentantes; vel mutationem aliquam factam in appetitu ſenſitiuo, & quia tam hęc paſſio quam illæ ſpecies intelligibiles repetitis vicibus, & frequenti actuum vſu concurrunt ad producendam illam qualitatem faci-

Quid exigat Potentia vt expeditè operentur.

facilitantem potentiam; ideò ab illis emanare huiuſmodi habitus meritò dicuntur; vndè potius rationem cauſa efficientis inſtrumentaliter quam materialis mihi videntur ſortiri.

In Intellectu verò habitus v.g. ſcientificus, ex quo poſtea facile eſt iudicare de alijs, prærequirit ſpecies complexas, quæ ſubſequuntur ad actus præcedentes ad actum ſcientificum, qui ſæpè repetiti, & remouent illam difficultatem, quæ retardabat Intellectum à producendo actum ſcientificũ, & Phantaſiam (à qua ferè omne difficultatis obſtaculum emanat) purgant, & concurrunt ad hoc vt dilucidè, & diſtinctè phantasmata intellectui proponantur; quibus præſuppoſitis fit poſteà, vt ex frequentatis actibus ſcientificis producatur habitus ſcientificus inclinans

ad

ad actus ſimiles illis per quos productus fuit.

Sic etiam Artifex qui anteà operationem ſuam cum difficultate exercebat, per frequentationem actuum acquirit in Intellectu ſeriem copioſam ſpecierum, quæ conſequuntur ad repetitionem actuũ; Et ſic fit vt per illas ſpecies veluti per tot lumina multiplicata ſecurius, & cum maiori directione procedat, & ad hæc conſequitur, ſiuè ex his emanat Artificioſus habitus. Eodem modo proportionaliter tamen philoſophandum eſt de productione habituum in phantaſia, & ſenſu interno, in quibus ab exacta cognitione ſenſitiua interna prouenit phantaſma clarius, & diſtinctius proponens obiectum, ex quibus profluit promptitudo illa, & facilitas ad huiuſmodi operationes.

Ce-

Celebris hic agitatur quæſtio an vnico actu comparetur habitus vel requirantur plures actus: Cui ℞. primo quod loquendo de habitu ſcientiæ, cum ſemel poſita ratione motiua Intellectui aſſentiendi cõcluſioni ſcientificæ euadat promptus, & facilis ad ſimiles actus, rectè poſſe dici, per illum actum vnicum comparari habitum in ordine ad illam concluſionem; intelligo tamen hic per actum ſcientificum non ſolam concluſionem demonſtratam ſed etiam cum illa omnes actus neceſſariò prærequiſitos ad dictum actum ſcientificum. ℞. 2. quod loquendo de alijs habitibus qui ſubiectantur in alijs potentijs voluntate ſcilicet appetitu ſenſitiuo, & potentia loco motiua, eſto non repugnet, quod per vnicum actum, ſi tamen ſit validiſſimus, potentia reddatur prom-

An vnico actu comparetur habitus

prompta, & facilis ad ſimiles actus; Nihilominus cum ſpecies quã acquiſiuit intellectus per vnum ſolum actum non ita efficaciter repræſentet rationem illam, ac repræſentant plures ſpecies relicta à frequentatis actibus, & prætereà non ſuccedat ad vnicum actum ſufficiens mutatio in corpore ad hoc vt potentia euadat facilis, & prompta, huiuſmodi habitus regulariter, & moraliter loquendo non per vnum, ſed per plures actus producuntur; quam frequentationem actuum requirit S.P.N. etiam in ordine ad habitum ſcientificum, vt patet ex lib. 83. quaſtionum 73. vbi ait. Multis modis habitum dicimus. Vel habitum animi ſicut eſt cuiuſcumque diſciplinæ perceptio vſu roborata, *vbi per ly vſu roborata indicat frequentationem actuum.*

An

An habitus concurrat phyſicè ad productionem actus nec ne? eſt ſatis agitata quæſtio alijs negantibus eo quod potentia ſola ſit cauſa ſufficiens ad producendum actum; vndè fruſtra poneretur concurſus effectiuus; Vndè iſti cenſent ſpectare ſolum ad habitum inclinare potentiam ad actus ſiuè reddere illam promptam vt exerceat ſuas operationes cum facilitate, & delectatione. Alijs verò affirmantibus eo quod illa maior facilitas, & promptido arguit maiorem efficacitatem in cauſa, quæ non videtur aliundè poſſe prouenire quam ab habitu, & hoc etiã videtur indicare actiuitas habituum ſupernaturalium, licet enim ſit diſpar ratio inter iſtos, & naturales, eo quod ſupernaturales dant ſimpliciter poſſe nihilominus cum ex hoc capite habeatur

Actus producuntur phyſicè etiam ab habitu.

com-

competere aliquibus ſpeciebus habitus actiuitatem; & ex alio capite videatur maior actiuitas in potentijs inſtructis habitibus quã in potentijs, quæ carent illis, & non poſſit refundi hæc maior actiuitas in aliud comprincipium quã in habitum; habetur ſufficiens ratio ad concedendam actiuitatem phyſicam habitibus in ordine ad ſuos actus.

Quæritur hic vlterius quo pacto diſtinguantur ſpecie habitus ℞. communiter diuerſificari per ordinem ad obiecta formalia; circa quæ exercent ſuos actus, non verò per ordinem ad ſola obiecta materialia; Et propterea vbicumque diuerſa adſunt obiecta formalia, diuerſi multiplicari poterunt ſpecie habitus, & ſic idem habitus poterit inclinare potentiam ad diuerſa ſpecie obiecta *Vnde deſumatur diuerſitas ſpecifica habituum.*

materialia ſi tamen ſint coniun-cta in eadem ratione obiectiua formali, quemadmodum etiam diuerſi ſpecie habitus inclinat potentiam ad idem ſpecie materiale obiectum ſi tamen ratio obiectiua formalis multiplicetur.

De Augmento intenſiuo, & extenſiuo habituum.

De augmento habituum nunc agendum, quod eſt in duplici differentia alterum enim dicitur intenſiuum alterum verò extenſiuũ. Augmentum intenſiuum appellant quando potentia magis ac magis propendit in idem obiectum, & maiorem facilitatẽ aquirit circa illud quam anteà haberet per actus intenſiores, vel amãdo, vel intelligendo &c. primo diuerſitate habituum Augmentum extenſiuum dicunt cum ad plura obiecta ampliatur, cum dico plura obiecta intellige materialia; nam ſi eſſent plura obiecta formalia

lia

liaiam non augeretur habitus,ſed aquiretur alter ſpecie diſtinctus.

Augmentum illud intenſiuum habitus nõ haberi per actus ſimiles, & æquales habitui, eſt communis ſententia,propter rationem communiter receptam,quod omninò ſimile, & omninò æquale non agit in omninò ſimile, & omninò æquale;Vnde creſcunt tantum habitus per actus qui intenſione, virtute, & perfectione ſuperant eas à quibus producti ſunt.

Augmentum verò extenſiuum, cenſent omnes debere fieri per actus aliquo modo inter ſe diſſimiles per ordinem ad obiecta; Non conſtat tamen certò inter Doctores an debeant eſſe actus ſolo numero diuerſi, vel poſſit fieri etiam per actus ſpecie differentes, alij affirmant, alij negant;Conciliari poſſe credo. Si dicatur, augere quidem

extenſiuè habitum genericum per actus ſpecie diſtinctos, ſiuè circa diuerſa ſpecie obiecta formalia verſantes, habitum verò ſpecificum extendi ſolum per actus ſolo numero differentes ſiuè circa diuerſa obiecta ſolum materialiter diuerſa exercitos.

De manutentione, & deperditione habituum facilè eſt determinare nam commune eſt, eos conſeruari per actus ſimiles illis, per quos producti fuerunt, & ex eorum diuturna ceſſatione conſequi diminutionem, & deſtructionem eorum non per ſe, ſed per accidens quatenus illa ceſſatio permittit, vt inſurgant aliæ cauſæ, vel producantur alij actus, vel omninò deſtruentes, vel ſaltem opprimentes ſeù obruentes prædictos habitus. Deperduntur verò per ſe, aut minuuntur, vel per contrarios actus

Quomodo conſeruentur, & deperdantur habitus.

illis per quos acceperunt eſſe, vel per mutationem aliquam factam in corpore; per quam tollitur illa potentia expedita ad hos vel illos actus; vel per ſpecies, quæ maiori virtute, & actiuitate proponunt rationem boni ipſi potentiæ; quæ cauſæ iuxtà diuerſitatem habituum applicandæ ſunt eorum deſtructioni. Hinc quattuor cauſas aſſignauit Philoſophus deperditioni ſcientiæ primo poſteriorũ textu 17. earum prima eſt ſi pereat res ſcita (intellige non ſolum quoad exiſtentiam ſed etiam quoad eſſentiam) Secunda ſi pereat ſciẽs Tertia ſi ſciens obliuiſcatur concluſionis. Quarta verò ſi obliuiſcatur medium.

Nunc de habituum diuiſione aliquid dicendum eſt. Et Primo quidem vt iam ſupradixi habitus in communi diuiduntur in infu- Diuiſiones habituum.

ſos, & acquiſitos; illi dicuntur infuſi, quia benignè à Domino noſtris animis infunduntur, iſti verò acquiſiti appellantur, quia ex frequentatis noſtris actibus acquiruntur. Illi qui in infuſi appellantur ſunt in duplici differentia, alij enim ſunt infuſi per ſe, alij infuſi per accidens; infuſi per ſe ſunt illi, qui ex ſua ratione formali exigunt hoc modo produci, vt ſunt Fides Spes Charitas, qui à ſolo Deo animis noſtris donantur. Infuſi verò per accidens illi ſunt, qui licet poſſint noſtris actibus acquiri, & non exigant infundi à Deo; nihilominus quandoque noſtris animis benigne inſtillantur; vt ſunt plures virtutes morales; de his plura Theologi.

Inter hæc duo genera habituum, ideſt Acquiſitorũ, & Infuſorum; non datur quid medium, ideſt habitus

bitus, qui non ſit nec acquiſitus nec infuſus; talis enim habitus ſi daretur deberet eſſe naturalis, ideſt cum ipſa natura congenitus; quod & rationi, & experientiæ repugnat, experiētiæ quidem quia vſu compertum eſt nos acquirere noſtris actibus facilitatem, & promptitudinem ad actus anteà difficiles; rationi verò quia vt dictum eſt ſupra, per ceſſationē diuturnam actuum, vel per actus contrarios deperduntur, & deſtruuntur quilibet habitus; quod non fieret, ſi eſſent nobis à natura congeniti. Nec obſtat illa promptitudo, & inclinatio naturalis ad aliquos actus, ad quos alij nonniſi difficulter inclinantur, quæ inclinatio cum proueniat ex varia habitudine, & temperamento corporis naturalis, & à natura congenita dici poteſt. Nam à Philoſophis non nu-

meratur inter habitus qualibet propenſio, ſiue inclinatio aut facilitas ſed illa ſolum, quæ non eſt debita naturæ ſecundum ſe, & noſtris actibus comparatur. Quod etiam indicat S. P. N. lib. 83. qq. qu. 73. cum ait. Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis vt habeatur accidit. Verumtamen hoc intereſt, quod quædam eorum, quæ accidunt nobis vt habitum faciant, non mutantur à nobis, ſed ipſa nos mutant, in ſe ipſa integra, & inconcuſſa manentia: ſicuti ipſa Sapientia, cum accidit homini non ipſa mutatur; ſed hominem mutat &c. *vbi clarè patet ipſum velle eſſe de ratione habitus, quod accidat nobis, & quod habeant mutare nos vt eſt ſapientia, & omnes illi; de quibus hic agimus; nam illi qui non mutant nos non*

ſunt habitus in ea ſignificatione, qua hic à nobis ſumuntur, ſed habitus qui ſunt veſtes, & huiuſmodi alia; hoc etiam ſatis clarè inſinuarat in principio dictæ quaſtionis; vbi cum diſtinguit contenta ſub hac voce habitus, ait. Vel habitum animi, ſicut eſt cuiuſcumq; diſciplinæ perceptio &c. Vel habitum corporis, ſecundum quem dicimus alium alio eſſe ſucculentiorem, & validiorem. quæ magis propriè habitudo dici ſolet; Vel habitum eorum, quæ membris noſtris accommodantur extrinſecus, &c. In quibus omnibus generibus, Siquidem nomen hoc dictum eſt ab illo verbo, quod eſt habere, manifeſtum eſt in ea re dici habitum, quæ accidit alicui; ita vt eam poſſit etiam non habere: nam, & doctrina accidit animo

&c. per quæ verba ſatis indicat, illam propriam rationem habitus non eſſe congenitam à natura. Nec officit illa facilitas, & promptitudo, qua Intellectus noſter aſſentitur primis principijs, quæ non videtur noſtris actibus acquiſita, ſed ab ipſa natura indita. Nam ex quotidiano vſu conſtat Intellectum ſemper reddi magis facilem ac promptum ad penetrandam quidditatem primorum principiorum ex repetitis terminorum perceptionibus; Vndè falſum eſſe cernitur, quod aliqui contendebãt, nempè Intellectum non egere habitu in ordine ad prima principia, ſed natiua vi, & facultate ſua ea penetrare, ac proindè hanc vim Intellectum dici &c. nam prędicta experientia hoc aſſertum falſitatis arguit. Quod ſi opponant prædictam facilitatem dici natura-

lem

lem non alia ratione, niſi quia eſt à natura congenita, negatur. Eatenùs enim dicitur naturalis, quatenus Intellectus propria virtute poſitis conditionibus neceſſarijs, abſque medio aſſentitur primis principijs; quod non contingit in ordine ad concluſionem ſcientificam, cui aſſentitur ſolum propter medium.

Secunda diuiſio habitus eſt in habitum virtutis, & in habitum non virtutis. Nomine habitus virtutis venit hic illa facilitas, & promptitudo, quæ diſponit potentiam ad perfectos actus naturæ conſentaneos eliciendos; nam licet hoc nomen virtutis quandoque latiſſimè ſumatur pro quacumque facultate operatiua, etiam ſi exiſtat in rebus inanimis, in quibus certum eſt non dari habitum in ea acceptione, qua hic loquimur, nihi-

lominus hic ſumitur nomen virtutis pro ea, quæ definitur habitus infallibiliter verſans circa bonũ, ideſt circa perfectionem naturæ rationalis; Vndè & à S.P. N. Auguſtino lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 21. fuit approbata definitio virtutis à veteribus tradita vbi ait. Quid doctrinæ vel à Mercurio, vel à Minerua petendum eſſet, quum virtus omnia ſecum haberet? Ars quippè ipſa benè rectèque viuendi virtus à veteribus definita eſt. Vndè ab eo quod Græcè αρετη dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxiſſe putatur &c. *Si ergo eſt ars benè rectè viuẽdi, eſt profectò habitus verſans circa perfectionem naturæ. Habitus non virtutis, vel ſunt vitia, quæ contrariantur virtuti, vel nec virtutis, nec vitij eſſentiam habent; eo quod nec*
conti-

continent perfectionem illius, nec deuiant ad imperfectionem iſtius &c. vt eſt habitus opinatiuus ex genere ſuo &c. huiuſmodi &c.

Tertio virtutis habitus acquiſiti, ſiue naturales diuiduntur in Intellectuales, & morales. Virtutes morales, quæ hoc modo appellantur à more, & affectiuæ, ſiuè etiam appetitiuæ à ſubiecto in quo reſident denominantur, ſunt illa, quę inclinant ad honeſtè agendum ſiuè quæ nonniſi ad honeſtè operandum quatenus virtutes ſunt promptum, & expeditum, ac facilem reddunt animum; quod explicat etiam S. P. N. lib. p. Retr. c. 9. cum ait. Virtutes quibus rectè viuitur magna bona ſunt, *(& infra)* Virtutibus nemo male vtitur *ſubdiuiduntur hæ virtutes appetitiuæ in tres veluti Claſſes, nempè Fortitudinem cum ſuis*

ſibi ſubordinatis. Temperantiam cum ſuis &c. & Iuſtitiam cum ſuis &c. (Prudentia ad Intellectuales ſpectat) Temperantia ſeruat mediocritatem circa volnptates: Fortitudo medium tenet circa audacias, & timores. Iuſtitia verò dat vnicuiq; quod ſuum eſt, & ſic conſiſtit etiam in medio non ſolum rationis, ſed etiam rei; ſic explicat S. P. N. lib. pri. de libero arb. cap. 23. Conſidera nunc vtrum tibi videatur eſſe Prudentia appetendarum, & vitandarum rerum ſcientia &c. Quid Fortitudo? Nonne illa eſt animæ affectio, qua omnia incommoda, & damna rerum non in noſtra poteſtate conſtitutarum contemnimus? Porrò Temperantia eſt affectio coercens, & cohibens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur.

Iam

Iam Iuſtitiam quid dicamus eſſe niſi virtutem qua ſua cuiq; tribuuntur? *per quæ patet ipſum Prudentiam ad habitus Intellectuales remittere cum dicit eſſe ſcientiam vitandarum, & appetendarum rerum, reliquas tres in actibus voluntatis occupari oſtendit, & declarat. Sed de his plura Philoſophia moralis dabit.*

Virtutes intellectuales ſunt habitus, qui inclinant Intellectum ad veritatem infallibiliter penetrandam; cum enim intellectus perfectio in adeptione veritatis conſiſtat; Virtus illius dicenda erit inclinatio, ſiuè habitus quæ indubitanter ad talem veritatem propendere facit. Hinc eſt quod communi Philoſophorum calculo excluditur à numero virtutum Fides humana, Opinio, & Suſpicio, eo quod potentiam intellectiuam

uam quandoque, & ſæpè ad falſum propendere faciunt. Virtutes igitur intellectuales fuerunt à Philoſopho diſtinctæ in quinque capita, Artem ſcilicet; Prudentiam, Scientiam, Sapientiam, & Intellectum; de his habitibus frequens eſt apud S. P. N. mentio vt patet etiam in textu; Vnde eſto hanc diuiſionem adhuc apud ipſum non inuenerim, eam tamen approbaſſe ſatis indicant loca, vbi de his meminit; deſcendo nunc ad horum breuem explicationem, in quorum gratiam hæc de habitibus ſuccinctè tradita ſunt.

Scientia debet eſſe de neceſſarijs, & æternis. *Dico ſeptimo, Scientiam (quæ iam ſupra ſatis definita, & explicata eſt) ſecundum Philoſophum debere eſſe de neceſſarijs, & æternis; quod etiam neceſſariò ſupponit, & exigit S. P. N. cum ait lib. primo contra Academicos cap. 7.*

vt ſupra in textu. Scientia non ſolum in comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, vt neque in ea quiſquam errare, nec quibuslibet aduerſitatibus impulſis nutare debeat &c. *quod non poteſt eſſe; niſi obiectum in quo ſcientia fundatur, ſit neceſſarium; hæ verò conditiones ſecundum exiſtentiam ſolum æterno Deo competunt, qui ſolus ſecundum exiſtentiam eſt ens omninò neceſſarium, & æternum; Omnes enim creaturæ habuerunt initium ſuæ durationis, nec vlla datur, quæ fuerit coeterna Deo (quidquid Ariſtoteles dicat in contrarium) Vndè æternitas illa in obiectis creatis requiſita non eſt accipienda per exiſtentiam extra intellectum; Nec ex eo quod dentur à parte rei eſſentiæ rerum creatarum, quæ exiſtant ab æterno abſq; ſingu-*

ſingularitatibus, nec ex eo quod dentur vniuerſalia actu indepen-denter ab operatione Intellectus diſtincta ab ipſis ſingularibus, quæ ſint ingenerabilia, & incor-ruptibilia, & propterea æterna, nec quia ſemper eſt aliqua res ex illis, quæ ſignificantur terminis propoſitionis ſcientificæ (vt pla-tuit Ariſtoteli) ad quod ſufficeret quod indiuidua illius ſpeciei per indeficientem ſucceſſionem num-quam defeciſſent, vel numquam defutura eſſent, & non require-retur, quod aliqua res ſingularis ex illis eſſet æterna. Cum hanc æternitatem non admittat à parte antè S. Fides Catholica, & à par-te poſt ſint defituræ generationes, & corruptiones rerum. Sed eſt explicanda, & ſtatuenda tam ne-ceſſitas, quam æternitas per conne-xionem prædicati cum ſubiecto; ita

ita vt de rebus etiam non exiſtentibus detur ſcientia tum actualis, tum habitualis non ſolum quoad propoſitiones hyppoteticas, ſed etiam quoad Chategoricas, in quibus ſupponuntur termini non pro indiuiduis alicuius determinati temporis, quod communiter dicitur ſupponi accidentaliter, ſed ſupponuntur indifferenter pro omnibus indiuiduis ſiuè præteritis, ſiuè præſentibus, ſiuè futuris, ſiuè poſſibilibus, quod communiter dicitur ſupponi naturaliter. Illam rerum ſeu Mundi æternitatem, quam Philoſophus inuenit, pulchrè, & acutè reijcit S. P. N. ſæpè ſed præcipuè in lib. quæſtionum ex veteri, & nouo Teſtamento quæſt. 28. cum ait. Quid contradicendum ijs ſit, qui mundum iſtum ab æterno naturaliter moueri inquiunt, neque initio neq; abo-

litioni

litioni obnoxium. Mundum ab æterno conſtare, & nulli debere ſubiectionem, improbabile, & impoſſibile eſt, quem videmus tanta diuerſitate extare corporum: cum nihil Diuinum, & æternum poſſit eſſe niſi ſimplex,in quo nulla diuerſitas videatur, ſed ſit vnitas; Nam & vices ipſas temporum non benè ſeruat, vt non ſolum in temporibus varijs, ſic & contrarijs conſtet ſubſtantijs, ſed in ipſis vicibus temporum: cum res æterna diuerſitatem abhorreat, & ſic nec tactu,nec viſu capienda, vt potè incorporalis &c. Itaque inconueniens eſt Mundum æternum dicere, quem cũ videmus paſſioni ſubiectum, & per ſæcula ſenectute deficere, credimus & finiri &c. *Quæ verba clariſſimè explodunt aſſertam*

ab

ab Ariſtotele exiſtentiam æternam obiectorum ſcientiæ in indiuiduis rerum ſibi ab æterno ſuccedentium, ac etiam impoſſibilem declarant; ſed de hoc puncto alibi.

Dico octauo; habitum ſcientificum ſatis prudenter fuiſſe ab antiquis Philoſophis diſtributum in habitum practicum, & habitum ſpeculatiuum. Iſte ſic nominatur à ſpeculatione, quæ vt in præſenti ſumitur vt cõtradiſtincta à praxi, importat cognitionem tantum alicuius obiecti, ſiuè contemplationem illius, in qua ſiſtit, & non progreditur vltrà ex ſua ratione ad operationem. Ille verò dicitur Practicus à praxi quam conſtat apud Philoſoph: eſſe operationẽ alicuius potentiæ. Dubium modo inſurgit, cuius potentiæ actus eſſe debeat is, qui habet rationem praxis; in qua quæſtione cum pluri- De ſcientijs practicis, & ſpeculatiuis.

mum

mũ contineatur de voce, & de arbitrio philoſophantium. ℞. primo mihi non arridere eorum placitum, qui ſolum opus externum à ratione dirigibile ſtatuunt pro practico, cum enim & actiones internæ ſint capaces directionis, non video cur potius externæ, quam internæ praxes appellandæ ſint. Secundo me non admittere eorũ ſententiam, qui ſolam electionem interiorem vltrà operationes exteriores ſtatuunt pro praxi; nam etiã operationes intellectus ſubiacent directioni, non minus ac electio, quæ eſt actus voluntatis; Vndè, & rectè, & ſapienter fuit à Philoſophis Logica numerata inter habitus practicos, quæ ſolum habet dirigere operationes Intellectus, vt rectè adnotauit S. P. N. lib. pri. de ordin. cap. 13. cum dixit quando tranſiret ratio ad alia fabricanda

canda niſi ipſa (1. Logica) ſua machinamenta, & inſtrumenta diſtingueret notaret dirigeret. *Tertio an Praxis ſit ſolum dicenda quæcumque actio libera; ſiue quæ exiſtat in poteſtate eius libera qui poteſt illam dirigere; ita vt munus ſcientiæ practicæ ſit continere potentiam capacem erroris in rectitudine, valdè ambiguum eſſe, parti tamen neganti me ſubſcribere; Nam & ſciētia, qua Deus creauit hunc mundum, dicitur Practica, eſto ille Sapientiſſimus Artifex in producendo errare non poſſit. Cenſeo igitur praxim eſſe omne obiectum dirigibile per intellectum, vt rectè fiat; qua ratione comprehendit non ſolum externas actiones dirigibiles à ratione, & obiectum prudentiæ; ſed etiam actus intellectus, quatenus poſſunt eſſe obiectum dirigibile per alium*

actum

actum vt rectè fiant; ex quo habetur vnum, & eumdem actum ſub diuerſa ratione poſſe habere rationem ſpeculationis, & praxis. Speculationis quidem quatenus verſatur circa aliquam veritatem in cuius cognitione ſiſtit; Praxis verò quatenus eſt dirigibilis, vel directus per actum reflexum ab ipſo intellectu. Verum cum directio in ordine ad praxim ſit in duplici differentia. Altera qua potentia dirigitur, ne erret, cum deuiare poſſit; Altera quæ eſt ſolummodo repreſentatio obiecti, per quam repreſentationem potentiæ in ſuis actibus reguntur ab actu Intellectus, difficultas eſt an vna tãtum ex iſtis, an verò ambæ rationes ſpectent ad Praxim. Cui ℞. breuiter ad veram praxim pertinere, vtrãque; eo quod praxis iſta, de qua loquimur, non ſolum continet operationem

tionem

tionem liberam, ſed etiam complectitur operationem neceſſariò rectam, dummodo ſequatur actum Intellectus praſcribentem rectam operandi rationem; & ideò vtraque operatio regitur ab intellectu vel libere, vel neceſſariò, his poſitis. Cum dixerimus ſcientiam ſpeculatiuam ſic dici ab actu ſpeculatiuo; ſcientiam verò practicam ab operatione ſeu praxi; videndum eſt, quid importent, & in quo differant Actus ſpeculatiuus, & actus practicus? In qua quaeſtione ſequor communem ſententiam philoſophorum qui ex Ariſtotele libro 2. Metaphyſ. t. 3. vult eſſe diſtinguendos per ordinem ad finẽ, quatenus ſcilicet finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt veritas, finis verò practicæ vltrà cognitionem veritatis comprehendit opus. Vbi aduertendum eſt, non eſſe hic ſermonem

monem de fine, quem ſibi præfigit ſciens, qui ſolet etiam dici finis ſcientis, ſed de fine ſcientiæ, id eſt de eo quem ſcientia ex natura ſua reſpicit. Hanc rationem finis in ordine ad ſcientias practicas, & ſpeculatiuas ſic diſtinguunt plures philoſophi, vt finis proximus, & intrinſecus tam in ſcientia ſpeculatiua, quam in Practica ſit obiectum, circa quod verſantur; finis verò extrinſecus, ſiuè remotus in ſcientia quidem ſpeculatiua coincidat cum obiecto ſed ſub alia ratione ſpectato, quatenus ſcilicet Intellectus per actus ſpeculatiuè ſolum ſcientificos nihil aliud intendit, quam cognitionem veritatis de illo obiecto. In ſcientia verò practica diſtinguatur à fine intrinſeco, & proximo, & ſit effectio ſui obiecti, in cuius contemplatione actus practicus non ter-

terminatur; Sed vltrà tendit dirigendo potentias ad producendum illud obiectum.

Dico nono ad cognitionem practicam non ſufficere eſſe quommodocumq; regulatiuam praxis; ſi enim eſſet ſolummodo remote, aut virtualiter directiua, non poſſet dici in rigore practica; hoc enim modo quæcumq; cognitio Dei cum ſit remote, & virtualiter directiua amoris eiuſdẽ; poſſet dici practica, & ſic nulla eſſet cognitio, quæ non eſſe practica, quod à Philoſophis non admittitur. Scientia Practica debet eſſe formaliter, & immediatè regulatiua operationis

Requiritur ergo vt ſit formaliter, & immediatè regulatiua praxis; ideſt ita directiua potentiæ ad exequẽdum obiectum, quod per illam cognitionem attingitur, vt non intercedat vlla alia media cognitio niſi fortè per accidens, ad quod ſequitur requiri etiam, vt

id quod eſt obiectum ſcientiæ Practicæ, non ſolum ſit producibile à nobis, ſed etiam vt ſcientia ſe exerceat circa illud modo operabili, ideſt præſcribendo regulas, & modum agendi; Et in hoc conſtituunt diſcrimen inter obiectum ſcientiæ Practicæ, & obiectum ſcientiæ ſpeculatiuæ, quod iſtius obiectum dicitur, & eſt à nobis independens ea ratione, qua obiectum ſcientiæ Practicæ dicitur à nobis pendere; cum ſit à nobis operabile, & ad eius operationem directè tendat illa cognitio.

Scientiæ Practicæ conuenit modus procedēdi tum compoſitorius, tum reſolutorius.

Dico decimo; omnem ſcientiam rigoroſè Practicam modo explicato ſibi vendicare duplicem modum procedendi; compoſitiuum vnum, reſolutiuum alterum, hæc poſitio eſt contra eos, qui diſtinguunt ſcientiam practicam à ſpeculatiua ex eo, quod illa procedat

modo

modo compoſitiuo, iſta verò reſolutiuo. Si tamen intelligunt illam ita procedere modo compoſitiuo vt nullo modo procedat reſolutoriè. Ratio eſt clara quia ſcientia practica non ſolum tradit modum inducendi rectitudinem, ſeu operandi cum rectitudine, ſed etiam contemplatur principia, & paſſiones ſui obiecti; & hoc in ea reſoluit, alias non poſſet ſcientificè demonſtrare Paſſiones ineſſe ſubiecto per definitionem v.g. quod experientia docet eſſe falſum; Quod ſi ſolum contendant, quod ſcientia purè Practica quatenus procedit modo reſolutorio, quia hoc modo participat rationem ſpeculatiuæ, habeat vere rationem ſciētiæ Theoricæ, & poſteà quatenus habet præterea modum compoſitorium adiunctum, Practica ſit dicenda non repugno; Immo do manus, ſicut

& illi tenentur dare in hoc;quod his poſitis: Rationes cognitionis ſpeculatiuæ, & Practicæ complentur ab extrinſeco,nempè à denominatione deſumpta à potentia, vel impotentia quam aliquis connaturaliter habet ad ponendum obiectum in eſſe ex directione talis cognitionis; Et propterea ſequi tales differentias practici, & ſpeculatiui, non eſſe differentias eſſentiales illorum actuum; Sed ſolum accidentales;Et hinc fit quod differentia eſſentialis (ſi datur) inter ſcientias practicas, & ſpeculatiuas non eſt petenda à differentijs actus practici, & ſpeculatiui vt ſic. Sed ab obiectis, quæ eſſentialiter diuerſificantur.

Dixi ſi datur,quia fortè omnes ſcientiæ naturales conueniunt in vna ratione, & ſolum penes obiecta materialia,aut quaſdam affectiones

tiones

tiones magis conſpicuas diuerſificantur prudenter à Sapientibus pro commoditate addiſcentium, loquor de ſcientijs diſcurſiuis, & quæ eatenus dicuntur ſciētiæ, quatenus per demonſtrationes procedunt. Ex hucuſq; dictis habetur etiam ſolutio illius dubij; An idem numero actus reſpectu eiuſdem obiecti poſſit participare rationem ſpeculatiui, & rationem practici, cui ℞. idem numero actum non poſſe quidem ſimul, & ſemel eſſe practicum, & ſpeculatiuum; eo quod implicat eamdem numero cognitionem ſimul reſpectu eiuſdem obiecti eſſe immediatè, & formaliter directiuam praxis, & non eſſe immediatè, & formaliter directiuam praxis; poſſe tamen ſaltem diuinitus eumdem numero actum reſpectu eiuſdem obiecti ſucceſſiuè eſſe ſpeculatiuum, &

 Prac-

Practicum. Si per Diuinam Omnipotentiam fiat, vt illud idem obiectum, quod anteà non erat connaturaliter operabile, poſteà fiat à nobis producibile.

De vnitate, & Diſtinctione Scientiarum.

Dico vndecimo; ſemper fuiſſe difficilè determinare de vnitate, & diſtinctione ſcientiarum. Nam primo velle ſcientias ſpeculatiuas diuerſificare ex ſola diuerſitate abſtractionum à materia vt plures, & claſſici philoſophi faciunt, non plenè ſatisfacit. Eſto enim ponatur, quod ſcientiæ ipſæ talem rationem conſiderent, & contemplentur res tali abſtractione abſtrahibiles; itaut Phyſica conſideret res ſolum à materia ſingulari abſtrahibiles, non verò à mutabili; & Mathematica à materia etiã communi mutabili; non verò ab intelligibili; & Metaphyſica ab omni materia tam mutabili quam intel-

intelligibili, nihilominus adhuc manet difficultas, quommodo ſub Mathematica diſtinguantur ſpecie Geometria, & Arithmetica, Aſtrologia, & Muſica; quæ ab illis ponuntur ſcientiæ ſpecie diſtinctæ, & qualiter Metaphyſica abſtrahat ab omni materia, cum debeat contemplari omnes gradus entis, inter quos vnus è præcipuis eſt corpus, quod neceſſariò inuoluit materiam, & prætereà conſideret neceſſariò quantitatem, qualitatē, & alia accidentia corporea, quæ continentur ſub accidente in communi, & quorum eſſentias, & rationes formales penetrare habet Metaphyſicus, & per conſequens ordinem eſſētialem ad materiam; non ergo poteſt perfectè Metaphyſica ab ea abſtrahere; Quod ſi dicatur, eam abſtrahere ſecundum eam partem, qua conſiderat ſub-

ſtantias ſpirituales nempè D. O. M., & Angelos, iam non eſſet amplius Metaphyſica vna ſpecie ſciētia ratione abſtractionis à materia, cum ſecundum vnam partem abſtraheret; non verò ſecundum alteram, vel eſſent diſtinguenda duæ Metaphyſicæ ſpecie diſtinctæ quarum vna, ideſt quæ conſiderat ſubſtantias ſeparatas, abſtraheret, altera verò non, nempè quæ conſiderat ens, & gradus entis, & de hac rurſus redibit quæſtio quomodo diſtinguatur à phyſica, & Mathematica. Non eſt igitur ſufficiens ratio diſtinguendi ſcientias ſpecie per abſtractionem.

Secundo non diſtingnuntur ſufficienter ſcientiæ ſpecie per diuerſitatem rerum ſcibilium; ita vt quædam res ſint ſcibiles ideſt demonſtrabiles, vel demonſtratę per definitiones explicantes eſſen-

ſentias, & quidditates proprias, & ſecundum hanc rationem conſtituatur Metaphyſica; Aliæ verò ſint res demonſtrabiles ſecundum effectus ſiuè proprietates ſenſibiles per media intrinſeca petita, ex natura rei, & ſub hac ratione conſtituatur Phyſica; & demum aliæ cadant ſub ſenſum ſecundum effectus, & affectiones non ſenſibiles, & hoc modo conſtituatur Mathematica. Non diſtinguuntur, inquam ſufficienter hoc modo; nam primo redit eadem difficultas de illis quattuor contentis ſub Mathematica; quæ omnes habent eũdem modum demonſtrandi, & tamen per hos Philoſophos diſtinguuntur ſpecie.

Secundò, quia ille modus procedendi qui aſſignatur Metaphyſicæ, conſtat debere eſſe communẽ omnibus ſcientijs; vnde per illum non

poteſt ſufficienter diſtingui ab alijs ſcientijs.

Tertio; nec etiam deduci rectè diſtinctionem ſcientiarum ex eo, quod vnitas ſcientiæ totalis habeatur ex vnitate obiecti non materialis ſiuè ſecundum ſe ſumpti, ſed vt ſcibile eſt per principia propria, quæ non pendeant ab alijs principijs, quod eſt idem ac ſcientias omnes habere vnitatem, & diſtinctionem ab obiecto formali.

Aduerte, me hic non negare ex hoc capite rectè deduci Vnitatem. Scio enim rationem ſub qua in obiectis ſcientiarum deſumi ex tali medio aſſentiendi concluſioni, ita vt quemadmodum deſumitur in fide ex teſtimonio dicentis, ſic in ſcientijs ex principijs eiuſdem ſcientiæ in demonſtratione diſpoſitis habeatur, propter quæ intel-

lectus

lectus aſſentitur concluſionibus demonſtratis. Scio etiam Ariſtotelem lib. primo de poſteriori reſolutione c. 2. docere, principia ſcientiarum duobus modis ſe habere; ideſt vel ſic eſſe diuerſa, vt nec ex alijs fiant, nec ex alterutris, hoc eſt, nec ex alijs communibus dependeant, nec neceſſariam dependentiam habeant inter ſe; Sed ex hoc capite video potius eſſe deducendam vnitatem omnium ſcientiarum naturalium; Nā cum omnia principia aliarum ſcientiarum Metaphyſica inferiorum pēdeant ex principijs ipſius Metaphyſicæ, ita vt eatenus cenſeantur vera, & ſtabilia, quatenus cum illis concordant, & per illa probantur, non apparet, quommodo ex hoc capite habeatur diſtinctio ſpecifioa Metaphyſicæ ab alijs ſcientijs. Si vt dictum eſt, & communiter

approbatur ab omnibus Philoſophis, ſpectat ad eam iudicare de principijs aliarum ſcientiarum naturalium propter eſſentialem, & intrinſecam dependentiam, quam habẽt iſta à principijs illius.

Et confirmari poteſt ex eo quod illi qui exorſi ſunt Philoſophiam à Principijs Metaphyſicis, poſt explicatam naturam diuiſionem, & proprietates entis realis, deſcenderunt poſteà ad inferiorum rerum genera, quæ in alijs ſcientijs tamquam propria obiecta conſiderantur, vt videre eſt apud eruditiſſimos Doctores Franciſcum Suarez, & Raphaelem Auerſam; Vndè non incongruè poſſet inſtitui Philoſophica Methodus, quæ ab Ente in communi incipiens poſteà ad ſingulas eius partes deſcenderet. Sic enim ſeruaretur rectius ordo Doctrinæ, quæ poſtulat vt ab

vni-

vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia deſcendamus; ne cogamur ſæpius eadem repetere, vt docuit etiam Philoſophus, & aggreſſus eſt etiam ſupra cit. Auerſa in ſua Philoſophia, qua via quis non videt, vnica ſcientia poſſe comprehendi omnes diſcurſus ſcientificos qui circa quodcumque obiectum habentur in quacumque ſcientia particulari; quod fortè etiam intendebat celebris Doctor Petrus Gregorius Tholoſanus in illa ſua celebri Syntaxi Artis mirabilis. Verum fortè quia hæc Methodus requirit mentem ſatis Vniuerſalem, & aſſuetam abſtrahere ab inferioribus ſenſibilibus; factum eſt vn in Scholis inualuerit Methodus Peripatetica, quæ aggreditur Philoſophiam ab illis rebus, quæ magis ad ſenſum patent; Non inficior tamen propter dicta, rectè, & commo-

commode, & iuxta congruam di-uerſitatem obiectorum ſaltem in eſſe rei, & ad leuandum tædium addiſcentiũ fuiſſe diſtinctas ſciẽtias tum in Scholis Platonis, tum etiam Ariſtotelis. Vndè rectè S. P. N. vt indicaui in primo Præludio vbi de Philoſophia, & Philoſophis lib. 11. de Ciuitate Dei c. 25. ait. Tripertita à Philoſophis inuenta eſt diſciplina: Naturalis propter Naturam: Rationalis propter Doctrinam: Moralis propter vſum, *quæ diſtinctio ſatis fauet ſupradictis; nempè ad conſideranda entia naturalia, & omnes gradus entis ſufficere vnicam Philoſophiam; penes verò duas potentias Animæ rationalis Intellectum videlicet, & Voluntatem duas eſſe adinuentas, quarum vna ad regendas operationes Intellectus inſeruiret*

ideſt

ideſt Rationalis; Altera verò ad componendos mores, qui maximè ad voluntatem ſpectant dirigeret, quæ idcircò moralis diceretur. Sed ne excedamus Scholij terminos, de his fuſius diſputare ad alium locum remittamus.

Dico duodecimo, quod ſicut non eſt inconueniens, immò valdè congruum naturæ rerum, & Doctrinæ S. P. N. qui cum Platone reducit omnia, quantum poteſt ad vnitatem conſtituere vnicam ſcientiam rerum omnium, quæ cognitione ſpeculatiua cognoſcuntur, ita non forè futurum inconueniens conſtituere vnicam ſcientiam totalem practicam diſcurſiuam, & demonſtratiuam eorum omnium, quæ cognitione practica ſciuntur. Ratio patet ex dictis, quia quemadmodum ex principijs vniuerſalibus entis in communi pendent Vnitas & diſtſcientiæ Practicæ.

omnia

omnia principia, per quæ demonſtrantur Concluſiones de quolibet ente in ſpecie; ſic ex iiſdem principiis neceſſariò pendent, & probantur (ſi indigent probatione) principia cuiuſcumque ſcientiæ Practicæ, vt conſideranti patebit.

Quod ſi rurſus quæras de hac ſcientia Practica totali, vtrum differat ſpecie ab illa ſcientia ſpeculatiua necne? Reſpondeo iuxtà ſupra tradita, quod cum ratio practici ſit accidentalis actui ſcientifico non verò eſſentialis, vt patet ex eo, quod ſaltem diuinitus idem actus poteſt tranſire de ſpeculatiuo in practicum; & cum concluſio Actus practici ſub eodem lumine naturali demonſtretur eadem via, ac Concluſiones ſpeculatiuæ; non apparet diuerſitas eſſentialis. Sed tantum accidentalis. Verum propter diuerſum modum operandi ſa-

tis

tis commodè ſunt diſtinctæ plures ſcientiæ partiales tum actiuæ tum factiuæ; quarum plures etiam ſine demonſtrationibus traduntur, vt ſunt illæ, quæ circa opera externa occupantur; Non enim omnia poſſumus omnes.

Loquendo igitur de ſcientia practica preſsè, ac propriè dicta; prout à purè ſpeculatiua eam diſtinguunt; diuiditur communiter in tres partes iuxtà diſtinctionem triplicis potentiæ per practicas cognitiones dirigibilis; itaut ſcientia moralis pro operibus voluntatis. Rationalis pro operibus Intellectus; & factiua pro operibus externis adinuentæ fuerint.

Moralis fuit diſtributa ſecundum triplicem ſtatum, in quo conſiderari poteſt homo vt dirigibilis ad vltimum finem; in quorum primo ſumitur in ſe abſque reſpectu

ad multitudinem, & hinc habetur Ethica, ſiuè Monaſtica, quæ dirigit actiones hominis in ſe conſiderati; in ſecundo accipitur vt pars domeſticæ Ciuitatis, & hinc habetur Oeconomica, ſeu familiaris, quæ regit operationes ſpectantes ad domeſticam diſciplinam, & gubernationem familiæ, in tertio conſideratur vt eſt totius Reipublicæ veluti membrum, & hinc deſumitur Polytica ſeu Ciuilis, quæ habet dirigere actiones hominis vt inoffensè operetur, ea quæ ſpectant ad Reipublicæ ſtatum. De ſcientia Rationali iam ſatis ſupra in primo capite dictum eſt.

Scientia factiua fuit ſubdiuiſa ſecũdum diuerſam rectitudinem, quæ reperitur vel in vſu operationis, vel in opere operato ad extra; in eam quæ relinquit opus poſt ſe, & in eam quæ non relinquit

opus poſt ſe. Hinc ſicut communiter aſſignarunt pro obiecto ſcientię actiuæ, vt procedit modo reſolutorio Actionem rectam vt rectam, quæ dicitur obiectum de quo; pro Obiecto verò eiuſdem ſcientiæ, vt procedit modo compoſitorio, quod etiam dicitur ſubiectum in quo, actionem dirigibilem, quam demōſtrat ex ſuppoſitione talis finis in tali ſubiecto ineſſe debere. Sic pro obiecto ſcientiæ factiuæ procedentis modo reſolutorio aſſignarunt factionem rectam; Si ſit ſcientia, quæ non relinquat opus poſt ſe. Si verò relinquat opus poſt ſe aſſignarunt opus rectum vt ſic, à quo opere recto operatio habet, quod dicatur recta, & hoc dicunt obiectum de quo. Subiectum verò ſcientiæ factiuæ vt procedit modo compoſitorio poſuerunt factionem dirigibilem ſi nullum relinquat

opus

opus poſt ſe; Si verò intendat opus relictum, aſſignant materiam operis rectificabilem, in quam materiam demonſtrat ex ſuppoſitione finis, introducendam eſſe talem, vel talem rectitudinem. Prædictas rationes poſuerunt communiter Philoſophi vt diuerſificantes formaliter obiecta, & per conſequens prædictas ſcientias factiuas; eo quod rectus vſus actionum potentiæ exterioris, vt rectus vſus eſt potentiæ exterioris, qui aſſignatur pro obiecto formali ſcientiæ factiuæ; quæ non relinquit opus poſt ſe, videatur eſſe diuerſum obiectum formale ab illa rectitudine operis, quod relinquitur à cognitione factiua relinquente opus poſt ſe; quæ vt eſt rectitudo talis operationis dicitur conſtituere obiectũ formale illius ſcientiæ. Verum ſi agatur de his ſcientijs

tijs vt modo demonſtratiuo procedentibus, quod eſt agere de ſcientia in rigore, vt in præſenti ſumitur; illæ rationes relinquentis, vel non relinquentis opus poſt ſe ſpectant potius ad obiectum in eſſe rei quam in eſſe ſcibilis, & per conſequens potius ad obiectum materiale quam ad obiectum formale; cum eodem modo ſub eodem lumine, & per principia nota, & euidentia lumine naturali, ac dependentia eſſentialiter à principijs communibus procedant; vndè non co nſtituunt diuerſas ſpecie ſcientias hoc modo. Si verò ſumantur non vt demonſtratiuo modo procedentes, ſed tantum ex cognitione certa, & experimentali quarumdam regularum, ſeu præceptorum quibus agens infallibiliter dirigitur ad finem intentum, tunc dicendum erit, habere rationem ar-

tis,

tis, & tunc diuerſo modo erit philoſophandum propterea.

De Arte. *Dico decimotertio, quod hoc nomen artis (quæ ponitur pro prima virtute intellectualis) quandoque ſumitur amplè pro quocumque habitu intellectuali certa via ac ratione ad aliquem finem tendente, & hoc modo comprehendit omnes ſcientias; propriè tamen, & in rigore, vt à Philoſopho ſumitur in illa ſuprapoſita diuiſione Virtutum intellectualium, importat habitum cum recta ratione effectiuum. Vndè rectè fuit hoc modo contradiſtincta à ſcientia; ſumpta enim ſeçundum eam facultatem, ſecundum quam communiter artifices denominari ſolent, dicitur eſſe de ſingularibus. Scientiam verò ſiuè contemplatiuam ſiuè factiuam eſſe de vniuerſalibus, & artem in ſua ratione ignorare*

prop-

propter quid, & ſcire tantum quod vt loquitur Ariſtoteles. Scientiam verò ſcire propter quid. Numeratur tamen inter virtutes intellectuales, vt dictum eſt, quia circa ſingularia ſemper verum dicit; Nam eius aſſertiones pendent à regulis ſcientiæ factiuæ, quæ vt pendent ab illis regulis, ſemper veræ ſunt, nam ſemper dictant quid agendum ſit pro diuerſitate finis artis, quem finem, niſi fortè per accidens aliquid aliud obſtet, ſemper artifex aſſequitur.

Effectio illa, ſecundum quam ars dicitur habitus cum recta ratione effectiuus, ab aliquibus ſumitur diſtingui ab actione per hoc quod effectio ſit illa, quæ tranſit in exteriorem materiam, actio verò ſit illa, quæ in agente manet; Sed communius accipiuntur hæ duæ rationes diſtingui per hoc, quod

actio propriè dicatur electio interior, & per quamdam attributionem quæcumq; operatio, quæ prouenit ab electione, in quantum huiuſmodi dicatur actio; effectio verò ſit ſolum externus motus, ſiuè operatio ordinata ad exteriorem motum, quo pacto effectio competit etiam illis artibus, quæ non relinquunt opus poſt ſe; hæc, quæ de Arte dixi indicat S. P. N. in T. ſupra vbi de arte litt. c. ex lib. de vera Religione, cum ait. Artem vulgarem reperitur nihil eſſe, niſi rerum expertarum placitarumque memoriam: vſu quodam corporis, atque operationis adiuncto: quo iudicare de operibus poſſis &c. *quod idem eſt, ac eſſe habitum cum recta ratione effectiuum vt dictum eſt, nunc pro complemento aliquid de Prudentia dicẽdum eſt vt contra-*

diſ-

diſtinguitur à ſcientia, & Arte.

Dico igitur decimoquarto; Prudentiam rectè communiter definiri habitum cum recta ratione actiuum circa ea, quæ humana ſunt. Eſt autem actio iuxta communem acceptionem in duplici differentia; Altera dicitur electio interior ſimpliciter; altera verò electio ſolummodo ſecundum quid; Et ex his duabus acceptionibus Prudentia contradiſtinguitur ab arte non per electionem ſecundum quid; Sed per electionem ſimpliciter dictam; Differt verò electio ſimpliciter dicta ab electione ſecundum quid, quod illa eſt electio mediorum ad finem ſimpliciter vltimum; & ideò hæc media dicuntur ſimpliciter eligibilia; ſicut finis, ad quem ordinantur, eſt ille in quem ſimpliciter fertur voluntas, & dicitur ſimpliciter De Prudentia.

citer volitus; iſta verò eſt electio verſans circa media ordinata ad finem non vltimum, qui idcircò non dicitur ſimpliciter volitus, ſed ſolum ſecundum quid ideſt in ordine ad vltimum.

Numeratur Prudentia ſic explicata inter virtutes intellectuales, eo quod determinet intellectum ad dicendum verum circa agibilia; hinc exigit etiam aliquo modo appetitum rectum ad ſui perfectionem, & complementum. Et ex hoc oritur illa communis Doctrina moralium, quod artifices, qui volẽtes peccant, minus vituperandi ſunt; quam Prudentes ſpontè peccantes; eo quod vt dixi, Prudentia requirit appetitum bene ordinatum, & dicitur virtus moralis quoad modum.

Quæres hic quomodo Prudentia ſit virtus intellectualis, de cuius

ius ratione eſt, quod numquam à vero aberret, cum verſetur circa contingentia, circa quæ ſæpiſſimè fallimur. ℞. *numquam habitui Prudentiæ contingere, falſum dicere quia eſto in iudicio ferendo de aliqua re quandoque non conformetur rei, ſecundum quod res ſe habet in ſe; non tamen decipitur vt Prudentia eſt; Nam veritas Prudentiæ non conſiſtit in conformitate cognoſcentis ad rem cognitam; ſed in adæquatione rationis ad rectum appetitum; ſiuè in cognoſcendo id, quod honeſtum eſt, circa quod honeſtum numquã falſum Prudentia dicere poteſt. Quemadmodum neque ſapientia, quæ eſt præſtantiſſima ſcientia, neque Intellectus, qui eſt habitus Principiorum.*

Quæritur hic vlterius poſita diſtinctione Prudentiæ à ſcientia

Quomodo Politica & Oeconomica inter ſciẽtias numerentur.

&c. Virtutibus intellectualibus quo pacto Polytica, & Oeconomica numerentur inter ſcientias cum ſint partes Prudentiæ. ℞. Prudentiam diſtingui à ſcientia morali, quatenus Prudentia verſatur circa res quæ aliter, & aliter ſe habere poſſunt. Scientia verò moralis verſatur circa res, quæ aliter ſe habere non poſſunt, ſiuè circa prædicata neceſſariò connexa cum ſubiecto, vel abſolutè, & ſimpliciter, vel ex ſuppoſitione alicuius finis; & ideò cum Polytica, & Oeconomica numerãtur inter partes Prudentiæ, non ſumuntur tunc ſecundum, quod participant rationem ſcientiæ, ſed quatenus ſunt iudicia Prudentiæ verſantia circa particularia.

Dico decimoquinto Diuiſionem illam ſcientiæ in ſubalternantem, & ſubalternatam in ſententia,

quæ

quæ diſtinguit plures ſcientias tales ſpecie diſtinctas, eſſe omninò neceſſariam; ita vt ſubalternans iuxta communem ſententiam dicatur illa, à qua altera dependet; Subalternata verò illa, quæ præſupponit alteram, & ab illa dependet. Triplici modo docuere Philoſophi poſſe vnam ſcientiam ſubalternari alteri, primo ratione finis; ita vt illa ſcientia ſubalternetur alteri, cuius finis eſt aliquo modo ſub fine illius; ſecundo ratione principiorum, ideſt cuius principia ſunt concluſiones demonſtratæ in ea, cui ſubalternatur; tertio ratione ſubiecti, quando ſcilicet ſubiectum vnius ſubalterius ſubiecto eſt conſtitutum. Et ex his tribus modis tertium tantum ad veram ſubalternationem ſcientiarum ſufficere docent; Sed adhuc ratione ſubiecti poteſt aliqua ſciẽtia

De Diuiſione Scientiæ in ſubalternantem, & ſubalternatam.

tia alteri ſcientiæ ſubalternari, primo contrahendo idem ſubiectum per differentiam eſſentialem, quo pacto conſtituitur in Philoſophia Peripatetica Corpus cæleſte ſubiectum ſcientiæ de Mũdo, ad quod contrahitur per differentiam eſſentialem corpus naturale, quod ponunt ſubiectum totius Phycæ.

Secundo contrahendo idem ſubiectum per differentiam accidentalem; quo pacto ponitur numerus qui eſt ſubiectum Arithmeticæ contrahi per numerum ſonorum qui conſtituitur ſubiectum Muſicæ. Et hoc ſecundo modo docent eſſe contrahendum ſubiectum ſubalternantis ad ſubalternatam, ad hoc vt verè, & propriè dicatur vera ſubalternata alteri; ita tamen vt habendo idem ſubiectum eſſentialiter cum ſubiecto ſcientiæ ſubal-

balternantis, ſic ſuperaddat ei differentiam accidentalem ; vt per illam in obiecto reperiatur noua ſcibilitas.

Præter hæc debet etiam ſcientia ſubalternata accipere à ſubalternante propter quid ſuarum conclusionum; ideſt in ſubalternante debet contineri cauſa concluſionis; nam ſubalternata tenet tantum quia; ideſt cognoſcit effectum per experientiam; & hinc eſt quod ille qui habet ſolummodo ſcientiã ſubalternatam, non dicitur propriè ſciens, eo quod ſcientia ſubalternata non habeat rationem ſcientiæ, niſi quatenus coniungitur ſubalternanti; alias enim eius principia ſunt potius credita, & non habent euidentiam, & certitudinem, quæ requiritur ad veram, & propriam rationem ſcientiæ.

In noſtra verò ſententia, quæ

docet vnam tantum eſſe rerum omnium ſcientiam naturalem, & has contractiones ſiuè per differentiam eſſentialem ſiuè per accidentalem eſſe rationes ſe tenentes ex parte obiecti in eſſe rei, non verò in eſſe ſcibilis; ponendum eſt has cognitiones demonſtratiuas, quæ ſubordinantur alteri vniuerſaliori eodem modo ſubijci, ſiuè ſubalternari alteri, quo pacto vna pars ſcientiæ de obiecto ſpecifico ſeu magis determinato ſubordinatur alteri parti de obiecto Generali ſeu magis Vniuerſali, vt ſcientia de homine ſcientia de corpore animato, & hæc ſcientiæ de corpore naturali, & iſta ſcientia de ente; Et in Logica ſcientia de demonſtratione ſcientia de Syllogiſmo, & hæc ſcientia de oratione, & iſta ſcientia de prædicamentis, & prædicabilibus; Nam

vt

vt dictum eſt illæ differentiæ, ſiuè ſint accidentales ſiuè eſſentiales non addunt nouam rationem eſſentialiter differentem in eſſe ſcibilis; ſed ſolummodo in eſſe rei, hæc pro inſtituto de ſcientia prout de ea Philoſophi maximè Peripatetici attigiſſe ſit ſatis.

COROLLARIVM.

R*Elinquitur ergo ex dictis primo; rationem obiecti rectè explicari per hoc, quod ſit quoddam totum, circa quod potentia ſe exercet 2. rectè diuidi in obiectum per ſe, & obiectum per accidens, ac etiam in materiale, & formale 3. ad rationem obiecti requi realitatem, vniuerſalitatem, & quod non ſit aggregatum per accidens 4. rectè tam à Philoſopho quam à S. P. N. fuiſſe expli-*

catam rationem ſcientiæ 5. quam exiſtere, & acquiri de nouo, rectè contra Platonicos ſtatuere, & Philoſophus, & S. P. N. 6 ad ſcientiam naturalem requiri euidentiam, & hanc vel Metaphyſicam, vel ſaltem Phyſicam 7. Difficultatem intelligendi in nobis ex improportione noſtri Intellectus ad obiecta, vel dependentia à ſenſibus 8. ex frequentatis actibus in nobis gigni habitus qui rectè diſtinguuntur in naturales, & ſupernaturales, & omnes ad qualitatem ſpectant, 9 Et horum ſubiectum eſſe animum noſtrum ſecundum diuerſas potentias ad exigentiam eorumdemmet habituum 10 vnum actum validiſſimũ quandoque acquiri habitum, regulariter tamen requiri plures actus 11 habitus phyſicè, & effectiuè concurrere ad productionem actuum

12 *diuerſificari ſpecie habitus per ordinem ad diuerſa obiecta formalia* 13. *Augeri verò per actus aliquo modo inter ſe diſſimiles, & deperdi, vel per actus contrarios illis, quibus acquiſiti fuere, vel per mutationem notabilem factam in ſciente &c.* 14. *fuiſſe rectè præter diuiſionem in infuſos, & acquiſitos diuiſos in habitus virtutis, & non virtutis, & habitus virtutis ſubdiuiſos in Intellectuales, & morales*; 15. *Habitum ſcientificum ſicut, & actum debere reſpicere neceſſaria, & æterna*. 16. *Prudenter fuiſſe diuiſum in habitum ſpeculatiuũ, & habitum Practicum per ordinem ad diuerſos fines* 17. *Ad practicum in rigore requiri eſſe formaliter, & immediatè regulatiuum operationis*. 18. *Scientiam Practicam habere modum proce-*

dendi tum compoſitorium, tam etiam reſolutorium 19. Succeſſiuè eumdem numero actum poſſe eſſe Practicum, & ſpeculatiuum. 20. Rectè poſſe reduci omnes ſcientias quæ per demonſtrationem procedunt ad vnam ſcientiam totalem, fuiſſe tamen prudenter ſubdiuiſas pro commoditate addiſcentium per ordinem ad diuerſos obiecta materialia, vel ad diuerſa fines. 21. Diuiſionem ſcientiæ in ſubalternantem, & ſubalternatam à diuidentibus ſpecie ſcientias naturales rectè fuiſſe excogitatam, & traditam; à ponentibus verò vnam ſpecie ſcientiam demonſtratiuam omnium rerum naturalium dari ſolummodo ſubordinationem illarum partitum, quæ reſpiciunt obiecta magis determinata, ad eas, quæ reſpiciunt obiecta vniuerſaliora.

SCHO-

SCHOLIVM SECVNDVM.

De Scientia S.P.N. Auguſtini.

ADhuc excellentiorem viam in acquirenda ſcientia, & æmulari chariſmata meliora docuit nos S. P. N. illam videlicet Aquam Sapientiæ ſalutaris, qua rigat Deus montes de Superioribus ſuis.

Hæc ſcientia differt à Peripatetica, quod iſta eſt per conuerſionem ad phantaſmata iuxta illud Ariſtotelicum axioma, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari; vndè & plures in huius Schola ſunt Magiſtri, qui & fallere, & falli poſſunt, & ſæpè falluntur; illa verò eſt per victoriam phantaſmatum, quæ ab illo vnico Magiſtro docetur; qui nec falli, nec fallere poteſt, de quo S. P. N. in lib.

de Magiſtro ſic loquitur. 114. Falluntur homines, vt eos qui non ſunt, Magiſtros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis, & tempus cognitionis nulla mora interponitur &c. Nunc ne plus eis quam oportet tribueremur admonui te: vt iam non crederemus tantum; Sed etiam intelligere inciperemus, quam verè ſcriptum ſit Matth. 23. ne nobis quemquam dicamus Magiſtrum in terris, quod vnus omnium Magiſter in cælis eſt. Quid ſit autem in cælis, docebit ipſe, à quo etiam per homines ſignis admonemus, & foris, vt ad eum intro conuerſi erudiamur, quem diligere, ac noſce beata vita eſt, quam ſe omnes clamant quærere, pauci autem ſunt, qui eam verè ſe inueniſſe lætentur. *Cui*

S. Adeo-

S. Adeodatus quem erudiebat rectè reſpondit ibi. Ego verò didici &c. Vtrum vera dicantur eum docere ſolum, qui ſe intus habitare, dum foris loqueretur admonuit, quem iam fauente ipſo tanto ardentius diligã, quanto ero in diſcendo prouectior.

Præparationes ad hanc ſcientiam, & Scholam docere cæpit lib. primo Soliloquorum cap. 15. *cum ait*. Conſtanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli eſſe velle quaſi proprius, & in tua poteſtate: ſed eius Clementiſſimi Domini te ſeruum profitere. Ita enim te ad ſe ſubleuare non deſinet, *& quod hic loquatur de illa interiori doctrina, qua cæleſtis Magiſter intus animas erudire conſueuit, iam docuerat in præcedenti capite, quod eſt* 14. *vbi introduxerat*

Ratio-

Rationem ſic loquentem. Quando talis fueris vt nihil te prorſus terrenorum delectet, mihi crede, eodem momento videbis, quod cupis. *Hæc terrenorum derelictio, quam hic inſinuat, & eſt omninò neceſſaria, importat non ſolum exteriorum rerum, & vanitatum deſpectum; ſed etiam, & præcipuè internorum phantaſmatum, & imaginum victoriam vt indicat in lib. de Beata vita his verbis.* Cum verò Sapientiam contemplatur inuentam, (*1. animus*) cumque vt huius pueri (*1. Adeodati*) verbis vtar, ad ipſam ſe tenet, nec ad ſimulachrorum fallaciam, quorum pondus amplexus à Deo ſuo cadere atque demergi ſolet, vlla commotus inanitate conuertit, & ideò nihil egeſtatis, nihil igitur miſeriæ pertimeſcit.

Ne

Ne tamen ſubrepat hic error, aut deceptio aduertendum eſt S. P. N. diſtinguere inter phantaſias, & phantaſmata; ita vt velit phantaſias eſſe ſpecies verorum obiectorum, phantaſmata verò eſſe quædam ex illis figmenta; quapropter vt rectè notauit P. Hazeur t. 2. ſuæ Anatom. ad lib. 6. de Muſica cap. 11. Non omnes inuectiua S. P. N. contra phantaſmata ſunt etiam contra omnes phantaſias; nam cum ibi dixiſſet S. P. Aliud eſt in memoria inuenire phantaſiam, aliud de memoria facere phantaſma (*ſubdidit*) ſequuntur nonnulli phantaſmata ſua tam præcipites, vt nulla ſit alia materia falſarum opinionum. *Per hanc victoriam phantaſmatum cum quibus quam ſtrenuè decertarit, & quanto mentis labore ipſemet explicat*

lib.

lib. 7. *Confeſs. c. pri. ferè per totum, & lib.* 8. *peruenit ad illud perhonorificum, & Sanctiſſimum Silentium, quod tantopere exoptant felices illæ animæ, quæ Diuina luce huius ſcientiæ de qua loquimur attractæ anhelant ad eius perfectam acquiſitionem, ſic enim loquitur in libro contra Adimantum cap.* 11. Spiritus S. inſinuans quam ſint ineffabilia ſumma Diuina, his etiam verbis vti voluit, quæ apud homines in vitio poni ſolent &c. Vt indè admoneremur, etiam illa, quæ cum aliqua dignitate Dei ſe putant homines dicere, indigna eſſe illius Maieſtate, cui honorificum potius ſilentium, quam vlla vox humana competeret. (*& infra*) Humani condicionem ſermonis feramus, vt ad Diuinum perueniamus ſilentium, *& ſimi-*

ſimilia plura infra; poſt hoc ſilentium introductus eſt in illam Beatiſſimam aulam Diuinæ Sapientiæ vt ipſe met teſtatur lib. 9. Confeſſionum cap. 10. *ſibi cum ſua & noſtra SS. Matre accidiſſe illis verbis* . Colloquebamur ſoli valdè dulciter, & pręterita obliuiſcentes, in ea, quæ antè ſunt, extenti quærebamus inter nos apud præsētem veritatem, qualis futura eſſet vita æterna, cumque ad eum finem ſermo perduceretur, vt carnalium ſenſuum delectatio, non comparatione, ſed ne commemoratione digna videretur: erigentes nos ardentione affectu in idipſum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia &c. & venimus in mentes noſtras, & tranſcendimus eas, & dum loquimur, & inhiamus illi, attingimus eam

modice

modicè toto ictu cordis: & ſuſpirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias Spiritus, & remeauimus ad ſtrepitum oris noſtri, &c. Dicebamus ergò ſi cui ſilet tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ, & aquarum, & aeris, ſileant, & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe non ſe cogitando: ſileant ſomnia, & imaginariæ reculationes, omnis lingua, & omne ſignum, & quidquid tranſeundo fit, ſi cui ſilear omninò, quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia. Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos qui manet in æternum. His dictis ſi iam taceant quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum; vt audiamus verbum eius, non per linguam

carnis,

carnis, neque per vocem Angeli, neque per ſonitum nubis, neque per ænigma ſimilitudinis; Sed ipſum quem in his amamus ipſum ſine his audiamus, ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attigimus æternam Sapientiam ſuper omnia manentem: Si continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpiramus. Nonne hoc eſt intra in gaudium Domini tui. *In hoc textu tres gradus, quibus mirificè profecit S. P. Auguſtinus in altitudine huius Diuinæ Sapientiæ, obſeruauit etiam P. Hauzeur. Primus eſt poſitiuus, & diſcur-*

ſiuus

ſiuus per gradus creaturarum obiectorum potentiarum, & actuum noſtrorum vſque ad aliquem conceptum Dei confuſum ſub aliqua ratione oriunda, & præciſa ex creaturis. Secundus eſt negatiuus ideſt miſtica illa negatio, & ſilentium illud honorificum ab illis omnibus de quo ſæpè S. P. N.

Tertius eſt iterum poſitiuus, ſed ſimplex per eleuationem animi à Deo ad aliquem ſimpliciſſimum, & diſtinctum conceptum, & affectum Dei ſupra omnem ſimilitudinem creaturarum, & vim naturalem potentiarum, ac perfectionem actuum (peruenerit nec ne ad viſionem intuitiuam per tranſitum non diſputo hic.) Hæc eſt altiſſima illa Sapientia, quæ Dei ſenſu, & guſtu imbuit voluntatem, & clariſſimo quodam lumine perfundit intellectum, qui poſteà

ad

ad penetranda Diuina clarior redditur, qui poſtmodum ſine dialecticis ambagibus (vt verbis illuminatiſſimi P. Io. à Ieſu Maria Carmelitæ Excalc. in ſua Thom. Myſt. cap. pri. vtar,) & ſine rationis ſatagentis excurſibus puris quibuſdam, & tranquillis obtutibus, vt plurimum quidem minus clare quam in cæleſti Patria, nobilius tamen, quam per conſuetum, & ſimplicem ſolius Fidei oculum, hoc eſt quam per ſolam Fidei notitiam, experimenti ſeu guſtus exortem, Diuinæ Sapientiæ arcana dignoſcit. Hoc eſt quod etiam Angelicus Doctor 22. qu. 180. art. 6. in ſol. ad 2. ſic indicat, & aperit In anima antequam ad iſtam vniformitatem perueniatur, exigitur quod duplex eius difformitas amoueatur. Primo quidem illa quæ eſt ex diuerſitate

exte-

exteriorum rerum &c. Et hoc eſt quod primo ponit S. Dion. in motu circulari animæ introitum ipſius ab exterioribus ad ſeipſam. Secundo oportet quod remoueatur ſecunda difformitas, quæ eſt per diſcurſum rationis. Et hoc idem contingit ſecundum, quod omnes operationes animæ reducuntur ad ſimplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et hoc eſt quod ſecundo dicit D. Dionyſ. c. 4. de Diu. Nominibus, quod neceſſaria eſt vniformis conuolutio intellectualium virtutum ipſius; vt ſcilicet ceſſante diſcurſu figatur eius intuitus in contemplatione vnius ſimplicis veritatis. Et in hac operatione animæ non eſt error &c. Et tunc iſtis duobus præmiſſis tertio ponitur vniformitas conformis Angelis, ſecundum quod prætermiſſis omnibus in ſola Dei con-

tem-

templatione perſiſtitur, & hoc eſt, quod dicit D. Dion. Deindè ſic vniformis facta vnitè, ideſt conformiter vnitis virtutibus, ad pulchrum, & bonum manu ducitur hucuſq. S. S. Th. loco cit.

Quæ idcircò adnotaui, vt prudens Lector agnoſcat cuius condicionis, & à quo Magiſtro hauſta ſit illa Doctrina, quam S. P. N. S. Romanæ Eccleſiæ Doctor reliquit, & quanto interuallo poſt ſe relinquat doctrinas Ariſtotelis, & aliorum Ethnicorum Philoſophorum, non quod eas ignorarit; nam ex dictis, & dicendis ſatis per ſe patet, & clarius ex eius omnibus operibus eas illas perfectiſſimè calluiſſe; ſed quia certiorem habebat propheticum ſermonem cui tamquam lucernæ lucenti in hoc caliginoſo loco imperturbata acie attendebat, & intendebat; vndè

clarius, & firmius, & Diuina, & humana dignoſcebat; & ideò potius ſtylo ſacris, & Diuinis litteris conformi Diuina ſua opera conſcribenda, quam humanis ſyllogiſmis, & figmentis ea replenda eſſe cenſuit; ſic enim habet l. 7. Conf. c. 21. Itaque auidiſſimè arripui venerabilem ſtylum Spiritus tui *&c. Propter eà tantopere, & tam ſerio inculcat à D. O. M. eſſe petendam, & obtinendam veram ſcientiam; vt in ipſo primo ſuo opere quod contra Academicos cōſcripſit adhuc Cathecumenus (cum à S. Alipio hoc indicatum fuiſſet) ipſe poſteà mirificè approbauit his verbis l. 3. c. 6.* Quis autem verum poſſit oſtendere abs te Alipi dictum eſt &c. etenim numen aliquod aiſti ſolum poſſe oſtendere homini quid ſit verum, cū breuiter tum etiam piè. Nihil

itaque

itaque in hoc ſermone noſtro libentius audiui, nihil grauius, nihil probabilius, & ſi id Numen vt confido adſit nihil verius, *& poſteà per omnes ferè libros vſque ad extremum ſuæ vitæ hoc ſemper, vel exercendo, vel ſuadendo indicat eſſe præſtandum ijs, qui ad veram Sapientiam peruenire concupiſcunt; quod & præcipuè præſtitit cùm ei à SS. Proſpero, & Hilario nunciatum eſſet, Semipelag: aliter ſenſiſſe de Diuina Prædeſtione, ac Diuinæ litteræ ſe habeant; hoc illis lib. de Prædeſtinatione SS. cap. pri. præſtandum eſſe docuit his verbis;* Retenta ergo iſta in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proindè ſi in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum, ſi quid de Prædeſtinatione aliter ſapiunt, ipſe

illis hoc quoque reuelabit.

Inde eſt quod & ab ipſo tuo tyrrocinio illa Diuina luce eſt perfuſus, qua poſtea ea quæ ad incomprehenſibilem Diuinæ Sapientiæ abyſſum ſpectant, clarè penetrarit vt non ſolum ſui Creatoris perfectiones, ſed etiam creaturarum rationes clarè perſpexerit vt ipſe humiliter accepiſſe fatetur lib. 7. Confeſſ. c. 10. vbi ait. Intraui in intima mea duce te, & potui quoniam factus es adiutor meus intraui, & vidi qualicumq; oculo animæ meæ ſupra eumdem oculum animæ meę ſupra mentem meam lucem Domini incommutabilem &c. Qui nouit veritatem nouit eam, & qui nouit eam nouit ęternitatem. Charitas nouit eam. O æterna veritas, & vera Charitas, & chara æternitas &c. (*ecce neceſſitas*

Charitatis, & humilitatis ad obtinendum hanc Supremam Lucem vt ipſe tam ſæpè monet, vt in locis in Textu adductis, & alibi ſæpè claret) Et reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore,& horrore, & inueni longe me eſſe à te in regione diſſimilitudinis &c. Et audiui ſicut auditur in corde, & non erat prorſus vndè dubitarem. Faciliuſque dubitarem viuere me quam non eſſe veritatem &c. *De clariſſima verò, & aperta notitia notitia creaturarum, quam tunc obtinuit, ſic loquitur cap. ſeq. quod eſt* 11. Et inſpexi cætera infra te, & vidi nec omninò eſſe, nec omnino non eſſe, eſſe quidem quoniam abs te ſunt, non eſſe autem, quoniam id quod es, non ſunt. Id enim verè eſt quod in-

commutabiliter manet &c. *pro-ſequitur ibi poſtea notitias creaturarum, quas illa clara lucè aquiſiuit.*

Lætentur igitur veri Filij tanti Patris ſe habere in tam inhexauſta fontè vndè hauriant, & Spiritum, & litteras longè firmiori certitudine, & claritate quam ex libris gentilium; diſcernant inter doctrinam, quæ ædificat, & illam quæ inflat; inter Spiritum Dei, & Spiritum Mundi; quam diſcretionem ſcientiarum ipſemet explicauit, & piè, & eruditè lib. de Gratia, & lib. arb. c. 24. his verbis Orate vt intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote ſcriptum eſſe ſi quis veſtrum indiget Sapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Ipſa eſt Sapien-

Sapientia deſurſum deſcendens ſicut ipſe Apoſtolus Iacobus dicit. Illam verò Sapientiam repellite à vobis, & orate, vt non ſit in vobis, quam deteſtatus eſt, vbi ait. Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones in vobis ſunt, non eſt iſta Sapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis; Diabolica. Vbi enim zelus, & contentio eſt, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Quæ autem deſurſum eſt Sapientia, primum quidem pudica eſt, deindè pacifica, modeſta ſuadibilis, plena miſericordia, & fructibus bonis, inæſtimabilis ſine ſimulatione. *Hic & neceſſitatem orationis ad obtinendam veram Sapientiam iterum oſtendit, & deſurſum eſſe illam, quæ Deo placet, & S. Eccleſiam ædificat qualem illi affluen-*

ter donauit Deus in eo gradu, & Eminentia, vt veriſſimè de eo teſtatum reliquerit S. Thomas in eius officio, quod poſt Apoſtolos Primus refulſit diſpenſandi Verbi Dei Gratia. Vndè & ei reuelata eſſe, quæ obſcura, & difficilia erant non ambigo, vt ipſe met humillime, vt ſolet, fatetur in explicanda illa Controuerſia de initio fidei. in lib. de Prædeſtinctione SS. cap. 4. his verbis. Ecce quare dixi ſuperius hoc Apoſtolico pręcipuè teſtimonio etiam me ipſum fuiſſe conuictum, cum de hac re aliter ſaperem, quam mihi Deus in hac quæſtione ſoluenda, cum ad Epiſcopum Simplicianum ſicut dixi ſcriberem reuelauit. *Hæc attendant velim, qui pleno ore iactant illum exceſſiſſe, & quod grauius, & intolerabilius eſt de S. Paulo hoc non verentur in vul-*

gus

gus ſpargere, qui quidem ſi vellent ſolum, quod exceſſerint ingenia vulgaria, & Scholas Peripateticas, cùm à Solo Deo immediatè eruditi fuerint, & Diuina lucè perfuſi; vtique non excederent. Quod ſi contendant exceſſiſſe veritatem, & toto cælo errant, & grauem omninò iniuriam Chriſto Domino irrogant, à quo & S. Paulus accepit, quæ tradidit nobis, & à cuius Auctoritate conſtitutum eſt & certum S. P. Auguſtinum non diſcedere vt ipſe loquitur lib. 3. contra Academicos c. 20. iniurij ſunt S. Romanæ Eccleſiæ, in qua ſi ſemel cadit Auctoritas S. Scripturæ, & ipſa ruit, & à qua Doctrina S. P. Auguſtini confirmata, & ab errore immunis declarata fuit, vt apertiſſimè patet ex Epiſtola S. Celeſtini Papæ pro Proſpero, & Hilario ad Epiſcopos Galliarum.

In eo verò quod ſpectat ad prædictum modum acquirendi ſiuè obtinendi Sapientiam à Deo, cauendum eſt ne quis arbitretur, aut præſumat fortè, eo quod aliquo interno lumine irradiatur; hoc ſibi ſufficere ad aliorum ſalutem procurandam, & nullatenus requiri Doctrinarum acquiſitarum labore noſtro ſubſidium, à quo graui periculo tam ſeriò monet idem S. P. N. in prologo ad libros de Doctrina Chriſtiana ſic, quod per hominē diſcendum eſt, ſine ſuperbia diſcant, & per quem docetur alius ſine inuidia tradat, quod accepit. Neq; tentemus eū cui credimus, ne talibus inimici verſutijs, & peruerſitate decepti ad ipsū quoq; Euangelium audiendum, & diſcendū nolimus ire in Eccleſias, aut codicē legere, aut legentem prædicantemq; hominē

audi-

audire,& expectemus rapi vſq; in tertium cælũ ſiuè in corp. ſiuè extrà corpus, ſicut dixit Apoſt:, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, aut videre ibi Ieſum Chriſtum,& ab illo potius quam ab hominibus audire Euangelium. Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas, magiſq; cogitemus,& ipſum Apoſtol: Paulum,licet Diuina,& cæleſti voce proſtratum, & inſtructũ, ad hominem tamẽ miſſum eſſe, vt Sacramenta perciperet. Et Cornel: Cent: quamuis exauditas orationes eius,eleemoſinaſq; reſpectas ei Angelus nunciauerit Petro tamen traditum imbuendũ, per quem non ſolũ Sacramenta perciperet, ſed etiam, quid credendum quid ſperandum, quid diligendum eſſe audiret. Et po-

terant quidem omnia per Angelum fieri: ſed abiecta eſſet humana condicio, ſi per homines hominibus verbum ſuum Deus miniſtrare nolle videretur. Quo modo enim verum eſſet, quod dictum eſt. Templum enim Dei Sanctum, eſt quod eſtis vos, ſi Deus de humano templo reſponſa non redderet, & totum quod diſcendũ hominibus tradi vellet de cælo atque per Angelos perſonaret. *Iungendum igitur vtrumque eſt ijs, à quorum ore Deus ſcientiam requirit ad eruditionem populorum, & orationum frequentia, & Doctrinarum ſtudium ſic Deo præordinante, & pro Charitate fouenda, & pro humilitate exercenda, & pro dignificanda humana condicione. Quod adeò inconcuſſum, & certum habuit S. P. N. etiam in ipſo exordio*

dio Chriſtianæ militiæ, vt adhuc Cathecumenus S. Matri Monicæ cuius præclara, & eruditiſſima reſponſa audierat, vt ipſe teſtatur maximè in libro de Beata Vita, & in libris de Ordine, quæ ex illa anima Santiſs. tamquam oracula ex ſuo Templo Diuina Maieſtas reddebat; vt propterea lib. 2. de Ordin. c. 17. ſic de illa ſcripſerit. Tibi tamen cuius ingeniũ mihi quotidie nouum eſt, & cuius animum, vel ætate, vel mirabili temperantia remotiſſima ab omnibus nugis, & à magna labe corporis emergentem in ſe multum ſurrexiſſe cognoſco, tam erunt facilia; quam difficilia tardiſſimis miſereque viuentibus &c. *Monuit eam tamen ea cum reuerentia, & pietate, quæ tantum Filium decebat erga talem matrem his verbis ibidem* ita

Gram-

Grammaticæ penè Diuinā vim naturamq;cognoſcis:vt eius animam tenuiſſe, corpus reliquiſſe videaris. Hoc etiam de cæteris huiuſmodi artib⁹ dixerim: quas ſi penitus fortaſſe cōtemnis, admoneo te,quantùm filius audeo quantùmq; permittis vt fidem iſtam tuam, quam venerandis myſterijs percepiſti,firme cauteque cuſtodias, deindè vt in hac vita atq;moribus cōſtanter vigilāterq;permaneas.De rebus autem obſcuriſſimis,& tā Diuinis. Quòmmodo Deus, & nihil mali faciat,& ſit Omnipotens,& tanta mala fiant, &c. (*quæ ibi adducit, difficilia ad ſoluendum monet poſtea*) Aut ordine illo eruditionis: aut nullo modo quicquam requirendum eſt.

Et hæc pauca ex plurimis, quæ adduci potuiſſent iuxta meæ breuita-

uitatis inſtitutum attigiſſe ſufficiat, vt vel hinc quaſi ex vngue Leonem verus tanti Patris Filius dignoſcat; qua ratione, & quibus gradibus tam humana quam Diuina Sapientia ſibi comparanda ſit, vt fiat in nobis, quod ipſe in termino ſuarum confeſſionum prædicat, & orat dicens. Et ſunt quædam bona opera noſtra, ex munere quidem tuo, ſed non ſempiterna. Poſt illa nos requieturos in tua grandi ſanctificatione ſperamus. Tu autem bono nullo indigens, bono ſemper quietus es, quoniam tua quies tu ipſe es. Et hoc intelligere quis hominum dabit homini? Quis Angelus Angelo? Quis Angelus homini? A te petatur, in te quæratur, ad te pulſetur. Sic accipietur, ſic inuenietur, ſic perietur. Amen.

DE

DE OPINIONE, ET FIDE

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

TEXTVS.

a lib. 3 de lib. arbitr. cap. 8.

OPinio aut in errore, aut in veritate ratiocinationis eſt, vel credentis: Senſus autem, aut Natura, aut conſuetudine valet. Poſſe autem fieri, vt in opinione ſit aliud, & in ſenſu aliud, vel ex hoc cognoſcere facile eſt, quod plerumq; aliud faciendum eſſe credimus, & aliud facere delectat [a]. Et aliquando veracior eſt ſenſus quam opinio, ſi illa de errore, ille de natura eſt: velut cum æger pleruneque aqua frigida cum non obeſt dulciter delectatur, quam tamen ſi biberet,

cre-

credit eſſe nocituram. Aliquando veracior eſt opinio quã ſenſus, ſi credit arti Medicinæ obeſſe frigidam, cum re vera oberit, & tamen bibere delectat. Aliquando vtrumq; in veritate eſt, cum id quod prodeſt, non ſolum ita creditur, ſed etiam libet. Aliquando vtrumque eſt in errore, cum id quod nocet, & prodeſſe creditur, & liberè non deſinit. Solet autem, & recta opinio prauam corrigere conſuetudinem, & praua opinio rectam deprauare naturam. Tanta vis eſt in dominatu, & principatu rationis b. Hinc eſt, quod falſis opinionibus tanto quiſque inſeritur magis, quanto magis in eis, familiariuſque volutatur. Multo id facilius in rebus veris animo accidere ſolet. c. Fides approbata eſt in latina lingua ex

b *Epiſt. 117. ad Nebridium.*

c *lib de mendacio cap. 20.*

eo, quia fit, quod dicitur. Quam manifeſtum eſt, non exhibere mentientem d. Fides in latino ſermone ideò appellata eſt, quia fit, quod dicitur. e. Duæ ſyllabæ ſonantur cum dicitur Fides. Prima ſyllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te vtrum credas? dicis, Credo. Fac quod dicis, & Fides eſt f. Quid eſt Fides niſi credere, quod non vides.

d *Epiſ. 19. Ad Hier.*

e *Serm. 237. de tempore.*

f *Tra. 40. in Ioannē.*

SCHOLIVM.

Pertractatis ijs, quæ ad ſcientiæ rationem ſpectant; de ijs quæ ad opiniones, & errores ſeu fallacias attinent, vt oppoſita iuxta ſo poſita magis eluceſcant agendum; & quidem de probabili, ſiuè opinabili agit S. P. N. per tres libros contra Academicos ab eo ad-

huc

huc Cathecumeno conſcriptos contra illorum falſam, & pernicioſam ſententiam, qui arbitrantur nihil certi à nobis ſciri poſſe; ſed ea omnia, quæ cognoſcimus ſolum probabiliter teneri, aut veroſimilia eſſe; illis præſuppoſitis. Quid ſit opinio, & qualiter amplectenda, vel non amplectenda ex lib. 3. de lib. arb. cap. 8. deſumpſi, vt in Textu patet.

Hanc de probabili, & opinabili doctrinam Ariſtoteles redegit ad artem in libris, quos Topicos nominauit, ideſt locales; eo quod maior illorum pars verſetur in tradendis locis Argumentorum; Duplicem verò prima diuiſione conſtituit locum, vndè media deſumuntur; alterum Maximam appellauit, alterum verò dffierentiam Maximæ. Maxima nuncupatur propoſitio ita nota, vt ea audita

Maxima, & Differentia Maximæ.

dita intellectus aſſentiatur, dummodo terminorum vim teneat. Differentia Maximæ eſt locus plurimas huiuſmodi Maximas complectens; ſub his duobus generibus continentur plura loca, quæ tam à Rhetoribus quam à Summuliſtis communiter enumerantur vſque ad viginti duas ſpecies, vt videre eſt apud Fonſecam lib. 7. cap. 11. quorum enumerationem, & explicationem, quia non continet ſpecialem difficultatem, à Rhetoribus exactè factā ſuppono; quorum maximè proprium eſt, ex probabilibus procedere.

Quæritur hic primo cur Philoſophus tam hos libros topicorum quam ſubſequentes Elenchorum non appellauerit analyticos, ſiuè reſolutorios ſicut præcedentes vbi de Syllogiſmo, & Demonſtratione; ratio dubitandi eſt, quia etiam hic

docet

docet reſoluere conſequens in materia probabili, ſiuè apparente ℞. communi, quod cum hæ inſcriptiones analyſis ſint deſumptæ ab antiquis Mathematicis; qui hoc nomine, quod reſolutionem importat intelligebant inueſtigationem medij neceſſarij ad concludendum; ideò Philoſophus hos, in quibus non agitur de materia neceſſaria, obtemperans conſuetudini eorum à quibus præcedentes inſcriptiones deſumpſerat, alio titulo proprio inſcripſit. *Cur pars iſta reſolutoria non dicatur.*

Quæritur ſecundo quid intendat hic Philoſophus ℞. hic eum velle tradere notitiam Syllogiſmi Dialectici, ſiuè probabilis; ad quē ordinat ea omnia, quæ docet in his libris; cum enim in libris priorum demonſtraſſet, qualis debeat eſſe Syllogiſmi forma, & in libris poſteriorum qualis debeat eſſe materia *De Syllogiſmo probabili hic ordine Doctrinæ agitur.*

ria demonſtrationis, quæ parit ſcientiam, conſequens erat, vt de Syllogiſmis deficientibus à ratione ſcientifica ſecundum ordinem naturæ, & dignitatis ageret; ita vt de probabili prius, qui minus declinat à ſcientia, poſtmodum de Sophiſticis &c. qui ex diametro illi opponuntur ageret.

Quid ſit Syllogiſmus Dialecticus.

Quæritur tertiò; quid ſit Syllogiſmus Dialecticus. ℞. *ex Philoſopho eum eſſe, qui conſtat ex probabilibus, ſunt verò probabilia ex eodem ea, quæ vera videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & illis vel omnibus, vel plurimis, vel maximè cognitis, & probatis. In qua explicatione illa particula (videntur) eſt intelligenda cum formidine partis oppoſitæ, vt excludantur propoſitiones neceſſariæ, quæ & ipſæ ſunt, quæ omnibus videntur veræ. Hoc verò;*

rò; quod eſt videri omnibus verum, aut pluribus, non eſt ratio, cur aliquid ſit probabile, ſed ſignũ probabilitatis, quam ſecundum ſe habet; Auctoritas enim non generat probabilitatem, ſed fidem; quãdoque tamen maximè apud Theol. Morales de ratione opinionis dicitur eſſe Auctoritatem Doctorum cui fauet explicatio S. P. N. in textu ſupra adducto vbi ait Opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinationis eſt, vel credentis, *ideſt eſt aſſenſus, vel errans, vel verum dicens ex vi ratiocinationis, vel credentis teſtimonio dicentis; qua explicatione complexus eſt eos actus, qui vulgariter appellantur Opiniones; cum philoſophicè loquendo ſit diſtinguendũ inter opinionem, & fidem; quatenus iſta nititur ſolum teſtimonio dicentis, illa verò efficacitati ratio-*

rationis non quidem neceſſariæ, & euidentis; ſed tamen non neceſſario errantis, ſed admittentis contingenter veritatem, vel falſitatem.

Occaſione explicationis Syllogiſmi Dialectici; cum iam in ſuperioribus, vt dictum eſt, explicaſſet Syllogiſmum demonſtratiuū declarat rationem Syllogiſmi Sophiſtici, & Pſeudographi, de Sophiſtico infra aliquid dicetur, cum de Fallacijs; Pſeudographus verò, qui, & Paralogiſmus dicitur, eſt ille qui deducit concluſionem in propria materia alicuius ſcientiæ ex ſumptionibus, quæ vera, & neceſſaria videntur, & tamen non ſunt verè.

Quæritur quarto an hæc diuiſio Syllogiſmi in quattuor membra ratione materiæ facta ſit bona; & ſufficiens. ℞. *affirmatiuè;*

Nam

Nam materia Syllogiſmorum dupliciter ſpectari poteſt; ideſt vel ſecundum ſe, vel prout ſubiacet noſtris ſenſibus. Si ſpectetur ſecundum ſe, eſt duplex, ideſt vel neceſſaria, vel probabilis; ſi neceſſaria ad Syllogiſmum demonſtratiuum ſpectat, ſi probabilis ad Dialecticum; (de omninò improbabili non agitur, quia non conducit ad Syllogiſmum probatiuum, de quo ſolum in præſenti loquimur.) Si verò conſideretur prout ſubiacet noſtris ſenſibus; Si materia videatur neceſſaria, & non ſit, conſtituitur Syllogiſmus Pſeudographus, & ſi videatur probabilis, & non ſit habetur Syllogiſmus Sophiſticus. Præter hæc quattuor membra non videtur ratione materiæ poſſe excogitari aliud. Diuiſio Syllogiſmi facta ratione materiæ in 4. membra eſt bona.

Quæritur quinto ad quod membrum ex prædictis quattuor reuo-

candus ſit ille Syllogiſmus, quem Ariſtoteles Logicum appellat; ratio dubitandi eſt, quia ab eodem Philoſopho quandoque appellatur demonſtratio, quandoq; verò à demonſtratione reÿcitur. ℞ re vera non conſtituere aliam ſpeciem Syllogiſmi ab illis quattuor ſupra enumeratis contradiſtinctam; Nã ex eodem Philoſopho Logicè ſpeculari, eſt idem ac ſine experientia res conſiderare, & propterea de mente ipſius eſt, Logicum Syllogiſmum eſſe illum, qui tendit quantum eſt in ſe, ad aſſequitionem veritatis, non tamen eam ſemper obtinet; Et quando veritatem attingit, ſi eam deducit ex neceſſarÿs demonſtratio à Philoſopho dicitur; ſi verò eam non aſſequitur ad Pſeudographi claſſem ab ipſo Ariſtotele reducitur; Quod ſi præſcindendo à Philoſophi Auctoritate

Syllogiſmus Logicus non conſtituit aliam ſpeciem ab enumeratis.

toritate loquamur, poſſumus dicere quemcumque Syllogiſmum eſſe Logicum; ita vt Syllogiſmus Logicus ſit genus ad illas quattuor ſpecies; ac proindè omnis quidem Syllogiſmus ſit Logicus, non tamen quilibet demonſtratiuus, vel Dialecticus ſeu probabilis; & ideo dicatur Logicus quia, à Logica dirigitur, & conſideratur, & ſecundum eius regulas conſtruitur.

Quaeritur ſexto ad quam claſſem ſit reuocandus Syllogiſmus conſtans ex propoſitionibus de Fide Diuina; ratio dubitandi eſt, quia à Philoſopho non fuit de illo actum, cum illius Intellectum latuerit. ℞. communiter reducendum eſſe ad Syllogiſmum demonſtratiuum, cum quo maiorem affinitatem habere dignoſcitur ob infallibilem vim deducendi concluſionem certam ex praemiſſis certis;

Syllogiſmus ex duabus praemiſſis de Fide Diuina ad Demonſtrationem reducitur.

& licet non ſit propriè demonſtratio Philoſophica, nihilominus rectè dici poteſt Demonſtratio Theologica; Neque enim rationi conſentaneum eſt; vt ita ſubijciamus Excellentiſſimam, & Diuinam cognitionem, & ſcientiam S. Eccleſiæ Catholicæ Ethnicorum iudicijs, & legibus; vt ex eo quod ipſi hæc noſtra, quæ ignorarunt, non appellarunt hoc vel illo nomine; nos propterea non audeamus tali nomine inſignire, maximè ſi militat eodem, & potior ratio, vt in præſenti de illationibus ex certiori prophetico ſermone.

Quæritur ſeptimo; ad quam ſpeciem ſint reducendi Syllogiſmi conſtantes ex propoſitionibus ad diuerſas ſpecies ſpectantibus; v.g. ex maiori neceſſaria certa, & euidenti, & ex minori, quæ ſit tantum probabilis. ℞. conſtituendos

eſſe

eſſe in ea ſpecie cuius propoſitiones ſunt deterioris condicionis; quod probatur ex illo principio iam ſupra ſatis firmato, nempè quod Concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem ſui antecedentis; ac propterea ſi Syllogiſmus conſtet vna tantum probabili, eſto altera ſit omnino certa, erit ſolum Syllogiſmus Dialecticus; & pariter dicendum erit, quod ſi conſtet altera tantum Pſeudographa ſiuè Sophiſtica; Syllogiſmus erit dicendus Pſeudographus ſiuè Sophiſticus. *Syllogiſmus ſequitur naturam præmiſſæ debilioris.*

Verum ex hoc fundamento oritur non leue dubium de Syllogiſmo, qui conſtet altera propoſitione de Fide Diuina, altera verò probabili, vel Pſeudographa, aut Sophiſtica, an ratione alterius propoſitionis probabilis v. g. ſit reuocandus ſolum ad Syllogiſmum dia-

lecticum? Ratio dubitandi eſt; quia cum propoſitio probabilis inclinet quandoque ad verum, quandoque ad falſum; & Propoſitio Diuina non poſſit concurrere ad falſum, non apparet, an talis Syllogiſmus prædictæ regulæ ſubijciatur. Verum hoc non obſtat, quo minus talis Syllogiſmus ad ſpeciem deterioris rationis reuocari debeat; ideò ſi altera eſt ſolum probabilis, ad Dialecticum ſpectat; Propter rationem ſupradictam, quod concluſio ſequitur debiliorem partem. Ad rationem dubitandi, ℞. quod eſto propoſitio de Fide Diuina vt credita, ideſt vt verſatur circa proprium obiectum, non poſſit eſſe falſa; Nihilominus materialiter ſumpta quatenus ſcilicet per rationem naturalem applicatur, non repugnat ei, ſicut nec etiam euidenti ratione coniunctionis

cum

cum altera deterioris condicionis concurrere ad falſam illationem.

Quæritur octauo an cum actu Fidei, vel opinionis poſſit ſtare ſimul actus ſcientificus de edem obiecto. Suppono primo ex dictis ſcientiam diſtingui ab opinione, & Fide per euidentiam, quam participat eſſentialiter actus ſciētiæ naturalis. Opinio enim eſt actus Intellectus deductus ex principijs, in quibus non apparet euidenter veritas, aut falſitas rei; & propterea eſt liberum Intellectui etiam quoad ſpeciem, ei præbere aſſenſum, vel cohibere. Ex quo vlterius ſequitur, quod quemadmum ex euidentia eſſentialiter requiſita ad ſcientiam naturalem oritur certitudo; ſic ad ineuidentiam, quæ eſſentialiter reperitur in ratione formali actus opinatiui; ſequatur formido. Eſt autem

formido actualis vt in præſenti accipitur actus reflexus intellectus, per quem iudicat; propoſitionem, cui aſſentitur, poſſe eſſe falſam; Et cum hæc formido reperiatur cum alterutra parte contradictorij opinabilis, fit vt dicatur naturaliter ſequi opinionem.

Formido duplex Actualis, & ſubiecti; & radicalis.

Suppono ſecundo formidinem eſſe in duplici differentia alteram actualem, quæ dicitur formido ſubiecti; Alteram, quæ poteſt dici radicalis. Illa eſt Potentiæ vacillatio, & dubietas in aſſentiendo, à qua intellectus remanet actu formidoloſus, & vacillans in aſſentiendo; iſta verò eſt carentia certitudinis in actu, quæ conſequitur ad eſſentiam opinionis, & eius paſſio dici ſolet, & quidem ſine formidine actuali ſiuè ſubiecti poteſt ſtare actus opinatiuus, ſine hac verò radicali nequit reperiri, eo

quod

quod ſicut actus ſcientificus habet neceſſariò coniunctam certitudinem, ita actus opinatiuus habet neceſſariò adiunctam carentiam certitudinis in actu.

Hic etiam obiter aduerto, quod Dubium, & ſuſpicio diſſident ab actu ſcientifico, & ab actu opinatiuo; Dubium enim eſt quædam hæſitatio Intellectus, ſiuè actus illius; quo iudicat neutri parti contradictionis aſſe aſſentiendum, quod non reperitur neque in actu ſcientiæ neque in actu opinionis, nam vterque licet diuerſi modè determinat intellectum ad alteram partem; Suſpicio eſt quædam cognitio reflexa de probabilitate rei, qua intellectus opinatur, ita probabiliter eſſe, & in hoc differt ſuſpicio à dubio, non tamen abſolutè iudicat ita rem ſe habere, vel non habere; & in hoc diſcrepat Dubium quid. Suſpicio quid

ſuſpicio ab opinione. Suppono 3. Fidem differre à ſcientia in hoc, quod Fides eſt actus, quo aſſentimur alicui rei per medium extrinſecum, & ſolum propter teſtimonium alicuius dicentis; Et cum auctoritas propter quam alicui rei aſſentimur ſit duplex Diuina vna, humana altera, Actus ille, quo aſſentimur propter Auctoritatem Diuinam, eſt actus Fidei Diuinæ; qui ex eo, quod falſitatem admittere non poteſt, differt ab actu opinatiuo; & per hoc quod caret euidentia, quam actus ſcientificus naturaliter requirit, à quocumque actu ſcientiæ naturalis diſcriminatur.

Quid ſit Fides.

Actus verò ille, quo aſſentimur propter Auctoritatem humanam, eſt actus fidei humanæ; qui eſt quædam ſpecies opinionis vt ſupra indicatum eſt, ad quam ita ſe habet:

bet formido, ſicut ſe habere in ordine ad opinionem, dictum eſt h.p.

℞. *quæſtioni propoſitæ; quod ſi ſumatur fides, vel opinio quatenus habent coniunctam formidinem ſubiecti, quæ in potentia dubietatem, & incertitudinem efficit, nullatenus nec actum Opinatiuum, nec actum talis fidei cum actu ſcientifico ſtare poſſe, nam de ratione huius eſt certitudo, & firmitas talis, vt in eo vt loquitur S. P. Auguſtini loco ſopra cit. lib. pri. contra Academicos c.* 7. neq; errare quiſquam, nec quibuslibet aduerſitatibus impulſus nutare debeat: *Si verò ſumatur opinio, vel actus Fidei, quatenus non habet actu coniunctum actum formidinis, quem vt extrinſecum illi actui opinionis, vel fidei ab eo naturaliter poſſe ſeparari non dubito; hac ratione non apparet repu-* *Actus opinatiuus cum formidine actuali ſubiecti nequit conſiſtere cum actu ſcientifico.*

gnantia, cur actus ſcientiæ, & actus fidei, vel opinionis ſimul ſtare non poſſint; Nam excluſa illa formidine extrinſeca, non remanet neque in obiecto neque in actibus ratio vlla repugnantiæ, ratione cuius illi duo actus ſe mutuo ab eodem intellectu expellere debeant. Cum enim in hoc caſu poſſit deducere disiunctiuè, vel à præmiſſis certis, & euidentibus, vel à probabilibus tantum actum aſſenſus circa idem obiectum, cur non poterit ſimul, vel deducere, vel aſſentiri propter illa duo motiua ſimul propoſita.

Nec obſtat effatum Peripateticum, quod contingit multa ſcire non verò multa cogitare. Nam experientia compertũ eſt hoc Axioma debere admittere ſuas limitationes, ita vt per ly multa non ſit reſtringendus Intellectus ad vnũ

tan-

tantum obiectum, vel actum, ſed tantum excludat multidunem conſiderabilem, & notabilem actuum; iuxta aliud decantatum Proloquium Pluribus intentus minor fit ad ſingula ſenſus. Plura de hac quæſtione eſſent dicenda à quibus ſuperſedeo, quia video eã eruditè, & ſubtiliter examinatam à noſtro R. P. Nicolao à S. Io. Baptiſta S. Th. Lectore ſicut, & alia ad Logicam ſpectantia in ſua prima parte Quadrip. Philoſophiæ.

COROLLARIVM.

Certitudinis Fidei, & ſcientiæ cupidus S. P. N. in libris contra Academicos probabilitatem ab illis aſſertam quatenus pernicioſa erat validiſſimè reiecit; poſtea lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. rationem opinionis expli-

canit,

cauit, cuius notitiam Philoſophus ad artem Logicæ redegerat in libris Topicorum. Ex his habemus primo non fuiſſe à Philoſopho hunc Tractatum inſcriptum de reſolutione; eo quod hic de Materia ſolum probabili, non verò neceſſaria tractetur. 2. Syllogiſmum probabilem eſſe eum, qui conſtat ex probabilibus, id eſt illis quæ vera videntur omnibus aut pluribus, aut Sapientibus. 3. Ratione materiæ rectè fuiſſe diuiſum Syllogiſmum in Demonſtratiuum, Dialecticum, Pſeudographum, & Sophiſticum. 4. Syllogiſmum Logicum præſcindendo ab Auctoritate Philoſophi eſſe genus ad illas quattuor ſpecies. 5 Syllogiſmum conſtantem ex ambabus præmiſſis de fide ad demonſtratiuum eſſe reuocandum 6. Syllogiſmum conſtantem ex altera præmiſſa neceſſaria altera

verò

verò probabili, vel falſa reducendum ad eam ſpeciem ad quam ſpectat illa præmiſſa, quæ eſt deterioris condicionis. 7. Actum opinionis, vel actum fidei coniũctum cum actu formidinis extrinſeco non poſſe naturaliter ſtare ſimul cum actu ſciẽtifico de eodem obiecto; at verò ſine prædicto actu formidinis rectè conciliari cum actu ſcientifico non repugnat.

DE ERRORE, ET FALLACIA.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

TEXTVS.

a ERror eſt falſi pro vero approbatio, in quem nullo pacto incidit, qui veritatem quærendam

a *lib. 1. contra Acad. cap. 4.*

b *lib. 3. contra Acad. cap. 15.* dam ſemper exiſtimat. b Is errat, qui quod ſibi videtur, temerè probat. Non ſolum puto errare qui falſam viam ſequitur, ſed etiam eum qui veram non ſequitur. c. Quamuis errare, quanta poſſumus cura, cauendum ſit, non ſolum in maioribus verum etiam in minoribus rebus; nec niſi rerum ignorantia poſſit errari: non eſt tamen conſequens, vt continuò erret, quiſquis aliquid neſcit, ſed quiſquis exiſtimat ſe ſcire quod neſcit: pro verò quippè approbat falſum, quod erroris eſt proprium. Verumtamen in qua re quiſq; erret, intereſt plurimum: Nã in vna eademque re, & neſcienti ſciens, & erranti non errans recta ratione præponitur. In diuerſis autem rebus, ideſt cum iſte ſcit alia, ille alia, & iſte

c *in Enchirid. cap. 17. vide plura de hoc ibid. & cap. 19. 20. & 21.*

vtilia,

vtilia,ille minus vtilia,vel etiam noxia: quis non in eis, quæ ille ſcit ei prçferat neſcientem? Sunt enim quædam, quæ neſcire melius eſt, quam ſcire. d. Error eſt cum ſequimur aliquid, quod non ad id ducit, quo volumus peruenire. e Simulachris Phãtáſmatum ſuorum, ſectatores ſuos omnis error illudit. f. duo ſunt quæ in errore hominum difficillimè tolerantur præſumptio priuſquam veritas pateat, & cum iam patuerit præſumptæ falſitatis defenſio. g. Procliuiores enim ſumus,quærere potius, quid contrà ea reſpondeamus, quæ obijciuntur errori; quam intendere, quam ſint ſalubria, vt careamus errore.

d *lib.2. de lib. arb.cap. 9.*

e *expoſitione epiſt. à Roman. incohat.*

f *Prologo in lib.2. de Trinit.*

g *lib. de nat. & grati cap. 25.*

h Quis diſceptandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſem-

h *lib.2. de Ciu. Dei cap. pri.*

ſemper exiſtimemus? Nam qui vel nō poſſunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri ſunt aduerſitate mentis; vt etiam ſi intellexerint non obediant, reſpondent vt ſcriptum eſt ſupra, & loquuntur iniquitatem; atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties vellimus refellere, quoties obnixa fronte ſtatuerunt, non curare quid dicant, dum quocunq; modo noſtris diſputationibus contradicunt, quam ſit infinitum, & ærumnoſum, & infructuoſum vides. i. Sapiens eris ſi malueris errore non decipi, quam errantium laudibus honorari. k Fallacem caue, malè cautum caue, multiloquum caue, fallaciam caue; & inuidum caue. l Summa, & propriè Diuina virtus eſt neminem decipe-

i *lib. 3. de Orig. animæ cap. 9.*

k *lib. 4. de Muſica cap. 11.*

l *lib. 83. q. q. 53.*

decipere: ſicut vltimum vitium eſt, quemlibet decipere.

DE SOPHISMATIBVS.

m Diſputationis diſciplina ad omnia genera Quæſtionum, quæ in litteris Sanctis ſunt penetranda, & diſſoluenda plurimũ valet: tantum ibi cauenda eſt libido rixandi: & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim multa, quæ appellãtur ſophiſmata, falſę concluſiones rationũ, & plerũq; ità veras immitantes, vt non ſolũ tardos, ſed ingenioſos etiam minus diligenter attentos decipiãt Propoſuit enim quidã dicens ei cum quo loquebatur Quod ego ſum tu non es. At ille conſenſit. Verũ enim erat ex parte: vel eo ipſo quod iſte inſidioſus, ille ſimplex

m *ex lib. 2. de Doctr. cap. 31.*

plex erat. Tunc iſte addidit;ego autem homo ſum. Hoc quoque cum ab illo accepiſſet, concluſit dicens: Tu igitur non es homo. Quod genus captioſarum, concluſionum ſcriptura, quantum exiſtimo,deteſtatur illo loco;vbi dictum eſt,qui ſophiſticè loqui-
Eccl. 37 tur,odibilis eſt:Quamquã etiam ſermo non captioſus, ſed tamen abundantius, quam grauitatẽ decet,verborũ ornamenta ſectans,ſophiſticus dicitur.Sũt etiã veræ connexiones ratiocinationis falſas habentes ſententiaſq; conſequuntur errorem illius cũ quo agitur. Quæ tamen inferuntur à bono, & docto homine; vt in ijs erubeſcens ille cuius errorem conſequitur,eundem relinquat errorẽ: quia ſi in eodẽ manere voluerit,neceſſe eſt, vt etiã illa quę damnat,tenere cogatur.

Cum

Cum ergo ſint verę connexiones:non ſolum verarum,ſed etiã falſarum ſententiarum facilè eſt veritatem connexionum etiam in Scholis illis diſcere,quæ præter Eccleſiam ſunt; ſentẽtiarum autem veritas in Sanctis libris Eccleſiaſticis inueſtiganda eſt.

DE VERBIS OBSCVRIS, ET AMBIGVIS.

n IMpeditur auditor ad veritatem videndam. Impedimenta enim naſcuntur ex difficultate intelligentiæ, quæ multa intelliguntur, quia in vno eodem verbo per ſe prolato, magna eſt aut obſcuritas aut ambiguitas.Inter obſcurum,& ambiguum hoc intereſt, quod in ambiguo plura

n ex lib de Princip. Dialect. cap viii.

Obſcurũ & ambiguum.

ſe

ſe oſtendunt, quorum quid potius accipiendum ſit ignoratur: in obſcuro autem nihil aut parum, quod attendatur apparet. Sed vbi parum eſt, quod apparet, obſcurum eſt ambiguo ſimile: veluti ſi quis ingrediens iter, excipiatur aliquo biuio, vel triuio, vel etiam vt ita dicam, multiuio loco, ſed denſitate nebulæ nihil viarum, quæ eſt eluceat; ergo à pergendo prius obſcuritate tenetur. At vbi aliquantum rareſcere nebulæ cœperint, vt videatur aliquid, quod vtrum via ſit, an terræ proprius, & nitidior color incertum eſt, hoc eſt obſcurum ambiguo ſimile. Diluceſcente cælo quantũ oculis ſatis ſit, tam omnium viarum deductio clara eſt, ſed quà ſit pergendum, non obſcuritate ſed ambiguitate dubitatur. Item
ſunt

ſunt obſcurorum genera tria: vnum eſt quod ſenſui patet, animo clauſum eſt, tanquam ſi quis malum punicum pictum videat, qui neque viderit aliquando, nec omnino quale eſſet audierit, non oculorum eſt, ſed animi, qui cuiuſque rei pictura ſit, neſcit. Alterum genus eſt, vbi res animo pateret, niſi ſenſui clauderetur, ſicut eſt homo pictus in tenebris: nam vbi oculis apparuerit, nihil animus hominem pictum dubitabit. Tertium genus eſt, in quo etiam ſenſui abſconditur, qui tantum ſi nudaretur nebula, magis animo emineret: quod genus eſt omnium obſcuriſſimum, vt ſi imperitus malum illud punicum pictum etiã in tenebris cogeretur agnoſcere. Refer nunc animum ad verba, quorum iſtæ ſunt ſimilitudines

tudines conſtitutæ. Pone quempiam grammaticum conuocatis diſcipulis, factoq; ſilentio ſuppreſſa voce dixiſſe, temetum; quod ab eo dictum qui prope aſſidebant, ſatis audierunt: qui remotius, parum: qui autem remotiſſime nulla omninò voce perſtricti ſunt. Horum autem partim ſciebant, illi ſcilicet qui neſcio quo caſu remotiores erant, quid eſſet temetum: reliquos prorſus latebat: omnes obſcuritate impediebantur. Et hic iam perſpicis omnia illa genera obſcuritatum. Nam qui auditu nihil dubitabant, primum illud genus patiebantur, cui ſimile eſt, malum punicum ignorantibus, ſed in luce pictum. Qui nouerant verbum, ſed auribus aut parum aut omnino non acceperant vocem: ſecundo illo

genere laborabant, cui ſimilis eſt hominis imago, ſed non in conſpicuo, ſed omnino tenebroſo loco. Qui autem non ſolum vocis, ſed & ſignificationis verbi expertes erant: tertij generis, quod omnino deterrimum eſt, cæcitate inuoluebantur. Quod autem dictum eſt, quoddam obſcurum ambiguo ſimile, in his perſpici poteſt, quibus verbum erat quidem notum, ſed vocem penitus nullam, aut non omnino certam perceperant. Omnia igitur obſcura loquendi genera vitabit, qui & voce quantum ſatis eſt clara, nec ore impedito, & verbis notiſſimis vtetur. Vide nunc in eodem Grammatici exemplo, quàm longè alias impediat ambiguitas quàm obſcuritas verbi. Fac enim eos qui aderant, & ſatis

ſenſu accepiſſe vocem magiſtri, & illum verbum enunciaſſe, quod eſſet omnibus notum, vt puta fac eum dixiſſe, magnus, & deinde ſiluiſſe: attende quid incerti hoc audito nomine patiantur. Quid ſi dicturus eſt, quæ pars orationis eſt? Quid ſi de metris quæſiturus, quis ſit pes? Quid ſi hiſtoriam interrogaturus, vtputa, magnus Pompeius quot bella geſſerit? Quid ſi cōmendaturus carmina grammaticus dicturus eſt, magnus, & penè ſolus poeta Virgilius? Quid ſi obiurgaturus negligentiam diſcipulorum, in hæc deinde verba prorumpat, Magnus vos ob ſtudium diſciplinæ torpor inuaſit. Videſne remota nebula obſcuritatis, illud quod ſupra dictum eſt quaſi eminuiſſe multiuium? Nam hoc vnum

quod

quod dictum eſt, magnus, & nomen eſt, & pes chorius eſt, & Pompeius eſt, & Virgilius eſt, & negligentiæ torpor. Et ſi qua alia, vel innumerabilia nō commemorata ſunt, quæ tamen per hanc enunciationem verbi poſſunt intelligi.

Itaq; rectiſſimè à dialecticis dictum eſt, ambiguum eſſe omne verbum. Nec moueat, quod apud Ciceronem calumniatur Hortenſius, huiuſmodi ambigua ſe audere explicare. Dilucide omne verbum ambiguum eſſe dixit, Quomodo igitur ambigua ambiguis explicabunt? Nam hoc eſt in tenebris extinctum lumen inferre. Facile quidem atque callide dictum. Sed hoc eſt quod apud eundem Ciceronem Scæuolæ dicit Antonius. Denique vt ſapientibus diſerte, *Cap. ix. Ambiguorum genera.*

ſtultis etiam vere videaris dicere. Quid enim aliud loco illo facit Hortenſius, niſi acumine ingenij, & lepore ſermonis, quaſi meraco, & ſuaui poculo imperitis caliginem effundit? Quod enim dictum eſt, omne verbum ambiguum eſſe, de ſingulis verbis dictum eſt. Explicantur ambigua diſputando, & nemo vtique verbis ſingulis diſputat. Nemo igitur ambigua verba verbis ambiguis explicabit. Et tamen cum omne verbum ambiguum ſit, nemo verbum ambiguum niſi verbis, ſed etiam coniunctis, quæ iam ambigua non ſunt, explicabit. Vt enim ſi diceretur, Omnis miles bipes eſt, non ex eo ſequeretur, vt cohors ex militibus bipedibus tota conſtaret. Ita cum dico ambiguum omne verbum, non di-

co

co ſententiam, non diſputationem, quamuis verbis iſta texantur. Omne igitur ambiguum verbum non ambigua diſputatione explicabitur. Nunc ambiguitatum genera videamus. Quæ prima duo ſunt: vnum in ijs etiam quæ dicuntur, alterum quod in ijs ſolis, quæ ſcribuntur dubitationem facit. Nam ſi quis audierit acies, & ſi quis legerit, poterit incertum habere, niſi per ſententiam clareſcat, vtrum acies militum, an ferri, an oculorum dicta vel ſcripta ſit. At verò ſi quis inueniat ſcriptum, verbi cauſa, leporem, nec appareat qua ſententia poſitum ſit; profecto dubitabit, vtrum penultima huius verbi ſyllaba producenda ſit, ab eo quod eſt lepos, an ab eo quod eſt lepus corripienda. Quam ſcilicet non pa-

teretur ambagē, ſi accuſatiuum huius nominis caſum voce loquentis acciperet. Quòd ſi quis dicat loquentem male pronunciare potuiſſe, iam non ambiguitate, ſed obſcuritate impediretur auditor. Ex illo tamen genere, quod ambiguo ſimile eſt, quia male Latine pronunciatum verbum, non in diuerſas rationes trahit cogitantem, ſed ad id quod apparet impellit. Cum igitur iſta duo genera inter ſe plurimum diſtent, primum genus rurſus in duo diuiditur: nam quicquid dicitur, & per plura intelligi poteſt, eadem ſcilicet plura aut vno vocabulo, & vna interpretatione, aut tantum vno tenentur vocabulo, ſed diuerſis expeditionibus explicantur. Ea quæ vna definitio poteſt includere, vniuoca nominantur: illis

autem quæ ſub vno nomine neceſſe eſt definire diuerſe, æquiuoci nomen eſt. Prius enim conſideremus vniuoca, vt quomodo genus hoc iam patefactum eſt, illuſtretur exemplis. Hominem cum dicimus, tam puerum dicimus quàm ſenem, tam ſtultum quàm ſapientem, tam magnum quàm paruum, tam ciuem quàm peregrinum, tam vrbanum quàm agreſtem, tam qui iam fuit, quam qui nunc eſt, tam ſedentem quàm ſtantem, tam diuitem quam pauperem, tam agentem aliquid quam ceſſantem, tam gaudentem quam mærentem, vel neutrum. Sed in his omnibus dictionibus, nihil eſt quod non vt hominis nomen accepit, ita etiam hominis definitione claudatur: nam definitio hominis eſt, animal rationale,

mortale:non ergo quiſquam poteſt dicere animal rationale mortale iuuenem tantum, non etiam ſenem & puerum, &c. aut ſapientem eſſe tantum, non etiã ſtultum: imò & iſta, & cætera, quæ numerata ſunt, ſicut hominis nomine, ita etiam definitione continentur: nam ſiue puer, ſiue ſtultus, ſiue pauper, ſiue etiã dormiens, ſi animal rationale mortale non eſt: nec homo eſt. Eſt autem homo, illa igitur definitione contineatur neceſſe eſt: & de cæteris quidem nihil ambigitur. De puero autem paruo aut ſtulto, ſiue prorſus fatuo, aut de dormiente, vel ebrio vel furente dubitari poteſt, quomodo poſſunt eſſe animalia rationalia, etiam ſi poſſit defendi, ſed ad alia properantibus longum eſt. Ad id quod agitur illud

lud ſatis eſt, non eſſe iſtam defi-
nitionem hominis rectam, niſi
& omnis homo eadem conti-
neatur, & præter hominem ni-
hil. Hæc ſunt igitur vniuoca,
quæ non ſolum nomine vno, ſed
vna etiam eiuſdem nominis de-
finitione clauduntur: quamuis,
& inter ſe proprijs nominibus,
& definitionibus diſtingui poſ-
ſunt. Diuerſa enim nomina,
puer, adoleſcens diues, & pau-
per, liber, & ſeruus, & ſi quod
aliud differentiarum eſt, & inter
ſe ideo proprias definitiones
habebunt: ſed vt illis vnum
commune nomen eſt homo, ſic
animal rationale mortale defi-
nitio vna communis eſt.
o Nunc æquiuoca videamus, *o Cap. x. Ambiguitas ex æquiuocis varia.*
in quibus ambiguitatum per-
plexio prope infinita ſylueſcit:
conabor tamen eas in genera

certa diſtinguere. Vtrum autem conatum meum hæc facultas ſequatur, tu iudicabis. Ambiguitatum igitur, quæ ab æquiuocis veniunt, primo genera tria ſunt: vnum ab arte, alterum ab vſu, tertium ab vtroque. Arte nunc dico, propter nomina, quæ in verborum diſciplinis verbis imponuntur. Aliter enim definitur apud grãmaticos quid ſit æquiuocum, aliter apud dialecticos, & tamen hoc vnum quod dico, Tullius, & nomen eſt, & pes dactylus, & æquiuocum. Itaque ſi quis ex me efflagitet vt definiam quid ſit Tullius, cuiuslibet notionis explicatione reſpondeo. Poſſum enim recte dicere, Tullius nomen eſt quo ſignificatur homo ſummus quidam orator, qui Catilinæ coniurationem conſul oppreſſit. Subtiliter at-
tende

tende me nomen ipſum definiſſe: nam ſi mihi Tullius ipſe, qui ſi viueret, digito monſtrari potuiſſet, definiendus foret, non dicerem, Tullius eſt nomen quo ſignificatur homo: ſed dicerem, Tullius eſt homo, & ita cætera adiungerem. Item reſpondere poſſum, Hoc nomen Tullius eſt dactylus, his litteris conſtans: quod enim eas literas habeat, opus eſt innuere. Licet enim illud dicere, Tullius eſt verbum, per quod æquiuocantur inter ſe omnia cum hoc ipſo, quæ ſuprà dicta ſunt, & ſi quid aliud inueniri poteſt. Sed dico, Cum ergo hoc nomen quod dixi, Tullius, ſecundum artium vocabula tam varie mihi licuit definire, quid dubitamus eſſe ambiguorum genus ex æquiuocis venientium, quod merito dici

poſſit ex arte contingere? Diximus enim æquiuoca eſſe, quæ non vt vno nomine, ita etiam vna definitione poſſunt teneri. Vnde nunc alterum genus eſt, quod ex loquendi vſu venire memorauimus. Vſum nunc appello illud verbũ propter quod verba cognoſcimus. Quis enim verba propter verba conquirat, & colligat? Itaque iam conſtitue aliquem ſic audire, vt notum ei ſit, nihil de partibus orationis, aut de metris quæri, aut de verborum aliqua diſciplina: tamen adhuc poteſt cum dicitur, Tullius, æquiuocorum ambiguitate impediri. Hoc enim nomine, & ipſe qui fuit ſummus orator, & eius dicta imago vel ſtatua, & codex quo eius literæ continentur, & ſi quod eſt in ſepulchro eius cadauer, ſignificari [illegible] poteſt.

poteſt. Diuerſis enim rationibus dicimus, Tullius ab interitu patriam liberauit: &, Tullius inauratus in Capitolio ſtat: &, Tullius tibi totus legendus eſt: &, Tullius hoc loco ſepultus eſt: vnum enim nomen eſt, ſed diuerſis hęc omnia definitionibus explicanda ſunt. Hoc igitur genus æquiuocorum eſt, in quo iam nulla de diſciplina verborum oritur ambiguitas, ſed de ipſis rebus, quæ ſignificantur. Aut ſi vtrumque confundat audientem vel legentem, ſiue quæ ex arte, ſiue ex loquendi vſu dicuntur, nonne tertium genus recte annumerabitur? Cuius exemplum quidem in ſententia aperte apparet, vt ſi quis dicat, Multi dactylico metro ſcripſerunt, vt eſt Tullius: nam hic incertum eſt vtrum Tullius pro

exem-

exemplo dactyli pedis, an dactylici poetæ poſitum ſit: quorum illud ex arte, hoc ex vſu loquendi accipitur. Sed in ſimplicibus etiam verbis contingit, licet tantum vocem huius verbi grammaticus audientibus diſcipulis enunciet, vt ſupra oſtendimus. Cum igitur hæc tria genera manifeſtis rationibus inter ſe differant, rurſum primum genus in duo diuiditur. Quicquid enim ex arte, verborum facit ambiguitatem, partim ſub exemplo eſſe poteſt, partim non poteſt. Cum enim definio quid ſignificat nomen, poſſum hoc ipſum exempli gratia ſupponere, quod dico nomen, vtique nomen eſt: hac enim lege per caſus flectitur, dicendo nomen, nominis, nomini, &c. Item cum definio quid ſignificat dactylus, hoc ipſum

ſum poteſt pro exemplo eſſe. Etenim cum dicimus, dactylus, vnam ſyllabam longam, & duas deinde breues enunciamus. At vero cum definitur aduerbium quid ſignificet, non poteſt huius ipſum exemplo dicere: etenim cum aduerbium dicimus, hæc ipſa enunciatio nomen eſt. Ita ſecundum aliam notionem, aduerbium vtique aduerbium eſt, & nomen, nomen eſt: ſecundum aliam verò aduerbium non eſt aduerbium, quia nomen eſt. Item pes creticus quando quid ſignificet definitur, non poteſt hoc ipſum pro exemplo eſſe. Hæc enim ipſa enunciatio quando dicimus creticus, prima longa ſyllaba, deinde duabus breuibus conſtat, quod autẽ ſignificat, longa ſyllaba, & breuis, & longa eſt: ita & hic ſecundum

aliam

aliam notionem, creticus nihil aliud eſt quam creticus, & dactylus non eſt: ſecundum aliam verò creticus non eſt creticus, quia dactylus eſt. Secundum igitur genus, quod iam diſciplinis verborum ad loquẽdi vſum dictum eſt pertinere, duas habet formas. Nam æquiuoca dicta ſunt, aut ex eadem origine venientia, aut ex diuerſa. Ex eadem origine appello, quando vno nomine ac non ſub vna definitione teneantur, vno tamen quaſi fonte demanant, vt eſt iſtud, quia Tullius & homo & ſtatua, & codex, & cadauer intelligi poteſt. Non poſſunt quidem iſta vna definitione concludi, ſed tamen vnum habent fontem, ipſum ſcilicet verum hominem, cuius & illa ſtatua, & ille liber, & illud cadauer eſt. Ex diuerſa

uerſa origine, vt cum dicimus, nepos, longe ex diuerſa origine filium filij, & luxurioſum ſignificat. Hæc ergo diſtincta teneamus, & inde illud genus quod ex eadem origine appello, in quattuor item diuidatur: nam diuiditur in duo, quorum vnum translatione, alterum declinatione contingit. Translationem voco, cum vel ſimilitudine vnũ nomen ſit multis rebus, vt Tullius, & ille in quo magna eloquentia fuit, & ſtatua eius dicitur. Vel ex toto, cum pars cognominatur, vt cum cadauer illius Tullius dici poteſt: vel ex parte totum; vt cum tecta dicimus totas domus. Aut à genere ſpecies: verba enim principaliter dicunt Romani, quibus loquimur. Sed tamen verba proprie nominata ſunt; quæ per

modos,

modos,& tempora declinamus. Aut ab ſpecie genus: nam cum ſcholaſtici ſolum propriè,& primitus dicantur, ij qui adhuc in ſchola ſunt,omnes tamen qui in literis viuunt, nomen hoc vſurpant. Aut ab efficiente effectus, vt Cicero eſt liber Ciceronis. Aut ab effectu efficiens, vt terror, quia terrorem fecit. Aut à continente,quæ continentur,vt domus etiam qui in domo ſunt dicuntur. Aut à conuerſa vice, vt caſtanea arbor dicitur,quæ & fructus: vel ſi quod aliud inueniri poteſt, quod ex eadem origine quaſi transferendo cognominetur. Vides, vt arbitror, quid faciat in verbis ambiguitatem. Quæ autem ad eandem originem pertinentia conditione declinationis ambigua eſſe dicimus, talia ſunt, Fac verbi

causa

cauſa quemquè dixiſſe, pluit. Et hæc diuerſe vtique definienda ſunt. Item ſcribere cum dicimus, incertum eſt vtrum in infinitiuo actiui, an imperatiuo paſſiui pronunciatum ſit. Homo cum vnum nomen ſit, & vna enunciatio, tamen ſit aliud ex nominatiuo, aliud ex vocatiuo. Quid doctius, & doctè verbi enunciatio quoque diuerſa eſt. Doctius aliud eſt cum dicimus, doctius mancipium: aliud dicimus, doctius illo diſputauit. Declinatione igitur ambiguitas orta eſt: nam declinationem nunc appello quicquid ſiue per voces ſiue per ſignificationes flectendo verba contingit. Hic doctus & doctè, tantum per voces flexum eſt. Hic homo & homo ſecundum ſolas ſignificationes. Sed huiuſmodi genus ambigui-

tatum

tatum minutatim concidere ac proſequi penè infinitum eſt. Itaque locum ipſum hactenus notaſſe ſuffecerit, ingenio præſertim tuo. Vide nunc ea quæ ex diuerſa origine veniunt: nam ipſa diuiduntur adhuc in duas primas formas, quarum vna eſt quę contingit diuerſitate linguarum vt cum dicimus iſte, hæc vna vox aliud apud Græcos, aliud apud nos ſignificat. Quod genus tamen non omnis nouit: non enim vnicuiq; perſpicuum eſt, niſi qui linguas noſſet, aut qui linguas diſputaret. Altera forma eſt, quæ vna quidem lingua facit ambiguitatem, diuerſa tamen eorum origine, quæ vno vocabulo ſignificantur, quale eſt illud quod de nepote ſuprà poſuimus. Quod rurſus in duo ſcinditur. Aut ſub eodem gene-

re partis orationis, ſicut nomen eſt nepos, cum filium filij, & cum luxurioſum ſignificat. Aut ſub diuerſis, vt dictum eſt à Terentio, Qui ſcis ergo iſtuc niſi periculum feceris? Sed etiam iſtuc pronomen, iſtuc aduerbium. Iam ex vtraq;, id eſt arte & vſu verborum, quod in æquiuocis tertium genus poſueramus, tot ambiguitatum formæ poſſunt exiſtere, quot in duobus ſuperioribus poſueramus. Reſtat ergo illud genus ambiguum quod in ſcriptis ſolis reperitur. Cuius tres ſunt ſpecies: aut enim ſpacio ſyllabarum fit tale ambiguum, aut acumine, aut vtroque. Spacio autem, vt cum ſcribitur, venit, de tempore incertum eſt, propter occultum primæ ſyllabæ ſpacium. Acumine autem, vt cùm ſcribitur,

pone, vtrum ab eo quod eſt pono, an vt dictum:

Pone ſequens, nanque hanc dederat Proſerpina legem.

incertum eſt per latentem acuminis locum. At vero ex vtroque fit, vt in ſuperioribus de lepore diximus, non ſolum producenda, ſed acuenda eſt etiam penultima ſyllaba huius verbi, ſi ab eo quod eſt lepos, non ab eo qui eſt lepus, deflexum eſt.

SCHOLIVM.

REmittit nos S. P. N. loco ſupracitato in textu, qui eſt ex lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 31. vbi agit de Sophiſmatibus pro dignoſcenda veritate, & falſitate connexionum ſiuè vera ſiue falſa ad eas Scholas, quæ præter Eccleſiam ſunt, fortè ea de cauſa quod iam cernebat, hæc adeo luculenter

ab

ab Ariſtotele pertractata fuiſſe, vt ei quoad ſubſtantiam, vel nihil, vel adeo parum addi poſſit vt pro nihilo computandum videatur. Propterea breuiſſime hic pro complemento operis ea tantum attingo, quæ principaliora ſunt in hac parte.

Si ergo, ethymologiam nominis ſyllogiſmi ſophiſtici perquirimus, idem ſignificat ac ſyllogiſmus ſapientis, maximè cum Sophyſtæ appellentur à S. P. in Locutionibus in Exodum lib. 2. latinarum litterarum eloquentiſſimi Auctores*: vſu tamen factum eſt, vt iam non ſyllogiſmus ſapientis, ſed decipientis, & eius, qui ſapiens videri mauult quam eſſe, vt reducatur reſpondens ad aliquam ex propoſitis metis; ſiuè ad redargutionem (quæ grecè dicitur Elencos,) quę eſt pręnegati cōceſſio, vel pręcō-*

ceſſi

Quid veniat nomine Syllogiſ. Sophiſtici.

ceſſi negatio ſiuè ad incomodum, ſcilicet ad affirmandum aliquid præter opinionem, vel omnium, vel ſapientum, ſiuè ad falſum, ſiuè ad ſolleciſmum, ſiuè ad nugatorias tricas: & licet Sophiſticus hos captioſos fines ſibi proponat ad illudendam ſcientiam, aut minus ſapientum, aut minus ingenioſorum; tamen quia ſophiſmatum præcepta vera ſunt, & infalibilia, ait S.P. non eſt facultas ipſa culpabilis, ſed ea malè vtentium peruerſitas.

Definiri videtur ſyllogiſmus ſophiſticus per illa verba textus S.P. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 36. vt in T. Sophiſmata falſæ concluſiones rationum: *& ex Ariſtotele primo Elencorum cap. pri., & p. Topicorum cap. p. ita definitur, qui aliquid videtur concludere, & non concludit. Hic*

Quid ſit Syllogiſ. Sophiſt.

dicitur

dicitur etiam ſyllogiſmus litigioſus, Pſeudographus, vitioſus, & apparens; peccat autem ſiuè in materia, ſiuè in forma, ſiuè in vtraq; Syllogiſmus ſophiſticus, qui peccat tantum in materia, eſt vere ſyllogiſmus, quia veram habet formam ſyllogiſticam: ille verò, qui peccat tantum in forma non eſt ſyllogiſmus verus, quia regulas ſyllogiſmorum non ſeruat; & hic tantum appellari poteſt ſyllogiſmus lato modo, eoque ſenſu, quo figura Leonis picta dicitur Leo.

Cæterum cum ex innumerabilibus modis, quibus confici poteſt, ſeù potius fingi ſyllogiſmus præter regulas, & modos figurarum à Summuliſtis præſtitutos, tot argumenta fallacia, & vitioſa deduci poſſint, horum contextum breuitatis gratia ommitto, & ſolum admoneo, quod frequentiſſima falla- *Fallaciæ defectu formæ.*

cia ratione formæ eſt, cum plures termini quam tres ponuntur in ſyllogiſmo; quapropter adhuc conceſſa maiori, & minori, negari poteſt conſequentia.

Fallaciæ verò ex defectu materiæ per Ariſtotelem cap. 3. lib. priſ. Elencorum reducuntur ad duo genera, & ad fallaciam dictionis, & ad fallaciam extrà dictionem ſcilicet in re: nam argumentum fallax, idcircò errorem inducit, quia habet ſpeciem veri, vel in voce ſignificante, vel in re ſignificata: & ſicuti modos, quibus hæc tantùm accidere ſolent neceſſarium non eſt prolixius proſequi, ſic non erit inutile illas breuiter enarrare.

Fallaciæ defectu Materiæ.

Sex ergo ſunt modi vt Ariſtoteles loco ſupracitato recenſuit, quibus Sophiſta poteſt fallacià dictionis decipere reſpondentem.

Pri-

Primum locum tenet æquiuocatio, in qua vt ait S. P. cap. 10. de principijs Dialect: ambiguitatum perplexio propè infinita ſylueſcit. *Hæc fallacia contingit quando in præmiſſis aliquis terminus æquiuocus ponitur; quod tripliciter fieri poteſt, nam tria aſſignat genera ambiguitatum S. P., quæ ab æquiuocis veniunt: Cap. ſuprac. de Principijs Dialect.* ſcilicet, vnum ab arte, alterum ab vſu, tertium ab vtroque. *Et vt citò me expediam ſit tantum exemplum tertij generis. Omnes eloquentia antecelluit Tullius, ſed Tullius eſt pes dactylus, ergò pes dactylus antecelluit omnes eloquentia. Hic eſt fallacia æquiuocationis, & ab arte, & ab vſu; nam ly* Tullius, *ab arte Grammaticorum ſignificat pedem dactylum, & ab vſu, ſignificat homi-*

nem doctrinæ inſignitum. Secunda fallacia dictionis eſt amphibologia, de qua ſic habet S. P. lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 12. ex ambiguo linguæ procedentis plerunque interpres fallitur. *Hæc committitur, quando multiplicem reddit ſenſum vel modus loquendi, vel integra propoſitio V. G. Omne nomen eſt verbum; omne verbum declinatur per tempora, ergo omne nomen declinatur per tempora: in quo ſyllogiſmo ly* verbum *habet dupplicem ſenſum, vt patet conſideranti. Tertia dicitur fallacia accentus, & committitur cum ex variatione accentus, variatur vocis ſignificatio, cuius tres ſunt ſpecies ex S. P. cap.* 10. *de Principijs Dialect.* Aut enim ſpatio ſyllabarum fit tale ambiguũ, aut acumine, aut in vtroque. *Exemplum ſit Omnis virtus ama-*

tur,

tur, ſed quidquid hamatur hamo capitur, ergo virtus hamo capitur. In quo deceptio naſcitur ex vocabulo amatur, *quod in maiori non habet aſpirationem, quam habet in minori. Quarta, & Quinta fallacia ſunt fallacia compoſitionis, & diuiſionis: Diuiſionis fit, quando id, quod conuenit alicui coniuncto cum aliquo, tribuitur illi ſeorſim accepto V. G.* Ibis, redibis non, morieris in bello, *nam ſi particula* Non *coniungatur cum ly* redibis *facit vnum ſenſum, ſi verò particula* Non *à ly* redibis *diuidatur, & coniungatur cum ly* morieris *facit diuerſum oraculum. Cum verò id, quod conuenit alicui ſeorſim, tribuitur illi vt coniuncto cum alio, eſt fallacia compoſitionis, vt cum dicitur; Quicunque peccat, poteſt ſaluari, Petrus peccat: ergo Petrus peccando po-*

teſt ſaluari, quæ propoſitio eſt vera in ſenſu diuiſo, falſa in ſenſu compoſito. Tripliciter autem hæ fallaciæ contingere poſſunt. Primò in propoſitionibus modalibus, & ex parte dicti, & ex parte Modi: ſecundò quando aliquod extremum propoſitionis habet plures terminos, qui ſummi poſſunt vel copulatim, vel diſiunctim: tertiò reperiuntur vbi aliqua dictio poteſt cum diuerſis vocibus coniungi. Has captiones ſufficienter indicauit S. P. cap. 10. de principijs Dialect. vt in T. l. p. aſſerendo dari ambiguitates vocum declinatione, ideſt quando ſiuè per voces, ſiue per ſignificationes flectendo verba contingit. *Vltimus modus deceptorius in dictione cõtentus eſt ipſa figura dictionis, quæ accidit, cum propter ſimilitudinem vocabulorum idem vtrique*

 tri-

tribuimus, aut ad idem pertinere prædicatum exiſtimamus, quæ ad diuerſa ſpectant; V. G. ſi homini ſeni dicatur Corpus quod olim habuiſti habes hodiè, ſed paruum corpus olim habuiſti; ergò hodiè paruum corpus habes; Hic enim fit tranſitus à corpore ſimpliciter non cum omnibus circunſtantijs ad corpus & quantitatem; hoc eſt ad qualitatem paucitatis. Hanc fallaciam (ni fallor) vocat S. P. ambiguitatem translationis cap. 10. de Principijs Dialect. vt in T. l. p. hoc eſt cum ex ſimilitudine vnū nomen ſit multis rebus. *Atque hæ ſunt fallaciæ dictionis.*

Supereſſent explicandæ fallaciæ extrà dictionem, hoc eſt non in vocibus, ſed in rebus contentæ; Quæ ſeptem communiter ab Ariſtotele loco ſupracitato enumerantur. Prima dicitur fallacia acci-

dentis, quando ſcilicet id, quod conuenit accidenti, tribuitur ſubiecto, & è contrà. Secunda dicitur, a ſecundum quid ad ſimpliciter, ſeu à minus amplo ad magis amplum. Tertia eſt ignorantia elenchi, ſeu contradictionis; hoc eſt cum arguens conatur trahere reſpondentem ad cōceſſionem duorum contradictoriorum, quæ re vera non ſint contradictoria. Quarta eſt petitio Principij nempe cum ad probandum aliquid aſſumitur id ipſum, quod eſt in queſtione. Quinta eſt plurium interrogationum per modum vnius. Sexta eſt ſecundum cauſam vt cauſam, vt ſi quis aſſumeret tamquam cauſam cōcluſionis aliquid, quod verè non eſt cauſa. Vltimò decipiunt Sophiſtæ arguendo à termino conſequenti ad antece-

den-

dentem, quando tales termini non ſunt ſimul antecedens, & conſequens, V. G. eſt animal, ergo eſt homo. Has fallacias copiosè explicant Summuliſtæ; idcirco hæc indicaſſe ſat erit. Sic igitur.

PRO COROLLARIO.

B*Reuis regula ad ſoluenda Sophiſmata, quæ inſunt defectu formæ, requiri perfectam notitiam artis Syllogyſticæ, ideſt omnium figurarum, & modorum; Et ad ſoluenda ea quæ inſunt ratione materiæ requiri cognitionem obſcuritatis, & ambiguitatis verborum, & ſententiarum. Et quia vt ait S P. c. 10. de Princ. Dialect. vt in Textu lit. p.* Huiuſmodi genus ambiguitatum minutatim concidere, ac proſequi penè infini-

finitum eſt, locum ipſum hactenus notaſſe ſuffecerit ingenio præſertim tuo.

Laus Deo Beatiſſimæ V. Mariæ ac S. P. Auguſtino Litterarum Magiſtro.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

PRæludium de Philoſophis, & philoſophia pag. 1.
Caput primum de natura, & obiecto Philoſophiæ rationalis. pag. 24.
Caput ſecundum de Vniuerſalibus, ſeu Prædicabilib: p. 60.
Præludium ad Librum decem categoriarum S. P. N. Auguſtini pag. 133.
Caput tertium decem categoriæ S. P. Auguſtini pag. 148.
Caput quartum de Regulis Anteprædicamentalibus p. 195.
Caput quintum de Prædicamentis in communi. 215.
Caput ſextum de Vſia ſiuè ſubſtantia. 232.

Caput ſeptimum de Quantitate pag. 254.
Caput octauum de Ad aliquid pag. 279.
Caput nonũ de Qualitat: p.325.
Caput decimum de Actione, & Paſſione pag. 356.
Caput vndecimum de Situ pag. 362.
Caput duodecimum de Vbi, & Quando pag. 364.
Caput tertium decimum de habere pag. 366.
Caput quartum decimum de Poſt prædicamentis. 371.
Caput quintum decimum de Priori, & ſimul. 389.
Caput ſextum decimum de Motu pag. 396.
Præludium ad ea, quæ ſpectant ad ſecundam mentis operationem pag. 405.
Caput decimum ſeptimum de

Signis

Signis pag. 410.
Caput decimum octauum de Principijs Dialecticæ p. 423.
Caput decimum nonum de definitione, & diuiſione p. 483.
Præludium Ad ea, quæ ſpectant ad tertiam Mentis Operationem pag. 500.
Caput vigeſimum de diſcurſu, & Argumentatione p. 503.
Caput vigeſimum primũ Axiomata S P.A. de ſcientia p. 577.
Regula ſeruanda in legendis libris, pag. 592.
Caput vigeſimum ſecundum de Arte. 594.
Caput vigeſimum tertium de Opinione, & Fide. 734.
Caput vigeſimum quartum de Errore, & Fallacia. 757

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

Accidens quid ſit pag. 121. definitur 127.
Non eſt naturaliter inſeparabile à ſuo ſubiecto adæquato 124.
Actio quid ſit p. 358. Non identificatur ſemper cum paſſione 360. In quo conſiſtit formaliter eius dependētia 359.
Aſſignantur variæ diuiſiones actionis 361.
Actus ſpeculatiuus in quo diſtinguatur ab actu practico pag. 669.

Adæ-

Adæquatum contentum ſub quinto prædicabili pag. 125.
Analoga (quæ dicuntur per nos æquiuoca à conſilio) diuiduntur in propria, & impropria pag. 182. Analoga impropria diuiduntur in analoga attributionis, & analoga proportionis 183. Quid ſit analoga proportionis 184.
Argumentatio deſcribitur pag. 517. Quomodo ſe habeat conſequentia ad argumentationem pag. 515.
Ars quid importat, & quomodo diuerſificatur à ſciẽtia p. 692.

C

Categoriæ nomen quid ſub ſe continet, & quid ſignificat pag. 165. Cur in categorijs agatur de æquiuocis, vniuocis,

cis, & denominatiuis 177. An diſtinguantur inter ſe realiter 222. Reicitur ſententia aſſerentis librum decem categoriarum non eſſe S. P. N. pag. 139.
Conceptus alij ſunt veri, alij falſi; alij nec veri nec falſi pag. 459.
Concluſio ſequitur debiliorem partem pag. 534.
Concreta accidentalia quomodo ponuntur in prędicamentis pag. 228.
Conſequentia quid ſit pag. 513. Eius diuiſiones 515. Aſſignantur duæ regulæ ad dignoſcendam eius bonitatem pag. 513.

D

Definitio quid ſit pag. 491. Eius con-

condiciones 493. Aſſignantur duo modi inueſtigandi eius rectitudinem 492.
Demonſtrationis variæ definitiones pag. 554. Eius diuiſiones 565. eius mediũ 566., & eius condiciones aſſignantur 555. Demonſtratio præ-requirit cognitionem communium principiorum 549. An exigat verò præmiſſas immediata actu 557.
Dialectica eſt benè diſputandi ſcientia 24. eius vtlitas. 25.
Differentia quid ſit, & cur prius de ea quam de ſpecie agat S. P. pag. 91.

D

Diſcurſus conſiſtit eſſentialiter in aſſenſu ſiuè diſſenſu dependenti ab alio aſſenſu circa

aliud

aliud obiectum pag. 519. A quo deriuetur hoc nomen. 520.
Diſpoſitio eſt qualitas facilè mobilis pag. 346.
Diuiſio Logica quid ſit, & eius condiciones pag. 497.
Differentia inter diuiſionem, & definitionem 498.

E

Ens rationis non eſt obiectum Logicæ adæquatum pag. 39.
Enunciatio quotuplex pag. 468. eius proprietates 471.
Æquiuoca ſunt diuerſæ rationis pag. 181. quomodo definiri poſſint 180. æquiuoca æquiuocantia definiuntur ab Ariſtotele vt quo, & æquiuoca vt quod 179.
Euidentia triplex eſt 620.
Fal-

F

Fallaciæ ratione materiæ, & ratione formæ; in dictione, & extra dictionem 471.

G

Genus definitur per S.P.N. pag. 183. diuiditur 86. Ad quid ſe extendat 87. ad negationes ſe extendit abuſiuè 128. Qualiter prædicetur de pluribus differentibus numero 90., & quomodo dicatur ſecunda vſia ſcilicet ſubſtantia 233.

H

Habere quid ſit pag. 369. Diuerſæ acceptiones huius verbi pag. 366. & 402.

Dat. Habitus, pag. 625. Quid ſit 346. Quodnam ſit eius ſubiectum 633. An vnico actu cōparetur 642. An producat phyſicè actum 644. Per quid differant habitus naturales à ſupernatural. 628. quomodo conſeruantur, & deperduntur habitus 648. Augentur intenſiuè, & extenſiuè 646. Diuerſificantur ſpecie 645, & multipliciter diuiduntur 649.

Heteronyma ſcilicet deriuatiua definiuntur per S. P. p. 157.

Homonyma quid ſint pag. 178., & 154. Quo pacto homonyma fortuitu diuerſificentur ab homonymis hominum voluntate 157.

I

Indiuiduum dupliciter accipi-

tur pag. 104 Quare non agat de indiuiduis ſpecialiter S.P. Auguſtinus 103. An omnia indiuidua habeant rationem vniuerſalis 107. Quid ſit indiuiduum determinatũ 105., & quid importat indiuiduum vagum 111.

Infinitum in omni genere non ponitur in prædicament: 226.

Intellectus neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis quo ad ſpeciem, non verò quo ad exercitium 521.

L

Locus non eſt propriè ſpecies quantitatis diſtincta à reliquis pag. 273.

Logica eſt vna ſpecie ſcientia pag. 47., & eſt ſcientia practica 42. Aſſignatur eius quidditas

ditas 32. eius laudatio 31. eius finis 51. eius neceſſitas 49. eius dignitas 53. eius obiectum remotum 34. inadequatum 37., & eius obiectum proprium 35. Logica inter quos habitus collocetur 55., & quomodo in ea tractetur de verbis, rebus, dicibilibus, ac dictionibus 430.

M

Maxima, & differentia maximæ pag. 737.
Modus ſciendi quid ſit p. 489. dantur ſpecies modi ſciendi 490.
Motus quotuplex ſit 396. variæ ſpecies motus 401.

N

Neceſſitas eſt duplex, altera logica, altera phyſica pag. 117.

No-

Nomen definitur pag. 463.
Nulla res ſignificat ſe ipſam immediatè 415.
Numerus prout eſt à parte rei, non habet veram rationem quantitatis pag. 273.

O

Obiectum quid, & quottuplex ſit 602. multipliciter diuiditur ibidem. Quaſnam condiciones habet obiectum ſcientificum 604.
Oppoſitio deſcribitur pag. 380.
Oppoſitorum variæ ſunt diuiſiones 382. Non tantum datur differentia inter oppoſita relatiuè, & oppoſita contrariè ſed etiam inter oppoſita preſsè, & inter oppoſita latè ſumpta 381. Dantur op-
poſita

poſita priuatiuè 385., Ad oppoſita contradictoriè variæ requiruntur condiciones pag. 388.
Oratio definitur pag. 465. Quas partes habet 463. Quid ſit oratio enunciatiua 466.

P

Paronyma ſunt denominatiua pag. 175.
Paſſionis definitio, dependentia, & diuiſio traditur p. 360.
Philoſophia eſt rerum humanarum, & diuinarum cognitio mortiſque cogitatio pag. 18. diuiditur in rationalem naturalem, & moralem 13. & 20.
Philoſophus eſt Amator Dei pag. 1.
Potentia quid exigat ad hoc vt operetur celeriter pag. 639.

Præcognito quid,& quottuplex ſit pag. 541., & an requiratur ſemper ad quemlibet actum practicum 543.
Præcognita quotuplicia ſunt pag. 545.
Prædicamentum definitur 165. Quid intelligatur in eius definitione per ly ſummi generis 169.,& per ly generis realis 192. Sufficienter diuiduntur prædicamenta in decem claſſes 219. Quo pacto diuerſificentur prædicamenta, & prædicabilia 167. Ex nouem prædicamentis alia ſunt in ipſa ſubſtantia, alia extrà ſubſtantiam, alia intra, & extrà ſubſtantiam traditur modus, quo diſponuntur res in ſerie prædicamentali 172. & earum conditiones vt in ipſa ſint 225.

Præmiſſæ non ſunt veriores concluſione pag. 556. in quo genere cauſæ concluſionem cauſant 562.

Propoſitio per ſe quid ſit 563. Propoſitiones quomodo ſibi opponuntur 472. quomodo fiunt æquipollentes 478., & quomodo conuertuntur ad inuicem 479. Propoſitiones de futuris contingentibus ſunt determinatè veræ 475.

Proprium in communi definitur pag. 117. Proprium quarto modo ſolum eſt vnum ex prædicabilibus 115. Qualiter ſtet vniuerſalitas cum ipſo 118. Conciliatur diuerſitas inter S. P. N., & Porphyrium agendo de diuiſione proprii 115.

Prudentia quid ſit pag. 695., & quare numeretur inter virtu-

tes

tes intellectuales 696.

Q

Qualitatis definitio, & ſpecies traditur 345. Eius proprietas 353. An omnes ſpecies qualitatis ſint rigoroſè qualitates, & an diuerſificẽtur à ſubſtantia 351. quid ſit prædicare in quale quid 96.

Quando importat durationem cuiuslibet rei pag. 365.

Quantitas eſt primum accidens, & quare 254. aſſignatur eius ratio formalis 269. eius definitio explicatur 270. multipliciter diuiditur 258. vſque ad 275. eius proprietates deſcribuntur 263.

Quid ſpectari debet in artifice pag. 14.

Quid ſit directio actiua quid paſſiua pag. 52.

Quid ſit eſſe in ſubiecto p. 211.
Quinque modis aliquid dicitur eſſe prius altero pag. 394.

R

Regreſſus demonſtratiuis quid ſit pag. 566.
Regulæ ante prædicamentales aſſignantur 212.
Relatio definitur per S. P. N. 295. Diuiditur 296., & 305. Non eſt formaliter fundamentum, & terminus 297. Diſtinguitur à ſuo fundamento ſecundum id quod dicit in recto, & in obliquo 298. An requirat neceſſariò exiſtentiam termini 314., & in quo conſiſtat eius formalitas 29[illegible]. Eius fundamentum proximū debet eſſe reale 311. Terminus non eſt de intrinſeca ratione

tione relationis præciſè licet ad multiplicationem terminorum multiplicentur relationes 317. Traduntur regulæ ad relationem ſpectantes 309. Relatio, quæ eſt in effectu ad cauſam efficientem actu, dicitur abſolutè actio 359. Ad relationem non datur motus per ſe 299. Datur in Deo relatio ad creaturas 301 quomodo relatio reſpiciat relatiua, & abſoluta 315. Relationes actionis, & paſſionis fundantur in ipſa ſubſtantia cauſæ 310.

S

Vnde proueniat difficultas acquirendi ſcientiam 623. Scientia quid ſit pag. 607. debet eſſe de neceſſarijs, & æter-

nis 660. Diuiditur in ſubalternantem, & ſubalternatam pag. 699. Scientia practica eſt formaliter, & immediatè regulatiua operationis 671., & procedit modo tum compoſitorio tum reſolutorio pag. 672., & diſtinguitur à ſcientia ſpeculatiua 686. Diſcrimen inter obiectum ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ 672. Vnus, & idem actus non poteſt eſſe ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ 675. Tripliciter diuiditur ſcientia moralis 687. Vtrum det. vnica tantum ſcientia 677., & quænam euidentia ad ipſam requiratur 620.

Sententiæ ſimplices, & coniunctæ quænam ſunt 427.

Signum definitur pag. 414 multipliciter diuiditur 416. Ratio

tio ſigni conuenit, etiam cauſis phyſicis 419. Quid importat ſignum naturale ſignum ad placitum ſignum formale ſignum inſtrumentale 418. Per quid conſtituatur ſignum ad placitum 420. Hoc ſignum nemini perfectius ſignificat quam imponenti 421.
Situs quid ſit pag. 363.
Species multipliciter definitur 97. Per quem reſpectum conſtituatur in ratione vniuerſalis. 100. Sub tali ratione definita fuit à S. P. N. 102.
Quomodo dicatur ſecunda vſia 233.
Subſtantia definiri non poteſt pag. 241. Quid, & quotuplex ſit 242. Neq; in ſubiecto eſt neque de ſubiecto ſignificatur 233. Per quæ diſtingua-

tur ab accidente 203. Quomodo vna ſubſtantia ſit maior altera 246. Eius proprietates declarantur 248. Demum quot modis ſumuntur ea quę ſunt extra ſubſtantiam pag. 113.
Syllogiſmus quid ſit pag. 526. Eſt tantum argumentatio formalis 518. eſt principalior ſpecies diſcurſus 521. habet duplicem materiam 527. Fundamentum formæ ſyllogiſticæ requiritur 533. Hæc forma deſcribitur 531. Quid ſit Syllogiſmus dialecticus 740. quidue ſyllogiſmus pſeudographus 742.
Syllogiſmus ſophiſticus p. 789.
Synonima quomodo vocantur à S. P. N. 175., & ab eodem accipiuntur pro vniuocis p. 157.

Tribus

T

Tribus modis aliquid poteſt eſſe ſimul cum alio p. 395.

V

Variæ fuere opiniones de ſummo bono pag. 5.
Vbi eſt denominatio extrinſeca à loco, & multipliciter accipitur pag. 365.
Verbum vnde prouenit 437. eſt ſignum ad placitũ 455. Verbum internum deſcribitur 54. Verba ſimplicia quęnam ſunt 423. Verba verò coniuncta ſunt, quæ ſibi connexa res plures ſignificant pag. 425.
Verba obſcura, & ambigua 763.
Veritas duplex eſt pag. 459. Veritas formalis definitur 460.
Virtutes intellectuales quinq; ſunt 660.

Vniuerſale definitur pag. 68. Explicatur 78. eſt genus ad quinque prædicabilia 70. Non retinet propriè vniuerſalitatem in prædicatione 81. Eius vnitas eſt vnitas conuenientiæ, & ſimilitudinis, quæ eſt à parte rei 128. Eius Communitas non deſcendit ad inferiora 82.
Vniuoca definiuntur 167. ſola rigoroſè in prædicamentis ponuntur 174.
Vniuocatio exigit conceptum obiectiuum plurium ſimilium pag. 188.
Voces ſunt inadequatum obiectum logicæ pag. 37. an immediatè ſignificent rem vel conceptum 456.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ERRATA Sic corrigenda.

in Epiſt. ded. tributis reuertatur	lege reuereatur
In præf. l. u. vbi cit. Em. Bellarm. in marg. habetur u. In Conſtructio:	In Controuerſijs &c. lib. 2. de Gratia
pag. 103. non reperto	non reperio
pag. 104. eſt ſic	& ſic
pag. 110. ſit collectio	ſic collectio
pag. 111. olet explicari	ſolet explicari
p. 124. quod appellant ſummi	quod appellant Sumuliſtæ
pag. 125. quæ docuit	quæ docui
pag. 133. à quo deſumpti	à quo deſumpſi
pag. 139. erudiendum doctos	erudiendum indoctos
pag. 143. increperent	inciperent
pag. 144. appoſuerirer	appoſuerit
ibidem lucius libri	huius libri
p. 148. De oratione &	& quam late pateat ſignificatio (Vſiæ.
pag. 174. animat	animal
pag. 175. ſciendendum	ſcindendum
pag. 185. fortuiſſe fiunt	fortuitu fiunt
p. 268. quando dicit parte eam &	quando dicit per partes
pag. 296. agendam eſt	agendum eſt
pag. 298. meum .n. intenſum	meum .n. intentum
ibidem ſolutionis argumentis	ſolutis argumentis
pag. 317. lin. 15. qua ratione ingreditur neceſſario	Qua ratione non ingreditur neceſſario
pag. 380. haru definitionem	hanc definitionem
pag. 381. alij rebus	alijs rebus
pag. 406. omne Latini	omnes Latini
pag. 468. eticum fieri	etiam fieri
pag. 473. ſimul ſieræ	ſimul veræ
pag. ibidem umul veræ	ſimul veræ
pag. 522. eſt concluſioni	& concluſioni
pag. 548. patientur difficultas	patientur difficultates
pag. 554. deuendendo	deueniendo
pag. 615. animatum	animarum
pag. 650. nihilomiuis	nihilominus
p. 651. eo quod habeant mutare	eo quod habeat mutare
pag. 671. non eſſe practica	non eſſet practica
pag. 708. loquitur 114.	loquitur ca. 14.
pag. 713. ardentione affectu	ardentiori affectu
pag. 731. cathecumenus S. M. Monicæ	cathecumenus hoc indicarit S. M. Monicæ
p. 733. ſic inueniês ſic perietur	ſic inuenietur ſic aperietur

Reliqua leuioris momenti benign. lectorũ remmittuntur

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google